MANUALE

JURIS COMMUNIS REGULARIUM

ET SPECIALIS

CARMELITARUM DISCALCEATORUM

AUCTORE

R. P. ANGELO A SS. CORDE JESU, C. D.

AD NORMAM CODICIS JURIS CANONICI
ET NOSTRARUM CONSTITUTIONUM

ACCOMMODATUM

A

R. P. NICOLAO A P. C. M.,

EJUSDEM ORDINIS,

ALMAE PROVINCIAE S. P. N. JOANNIS A CRUCE BURGENSIS.

ALMA COLLEGE
348.35
LIBRARY
N515
Alma, California

BURGIS
TYPOGRAPHIA «EL MONTE CARMELO»
1929

29662

APPROBATIONES

Nihil obstat.

Fr. Eliseus a Sto. Joseph, C. D.

Censor.

Nihil obstat.

Fr. Arcadius a Spiritu Sancto.

Censor.

Imprimi potest.

Burgis, 29 Septembris 1928.

Fr. Marcellus a Puero Jesu,

Provincialis, C. D.

Nihil obstat.

Dr. Daniel Torre Garrido.

Censor.

Imprimatur.

Burgis, 25 Januarii 1929.

Dr. Aemilius Rodero Reca,

Vicarius Generalis.

Seraphicae Virgini ac Matri Nostrae
S. Teresiae a Jesu.

ADDENDA

N. 6. post verba: sua natura votum simplex, addatur: *ex speciali privilegio* Gregorii XIII, *vota simplicia* quae post biennium novitiatus in Societate Jesu emittuntur, dirimunt *subsequens* matrimonium.

N. 97. ...post verba: consensus non fuerit revocatus (ib. § 2) addatur: Si vero professio religiosa irrita fuerit ob impedimentum externum, v. gr. si Superioris legitimi delegatio defuerit, vel ante aetatem legitimam, etc., etiam bona fide emissa fuerit professio; tunc necesse est, ut cognita nullitate professionis, impedimentum amoveatur, et professio denuo emittatur publice, si defectus fuit publicus; si vero fuit occultus, sufficiens est, ut professio coram legitimo Superiore et duobus testibus emittatur, servato ritu substantiali propriae Religionis, vel a Sede Apostolica sanatio impetretur.

N. 102. Cfr. Append II. De Religiosis servitio militari adstrictis.

N 111 in fine: Haec dispositio juris desumpta est ex decreto «Quum minoris» S. C. de Relig., die 15 jun. 1909, expuncto ultimo numero sequentia praescribente: «Vetitis, absque novo et speciali Sanctae Sedis indulto: ...5.° habituali domicilio in locis, ubi exstat conventus, vel domus religiosa Provinciae vel Missionis, cui sacerdos vel clericus saecularizatus, vel a votis perpetuis solutus, ut supra, adscriptus erat».

N. 241 R. Affirmative et probatur: 1.° ex communi sensu Ordinis nostri (Pelliz. I. 468), et ex nostris Constitutionibus n. 272 praescribentibus, ut hoc votum emittatur, exacto temporariae professionis tempore, in professione sollemni.

N. 348. Et Superiores aliique, quicumque ii sint, etiam regulares absque ullo officio, imo et exteri, introducentes vel admittentes, sine legitima licentia, mulieres in clausuram virorum regularium, hanc excommunicationem incurrunt.

N. 505... ut patet ex Brevi Benedicti XV «Ut praesens», die 12 aug. 1915 et ex Brevi Pii XI «Providentia», die 15 aug. 1928.

N. 556. Die 12 jan. 1929, Ven. Def. N G declaravit: recreationem serotinam, diebus dominicis et festis sollemnibus habendam esse post coenam aut collationem. (Analecta O. N. III. 160).

N. 851. «Abbates regulares de regimine, legitime electi debent intra tres menses ab electione benedictionem accipere ab Episcopo

dioecesis, in qua monasterium situm est; postquam vero benedictionem receperint, praeterquam potestate conferendi ordines ad normam can. 964, n. 1, fruuntur privilegiis de quibus in can. 325, excepto pileolo violaceo» (can. 625).

N. 923. «Quod si Antistita vel quaelibet alia, personam quamcumque, sine legitima licentia in monasterium introduceret, vel solum admitteret, non tantum graviter peccaret, sed etiam ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam incurreret». (can. 2342, 1.°). Ex Instructione De Clausura Monialium, IV. Cfr. Append. IV, pag. 495.

Verba: *vel quaelibet alia,* intelligenda sunt tam de monialibus quam de saecularibus vel exteris personis.

BENEVOLO LECTORI

Ut praesens Manuale nostris studentibus, pro textu, deservire possit, pernecessarium fuit illud apte accomodare ad normas novissimi Codicis Juris canonici et Declarationum ac Instructionum Congregationum, praesertim S. Congregationis de Religiosis, ac nostrarum novissimarum Constitutionum ad quem finem assequendum opus fuit multa corrigere, non pauca, utpote inutilia et Codici J. C. contraria, penitus expungere; multa vero alia quam maxime utilia religiose conservare et retinere opportunum judicavimus,-gratitudinis ergo et in memoriam R. P. Fr. Angeli a SS. Corde Jesu, cujus *Monitum* est tenoris sequentis:

MONITUM AUCTORIS

DILECTISSIMI IN CHRISTO JESU FRATRES.

In Ven. Capitulo nostro Generali, anno 1889 Genuae celebrato, cui interfuimus, multa quidem ac pulchra de studiis juris canonici, praesertim juris *Regularium ac speciatim Ordinis Nostri,* prolata sunt. Unde in Actis horum Comitiorum, sub n. 1, sequens legitur adhortatio: «In votis Capituli Generalis est, ut legum nostrarum studium ac perfecta cognitio magis magisque cordi sit; ac propterea hortandos duxit tum Religiosos omnes, ut legum lectioni et meditationi sedulius incumbant, cum Visitatores, Provinciales, Priores, Magistros Novitiorum et Suppriores, ut, pro suo quisque munere, exhortationibus et explicationibus legum cognitionem promoveant;

Ad hunc autem finem via faciliore assequendum, varia et valde opportuna proposita sunt media: ast universos Patres Gremiales illud tenebat desiderium: *utinam ad hoc haberemus librum manualem,* in quo omnia dilucide ac ordinatim conscripta reperiantur, quae ad studium juris Regularium et ad perfectam legum nostrarum cognitionem necessaria sunt:

Jamvero multi auctores moderni per modum compendii universum exponunt jus canonicum; sed omnino pauci sunt, qui eo modo specialem de jure Regularium instituunt tractatum. Certe non desunt auctores, antiqui praesertim, qui magna hac in re prae-

diti scientia, jus Regulare optime tradiderunt. Sed antiqui illi expositores, etsi accuratissimi et doctissimi, in pluribus tamen pro opportunitate nostrae aetatis deficiunt, cum leges desuper noviter inductas, perspectas habere non potuerint. Praeterea, hoc vertente saeculo, non paucas jus Regularium subiit mutationes, propter diversas conditiones, in quibus hodiedum versantur Regulares.

Denique non sufficit Regularibus, quod plenam perfectamque habeant cognitionem eorum, quae ad jus Regulare in communi spectant; sed insuper requiritur, ut completam quisque habeat scientiam illorum, quae ad suo Ordini proprium specialiter pertinent. Ast inter auctores domesticos, hac de re scribentes, nullum invenimus, qui per modum compendii hujusmodi instituerit tractatum.

Quapropter, cum a Superioribus nostrae Provinciae nobis concreditum fuerit munus docendi, una cum Theologia, jus Regulare, praesertim Ordinis nostri, ut huic muneri, juxta eorum intentum satisfacere possemus, ea, quae in jure canonico, et imprimis nostro, atque in Theologia morali, necnon in decisionibus et declarationibus SS. CC. et S. Sedis sparsim reperiuntur de jure Regularium tradita, in unum collegimus per modum compendii ad usum utilitatemque nostrorum studentium.

Maxime vero allaboravimus, ut *hoc Manuale*, quantumvis contractum, sufficientem tamen, imo et completam de jure Regularium contineret doctrinam; quum experientia multa noverimus nihil studentium animos magis retardare, quam si dictata plura conscribere, plures auctores, nonnumquam sibi contradicentes, pervolvere debeant; contra vero nihil eis magis calcar addere, quam si unum, et maxime domesticum, librum habeant, quo tanquam enchiridio, per totam vitam utantur. Hujusmodi libro componendo manum admovimus, persuasum habentes nos illum non quidem ad opus omnibus numeris absolutum adducturos, sed ejus ope aliis saltem viam ostensuros atque aperituros, quae hunc qualemcumque laboris nostri fructum perficere queant.

Ad methodum autem quod attinet, illam secuti sumus, quam plerique compendiorum Theologiae auctores amplexi sunt: imprimis nempe varias exposuimus subjectae materiae divisiones, seu diversas veluti facies, quas variis ex partibus spectata rest offert; deinde pertractavimus materias subjectas procedendo per quaestiones; sic enim majori cum praecisione et claritate inceditur, auditoresque lecta facilius mente comprehendunt et retinent.

Praeterea curavimus, ut neque in immensam molem, qua tyronum mens obrueretur, *Manuale* excresceret, neque tamen nimis summatim materias pertractaremus. Ideoque ad quaestiones dilu-

cidandas atque solvendas, ubi opus fuerit, unam alteramve solidam rationem, ex probatis auctoribus desumptam, adduximus.

Vestigia autem sequendo cl. Patris Piati, Ordinis Capuccinorum, qui aureis paginis conscripsit «Praelectiones juris Regularis» opus in sex partes dividendum opportunum duximus: In prima parte agetur de natura, origine, utilitate, necessitate et varietate status religiosi, necnon de institutione novarum Religionum et de erectione et suppressione religionis, provinciae et domus religiosae.

In secunda, de professione religiosa, scilicet de iis, quae requiruntur ad legitimum ingressum in Religionem, ad Novitiatum et Professionem.

In tertia, de obligationibus Religiosorum, quae oriuntur: 1.° ex natura status religiosi, 2.° ex votis, 3.° ex legibus ecclesiasticis, et 4.° ex Regula et Constitutionibus Ordinis Nostri.

In quarta, de Regimine Regularium: 1.° ad intra, 2.° ad extra.

In quinta, de privilegiis Regularium: 1.° in communi, 2.° de privilegiis O. N. propriis.

In sexta, de poenis et processu criminali.

Ad calcem vero operis index rerum alphabeticus sat amplus ponitur, ut ea, quae prae manibus habenda sunt, ab inquirentibus modo faciliore citiusque inveniri possint.

Nunc autem *Manuale* si perfecerimus utilissimam rem nos facturos esse non dubitamus; eo magis quod Superiores Majores Nostri, postquam per seipsos illud examinaverint, et ab auctore corrigendum mandaverint, ipsis approbantibus atque applaudentibus, typis mandari permiserint. Religioni quoque nostrae, ut arbitramur, gratissimum erit domesticis ex fontibus alumnos potare, ut limpidissimam, ac perennem, quam ebiberint, aquam foras puram derivare, ac Carmeli viridarii plantas, ut crescant, copiosumque fructum afferant, irrigare, et ipsi valeant.

Quod denique ad modum dicendi spectat, sequens S. Augustini monitum nobis semper animum addidit et consilium praestitit: «Qui docet, ait S. Doctor, De Doct. Christ. I. IV. c. IX. § 23 et 24, non curet quanta eloquentia doceat, sed quanta evidentia, cujus evidentiae diligens appetitus aliquando negligit verba cultiora, nec curat quid bene sonet, sed quid bene indicet atque intimet, quod ostendere intendit.... Quid enim prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis, cum loquendi omnino nulla sit causa, si quod loquimur non intelligunt, propter quos ut intelligant loquimur?».

Ceterum, dilectissimi in Christo Jesu Fratres, si quid incautum, si quid minus gratum, imo, si quid veritati non consonum,

praeter intentionem, irrepserit, humaniter corrigite, ac leniter castigate, necnon vestras observationes, quibus *Manuale* emendari vel compleri valeat, charitative ad nos transmittere non gravemini.

Dignetur Beatissima Virgo Maria de Monte Carmelo, totius Ordinis Titularis ac Patrona, Sedesque Sapientiae, cum Prole pia nos adjuvare et dirigere, ut opus cedat in beneplacitum et majorem Dei gloriam, et in utilitatem totius Ordinis nostri.—Fr. Angelus a SS. Corde Jesu C. D. - Gandae in festo S. Angeli, 5 Maii 1899.—Non alio ductus consilio, hanc novam Manualis doctissimi viri emmendationem et innovationem aggressum sum.

Scribebam Burgis, in festo S. Familiae, Jesu, Mariae et Joseph, 8 Januarii 1928.

Fr. Nicolaus a Pmo. Corde Mariae, C. D.

AUCTORES QUI IN DECURSU OPERIS ALLEGANTUR UNA CUM MODO, QUO CITANTUR.

Act. S. S.—Acta Sanctae Sedis. Anni 1868-1908.
Act. A. S.—Acta Apostolicae Sedis. Anni 1909-1928.
Aertn. I. n.—Aertnys. Theologia Moralis Alphonsiana. 4.ª editio. 1896.
S. Alph. I. n.—S. Alphonsus. Teologia Moralis. edit. crit. Romae. 1907.
Anal. J. P. VI.—36.—Analecta Juris Pontificii.
Andr. a Matre Dei. p. Andreas.. O. N. Tract. de privilegiis Regularium. 1681.
Ang. a S. M. V.—15.—Angelus a S. Maria O. Carm. Breviarum morale Carmelitan. 1734.
Ant. a S. Sp. p. n.—Antonius a S. Spiritu, C. D. Directorium Regularium. Lugduni. 1675.
Ball.—P. I. 17.—Ballerini. — Palmieri. Opus Theolog. morale. 2.ª editio.
Bargilliat. n. Praelectiones Juris canonici. 1893.
Battandier. n —Consultor S. C. Ep. et R. Guide canonique pour les Constitutions des Soeurs à voeux simples.
Bened. XIV. de Syn. I. c. n.—Benedictus XIV. De Synodo dioecesana.
Berardi. Praxis. n.—Praxis confessariorum. Altera editio. 1888.
Bizz. p.—Bizzarri. Collectanea in usum Secretariae S. C. Ep. et Reg. 1885.
Blat.—Commentarium Codicis Juris Canonici. 1927.
Bondini.—De Privilegio Exemptionis. 1919.
Bouix. I. 501.—Tractatus de Jure Regularium. 3.ª editio. 1882.
Bucceroni I. n.—Theologia moralis. Altera editio. 1893.
Bullarium. O. N. II. 18.—1715.
Codex Juris Canonici cum notis Card. Gasparri. 1919.
Coll. Brug. I. 7.—Collationes Brugenses.
Coll. P. F. n. Collectanea S. C. de Propaganda Fide.

Commentarium pro Religiosis, publicatio mensilis, opera et studio Missionariorum Filiorum Immac. Cordis Beatae Mariae Virginis. Romae ab anno 1920.

Comp. Const. Ap. p.—Compendium Apost. Const. et Decretorum. 1874.

Constit. n.—Constitutiones novissimae Ordinis Nostri. 1928. (1).

Const. MM. O. N. n.—Constitutiones Monialium Ordinis Nostri. 1927.

Craisson. Man. n.—Manuale Juris Canonici. 4.ª editio. 1875.

Craisson. n.—Législation canonique des communautés religieuses à voeux simples. 1869.

Daris. IV. 6.—Praelectiones canonicae 1863.

De Ang. III -40.—De Angelis. Praelectiones Juris Canonici. 1877.

De Brab. n.—De Brabandere. Juris canonici et juris canonico-civilis.

» Compendium. 5.ª editio. 1894.

Decr. auth. n.—Decreta authentica S. C Indulgentiarum (editio Pustet). 1883.

Decr. auth. n.—Decreta authentica S. R. C. (1898-1927).

Fanfani. n.—De Jure Religiosorum. 1920

» —De Indulgentiis. Romae. 1919.

Ferr.—Ferraris. Bibliotheca canonica.

Génicot. I.-18.—Theologiae Moralis Institutiones. 1897.

Gury.—P. I.—n.—Gury-Palmieri. Compendium Theologiae Moralis. 1894.

Gury.—F. I. n.—Gury-Ferreres. Comp. Theol. moralis. 1925.

Lehm. I. n.—Lehmkuhl. Theologia moralis. 11.ª editio. 1910.

Lez. p. n.—J. B. De Lezana. Ord. Carm. Summa quaestionum regularium. T. III. Mare Magnum Carm. 1678.

Lucidi. I.-19.—Ang, Lucidi. De Visitatione SS. Liminum. 2.ª editio. 1878.

Instr. Prioris. n.—Instructiones O. N. Instructio Prioris.

Instr. de Cap. p.—De Capitulis Generalibus et Provincialibus in Ordine N. celebrandis Instructio practica. 1885.

Man. O. N. p.—Manuale O. N. 1886.

Marc. n.—Institutiones morales Alphonsianae. 17.ª editio. 1923.

Meynard. I. n.—Réponses canoniques et pratiques sur le gouvernement des Religieuses à voeux simples. 1897.

(1) Cum Constitutiones nostrae sint approbatae speciali modo et plene ac perpetuo confirmatae, die 10 jan. 1928, a S. Pontifice Pio XI feliciter regnante; pro nunc deservire possunt ad earum intelligentiam et interpretationem in primis Constitutiones primitivae sive Congregationis Italiae sive Hispaniae, Acta Capitulorum et Definitoriorum Generalium, Instructiones pro aliquibus Domibus, quatenus ab ipsis novissimis Constitutionibus correctae aut abrogatae non sint, et Ordinarium ac Manuale Ordinis nostri.

Monsano.—Collectio indulgentiarum 1897.
N. R. T. 23-136.—Nouvelle Revue Théologique.
Ord. O. N. p. n.—Ordinarium Ordinis Nostri. 1910.
Pejska.—Jus Canonicum Religiosorum. 3.ª editio. 1927.
Pell. I.-36.—Pellizzarius, S. J. Manuale Regularium 1653.
Penn. I.-21.—Pennachi. Commentaria in Constitutionem Apost. Sedis. 1871.
Petr. ab Ang. p.—Petrus ab Angelis, O. N. Speculum Privilegiorum Regularium. 1681.
Piat. II.-118.—Piatus. Praelectiones Juris Regularis. 3.ª editio. 1906.
Praxis Cr. p.—Instructio seu praxis criminalis pro O. N. 1701.
Praxis Visit. p.—Instructio seu praxis Visitationis faciendae a Visitatoribus O. N. 1852.
Privil. O. N. p.—Privilegia O. N. Romae. 1617.
Prümmer. O. P.—Manuale Juris Canonici. 3.ª editio. 1922.
Putzer. n.—Commentarium in Facultates Apostolicas. 5.ª editio. 1898.
Rot. III.-8.—*Rotarius. Theologia moralis Regularium.* 1735.
S. C. C.—S. Congregatio Concilii.
S. C. Ep. et R.—S. Congregatio Episcoporum et Regularium.
S. C. pro Relig.—S. Congregatio pro Religiosis.
S. R. C.—S. Rituum Congregatio.
S. C. Indulg —S. Congregatio Indulgentiarum.
Salm. Tr. c. n.—Salmanticenses morales Ordinis Nostri.
Sanguinetti. p.—Institutiones Juris canonici. 2.ª editio. 1890.
Santi. I.-39.—Praelectiones Juris canonici. 1886.
Soreth. p.—B. Joannes Soreth. O. Carm. Explicatio Regulae, O. N. Nova editio. 1894.
Suarez. 16.-316.—*Opera omnia.* Nova editio. 1856.
Summarium Indulgentiarum Privilegiorum Indultorum Ordinis Excalceatorum Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo. Romae. 1922.
Th. a J. n.—Ven. P. Thomas a Jesu, C. D. *Opera omnia,* tomus I in quo agitur de Regula Ord. N. 1684.
Th. a J. c. n.—De Regularium Visitatione. 1634.
Toso.—Commentaria minora ad Codicem Juris Canonici. Romae. 1923.
Vermeersch.—Epitome Juris Canonici. 1921-1923.
Zitelli. p.—Apparatus Juris Ecclesiastici. 1886.

N. B. II.—16. seu 2-16.—id est: Tom. 2. pag. 16.
II. n. 16.—id est: Tom. 2. numero 16.
p. II.—id est: pagina secunda.
p. n.—id est: pagina, numero.

MANUALE JURIS REGULARIUM

PARS PRIMA

Haec pars in quatuor dividitur capita, in quorum primo agetur de natura status religiosi; in secundo, de ejus origine, utilitate et necessitate; in tertio, de illius diversitate; in quarto de institutione novarum Religionum et de erectione Provinciae et domus.

CAPUT PRIMUM

DE NATURA STATUS RELIGIOSI

1.—Quaer. *Quid sit status in genere.*

Resp. Status quoad *nomen* significat quamdam positionem alicui enti naturalem, cum quadam immobilitate. Sic *Stare* dicitur homo, qui rectus in eodem loco permanet; duo nempe requiruntur, ut quis stare dici possit; primo ut sit rectus; secundo, ut sit fixus in eodem loco. Quando autem vox *status* metaphorice adhibetur ad designandos certos quosdam existendi seu vivendi modos, iis tantum recte applicari potest, qui per fixitatem seu permanentiam suam similitudinem quamdam habent cum homine stante, i. e. eodem in loco permanente. Ad essentiam autem status proprie dicti non sufficit stabilitas proveniens ex sola carentia mutationis, sed requiritur stabilitas ex causa aliqua, quae mutationem reddat vel impossibilem, vel saltem difficilem (1).

Quoad *rem,* status definiri potest: Quaedam conditio vitae mortalis aliquatenus ex se permanens in ordine ad aliquem finem.

2.—Q. *Quotuplex distinguatur status?*

R. Omnes qui ad Ecclesiam Christi pertinent, in tres distingui possunt statuum species, nempe: a) Conjugatorum, b) Clericorum, c) Religiosorum. Singuli enim constituunt specialem

(1) Cfr. Commentarium pro Religiosis, vol. I, pag. 22, ubi de *Status* natura satis erudite tractatur.

modum vivendi ex se immobilem, cum specialibus obligationibus inde defluentibus ad finem ejusdem speciei obtinendum. Inter illos eminet dignitate, excellentia et utilitate status religiosus, cujus finis est conducere hominem, qui eum suscipit, ad propriam suam perfectionem spiritualem adipiscendam, et propterea ad mentem canonis 487 «ab omnibus in honore habendus est».

3.—Q. *Quotuplici modo sumatur vox Religio?*

R. Vox *Religio* triplici modo sumitur, scilicet: 1.º pro *virtute,* qua Deo debitus exhibetur cultus; 2.º pro universitate seu communitate verum Deum rite colentium, et sic comprehendit *christianos,* unde etiam religio christiana dicitur; 3.º pro communitate, quae per *specialem* vivendi modum se Deo ejusque obsequio dedicat; et sic habetur religio Dominicanorum, Carmelitarum, etc.

De religione tertio hoc sensu accepta in praesenti est sermo, et definitur a Codice J. C., can. 488, n. 1, his verbis: «Societas a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt».

4.—Q. *Quid sit status religiosus proprie dictus?*

R. Est stabilis in communi vivendi modus, ab Ecclesia approbatus, quo fideles, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota obedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt.

Dicitur: a) *stabilis in communi vivendi modus*: status enim importat stabilitatem et permanentiam, ideoque dicitur *stabilis modus vivendi*: quia status religiosus est status vitae stricte sumptus, qui requirit magnam immobilitatem, quae tanta esse debet, ut homo, sine legitima dispensatione, deserendo talem statum libere electum, peccet contra legem tam divinam quam ecclesiasticam.

Quoad *vitam* autem *communem,* re quidem vera, status religiosus ex sua natura eam non requirit necessario; nam ratione *status* qua talis, non exigitur, quia hic solum dicit immobilitatem; nec exigitur ratione perfectionis, quia ad hanc tendere etiam potest, qui vitam agit solitariam. Ast *ex jure ecclesiastico hodierno* semper requiritur vita communis, ut patet ex can. 594, §. 1, haec praescribente: «In quavis religione vita communis accurate ab omnibus servetur etiam in iis quae ad victum, ad vestitum et ad supellectilem pertinent»; et ex can. 2.389, his verbis: «Religiosi legem vitae communis constitutionibus praescriptae in re notabili violantes, graviter moneantur et, emendatione non secuta, puniantur etiam priva-

tione vocis activae et passivae et, si Superiores sint, etiam officii». Et revera Ecclesia non approbat novam Congregationem religiosam, nisi in ea perfecta vita communis observetur.

Additur: b) *ab Ecclesia approbatus*; quae approbatio duo importat, *judicium* scilicet de Congregationis vel Regulae honestate atque utilitate; et *potestatem* Superioribus illius Congregationis concessam recipiendi candidatos ad habitum et professionem, et vota eorum, qui in ea profiteri volunt, nomine Ecclesiae recipiendi et acceptandi, et sic eos vere religiosos constituendi.

Disputatur equidem inter auctores, utrum haec approbatio *de jure divino*, ex ipsa status religiosi natura, requiratur, an dumtaxat *de jure ecclesiastico*. Alii approbationem negant requiri de jure divino; approbatio enim ab Ecclesia est quid extrinsecum statui religioso; siquidem status religiosus intrinsece idem manet sive accedat, sive non accedat Ecclesiae approbatio. Etenim observatio trium consiliorum evangelicorum, voto firmata, cum traditione sui ipsius Deo facta et a Deo acceptata, est id quod statum religiosum intrinsece constituit. Approbatio autem Ecclesiae est actus Superiorum ecclesiasticorum, quo talem illius status formam seu regulam bonam declarant, et ad praxim licite deduci posse decernunt. At ille actus statum non mutat.

Alii vero docent ad constituendum statum religiosum, Ecclesiae approbationem de jure divino requiri. Probatur: 1:º Quia absque hujusmodi approbatione Religio satis tuta in praxi esse nequit. Soli enim Superiores ecclesiastici judicare possunt, utrum illa Religio sit status acquirendae perfectionis: nam in omni Religione, ultra tria vota substantialia, sunt aliquae observantiae; et de illis omnino necessarium est, ut Ecclesia ferat judicium. 2.º Insuper ad constituendum statum religiosum necessarium est, ut vota nomine Dei acceptentur; sed Ecclesia sola nomine Dei acceptare potest. 3.º Tandem vota paupertatis et obedientiae auctoritatem Praelati requirunt spiritualem habentis jurisdictionem a Christo manantem, quae haberi nequit nisi mediante Ecclesia ejusque approbatione. Verum haec quaestio est mere speculativa, siquidem haec approbatio semper requiritur *ex jure ecclesiastico*.

Dicitur: c) *per vota obedientiae, castitatis et paupertatis*: nam 1.º status Religionis tendit ad perfectionem vitae christianae, quae requirit praxim consiliorum evangelicorum, paupertatis scilicet, castitatis et obedientiae, quibus coercetur triplex concupiscentia, carnis nempe, oculorum et superbiae. Et revera tria sunt impedimenta, quae obstare solent, ne homo ad perfectam Dei caritatem perveniat, videlicet: rerum temporalium sollicitudo, voluptatis illecebrae et propriae libertatis exercitium. E contra, trium dictorum consiliorum praxis, prae-

fata impedimenta removendo, facilem reddit perfectionis prossecutionem, ut recte probat D. Thomas, 2. 2.ae q. 186, art. 7. Cum autem ad rationem status requiratur causa aliqua permanentiam seu firmitatem inducens, atque homo stabilis nequeat reddi in observatione consiliorum per auctoritatem id ei *ab extrinseco* imperantem, obligatio proinde stabilitatis non poterit oriri nisi ex voluntaria et libera hominis promissione, seu voto Deo facto. 2.° Vota paupertatis, castitatis et obedientiae reperiuntur in omnibus Religionibus, ideoque sunt substantialia; sed hoc non impedit, quominus possint et alia superaddi, v. gr., votum ministrandi infirmis etiam peste infectis, vel dignitates non ambiendi, etc.

5.—Q. *Quomodo distinguantur vota religiosa?*

R. Multiplici modo distingui possunt; ast omissis aliis distinctionibus, quae ad scopum intentum minus conducunt, distinguuntur in vota *sollemnia* et *simplicia*. Votum *sollemne,* ex praescripto canonis 1308, § 2, si ab Ecclesia uti tale fuerit agnitum; secus *simplex*. Ratio ob quam dicitur *sollemne,* desumitur ex analogia cum contractibus et testamentis, quae *sollemnia* dicuntur, quando eisdem conficiendis civilis potestas intervenit, sive per personam publicam, sive per ritus lege determinatos; quare Respublica speciali ratione sub sua tutela ea recipit. Conceptus propterea proprius sollemnitatis votorum est hic interventus ecclesiasticae auctoritatis in eorum nuncupatione, et confirmatio eorum per eamdem auctoritatem, quae hoc pacto ea sub speciali sua custodia suscipit.

6.—Q. *An vota sollemnia specie differant a votis simplicibus?*

R. Ratione *voti* non videtur esse essentialis distinctio inter religiosa vota simplicia et sollemnia, ait P. Prümmer, Man. J. C., q. 172. Etenim utrumque votum est publica promissio paupertatis, castitatis et obedientiae in obsequium Dei facta. Ratione autem effectuum juridicorum est essentialis distinctio inter votum simplex et sollemne, hoc enim, e. g. dirimit matrimonium subsequens, quod non efficit, sua natura votum simplex, et etiam solvit antecedens ratum, sed solummodo post emissionem voti sollemnis per professionem religiosam.

7.—Q. *An vota sollemnia sint de essentia status religiosi?*

R. Quamvis nonnulli id affirmarint, negativa sententia videtur esse certa, ut constat ex Bulla Gregorii XIII: «Ascendente Domino» 25 Maji 1584, qua Pontifex declaravit omnes, qui in Societate Jesu vota simplicia emiserint, esse semperque fuisse *vere et proprie Religiosos,* non secus ac sollemniter

professos. Rationem adjungit Pontifex «quia voti sollemnitas sola Ecclesiae constitutione inventa est, triaque vota, tametsi simplicia, ut substantialia Religionis vota ab hac Sede fuerunt admissa, illa emittentes in statu *Religionis vere* constituuntur, quippe qui per ea ipsa se Societati dedicant, atque actu tradunt, seque divino servitio in ea mancipant, tamquam in Religione approbata. Sunt ergo Religiosi ex ipsa rei natura. Inde liquido consequitur, quamcumque aliam Societatem sive Congregationem cum solis votis simplicibus a Sede Apostolica approbatam, esse de jure divino, attenta status religiosi natura, Institutum *vere et proprie religiosum,* etsi in ea nulli sollemniter professi reperiantur. Vota igitur sollemnia non sunt de essentia status religiosi, quamvis ad *Ordinem,* ex can. 488, n. 2.º, vota sollemnia requirantur.

8.—Q. *Quaenam requirantur ad verum statum religiosum?*

R. Quinque, quae sunt velut elementa omnino essentialia ad constituendum statum religiosum, nempe: 1.º Evangelicae perfectionis praxis; 2.º Vota publica, elapso tempore renovanda, si temporaria; 3.º Regula et Constitutiones propriae; 4.º Societas seu adunatio plurium; 5.º Approbatio ecclesiasticae auctoritatis.

9.—Q. *An unum ex tribus votis ab eodem religioso emissis, possit esse sollemne, alia vero simplicia?*

R. Juxta praesentem Ecclesiae disciplinam et sollemnis professionis naturam, votum unum non potest esse sollemne sine aliis. Siquidem in casu quo professio sollemnis sit valida, omnia vota sunt sollemnia; si vero professio sollemnis non est valida, nullum votum est sollemne, ut respondit S. Poenitent. 28 nov. 1868.

10.—Q. *An Moniales Galliae et Belgii profitentes in iis Religionibus, quae ex jure communi vota sollemnia habent, ut Carmelitae, Benedictinae, vota sollemnia emittant?*

R. Negative, ut patet ex Decreto Sacrae Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, die 23 Junii 1923, in quo, praeter alia, sequentia statuuntur, n. III: «Nihil vero obstare in praesenti quominus, si quod monasterium id postulaverit, vota sollemnia, servata clausurae papalis lege, moniales emittere queant, dummodo id ab Apostolica Sede obtineant». Ergo vota sollemnia non emittunt, alias ab Apostolica Sede id obtinere non deberent, ut in praefato Decreto requiritur.

11.—Q. *An hujusmodi moniales monasteriorum in Gallia et in Belgio sint moniales proprie et stricte dictae?*

R. Affirmative, ut constat ex predicto Decreto, n. I, his verbis: «In Gallia et in Belgio moniales monasteriorum, quae Regulas Ordinum Regularium profitentur, seu quarum vota ex instituto sunt sollemnia, quamvis vota dumtaxat simplicia emittant, esse vere moniales juris pontificii ad sensum can. 488, § 7, prout ceterae moniales in Ecclesia universa» (1).

12.—Q. *An Religiosi Galliae et Belgii profitentes in Ordinibus, ad sensum can. 488, n. 2.°, vota vere et proprie sollemnia emittant?*

R. Affirmative; admittendum enim est Jus commune pro eis vigere, nisi obstet, vel praesens conditio legis civilis, vel derogatio aliqua Sedis Apostolicae; si enim nihil obstat ex alterutra parte, integrum servatur jus emittendi vota sollemnia *Ordinibus* ab Ecclesia concessum: porro nihil prorsus obstat ex alterutra parte; ergo.

Nam, 1.º nihil obstat ex parte potestatis civilis. Cum enim sollemnitas votorum ejusdemque effectus sint undequaque res spirituales, lex civilis, quaecumque sit, nec eam constituere, nec impedire, nec quam minimum immutare *directe* potest contra instituta ab Ecclesia; neque *indirecte,* cum haec sollemnitas nullatenus regimini politico officere possit. Constat etiam ex absurdis, quae inde sequerentur. Hoc enim admisso, vota sollemnia non possent emitti in regionibus, quae Principibus infidelibus aut haereticis subjiciuntur; quod tamen praxi et doctrinae constanti Ecclesiae adversatur. 2.º Nulla quoque obstat derogatio Sedis Apostolicae. Nam quod pro Monialibus Galliae et Belgii S. Sedes statuit, id nullibi pro viris Religiosis saltem universim, statutum comperimus. Nullum enim proferri potest documentum, nulla Constitutio Apostolica, nullum decretum, nulla declaratio SS. Congregationum e quibus ostendatur Ecclesiam, seu R. Pontificem hac in parte conditioni Religiosorum et Juri communi derogasse.

E contra ex documentis, quae Moniales respiciunt, tam accurata semper fit inter eas et viros Religiosos distinctio, ut nova juris dispositio nulla inductione ad viros extendi possit: sic inter alia S. Poen. ad Ep. Cen. 23 Dec. 1835, ad dubium IV: «An de votis virorum idem dicendum sit ac de votis Monialium, uti videtur?» Respondit: *Decreta per S. Poenitentiariam alias edita spectare solummodo ad Moniales.*

Praeterea non obstantibus legibus civilibus, *Sedes Apostolica*

(1) Ex Actis Ap. Sed., vol. XV, p. 357.

positive admisit vota sollemnia in instaurata Religione Benedictina in Galliis: adeoque hujus saltem Ordinis membra veri sunt Religiosi, et vota sollemnia habent. Quare idem non foret dicendum de ceteris, pro quibus Juri communi non fuit derogatum?

Stant igitur haec duo, scilicet: a) in Gallia et Belgio dari vota sollemnia in Ordinibus virorum; b) hanc sollemnitatem universim et ex Jure communi obtinere in Ordinibus ab Ecclesia approbatis, nisi dispositione speciali pro aliquo, vel alicujus parte derogatum sit.

Hanc autem sententiam, alioquin omnino tenendam, impugnare conantur nonnulli, ut Lyonnet, (De Just. p. I, c. 1), et Carrière (De Just. n. 224), asserentes legem civilem reapse obstare professioni sollemni; lex enim civilis statuit omnes cives habiles esse ad contractus ineundos et successiones accipiendas: porro Religiosi sollemniter professi, vi voti paupertatis sollemnis ad hoc inhabiles fiunt; ergo.

R. 1.º Lex civilis nullatenus obstare potest votis sollemnibus, quia materia voti, cum sit mere spiritualis, lege civili attingi nequit, ne indirecte quidem; secus enim potestas civilis Ecclesiae leges dirimere posset. Hinc Pius VI reclamavit contra Constitutionem civilem cleri Gallicani, qua declarabatur *Gubernium nequaquam recognovisse sollemnia* Religiosorum vota. (Breve «Quod aliquantum». 10 Mart. 1791). Et nuperrime Pius IX inter usurpationes, quas detestatur in quibusdam Americae locis, istud reponit, scilicet *Religiosas familias neminem sine Gubernii permissu ad vota sollemnia nuncupanda admittere posse.* (Alloc. in Consistorio 15 Dec. 1856).

2.º Lex spectanda est, ut effectus mere externos habens, et sic omnia componuntur. Insuper habilitas legalis ad possidendum, cunctis civibus concessa, est jus naturae; huic autem juri privati cives renuntiare possunt. (Cfr. Gury—Palm. I. n. 1138).

CAPUT II

DE ORIGINE, UTILITATE ET NECESSITATE STATUS RELIGIOSI

13.—Q. *Quo jure institutus sit status religiosus?*

R. Status religiosus secundum se et quoad substantiam ab ipso Christo Domino immediate traditus et institutus fuit; atque eo sensu dici potest esse de jure divino non praecipiente, sed consulente. (Ita Suarez, De Religione, tract. 7, lib. 3, cap. 2, n.º 2).

Et verum, Christus Dominus non solum dedit praecepta, sine quorum observatione non potest obtineri regnum caelorum; sed insuper *consilia,* quae proposuit pro his, qui volunt perfectionem christianae caritatis assequi. Loquens enim de castitate

dixit: «Sunt eunuchi, qui seispsos castraverunt propter regnum caelorum: qui potest capere, capiat. (Matth. XIX, 12). Et de paupertate: Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo, et veni, sequere me». (l. cit. 21). Et de obedientia: «Si quis vult post me venire, abneget semetipsum» (Matth. XVI, 24). Atqui substantia status religiosi in his tribus consiliis voto firmatis consistit. Ergo hic status ab Ipso Christo traditus et institutus est.

Si vero status religiosus consideretur quoad determinatum et particularem vivendi modum sive regulam, est juris ecclesiastici, cum pendeat ab approbatione Ecclesiae: nam labentibus saeculis, viri sanctitate conspicui excogitaverunt determinatum modum vivendi in statu religioso, quem Ecclesiae approbationi proposuerunt. Antiquitus approbatio haec fiebat ab Ordinariis locorum, nunc autem requiritur approbatio S. Sedis. Etsi enim Episcopi possint condere novas Congregationes religiosas, «sed eas, ex praescripto can. 492, § 1, ne condant neve condi sinant, inconsulta Sede Apostolica»; et servando Normas, de quibus infra, secundum quas S. Congregatio de Religiosis procedere solet in approbandis novis Institutis votorum simplicium.

14.—Q. *An status religiosus sit utilis?*

R. Affirmative: 1.º Qui hujusmodi vitam amplectuntur Ecclesiam eximiarum virtutum exercitio illustrant. 2.º Suis exemplis, praedicationibus, exercitiis spiritualibus, missionibus vitam vere christianam in Clero et populo servant et propagant. 3.º Fidem christianam ad populos infideles ferunt. 4.º In eo statu acquiritur major perfectio, via ad caelum assumitur securior. 5.º Imo non parvum scientiis, tum ecclesiasticis tum profanis, adfert commodum.

15.—Q. *An status religiosus sit necessarius?*

R. Affirmative, si spectetur quoad substantiam, non vero quoad modum. Prob. 1.ª pars: Ecclesia gaudere debet dote sanctitatis non solum internae, sed etiam externae et publicae; sed ad externam sanctitatem requiritur non tantum observantia praeceptorum, sed etiam professio consiliorum evangelicorum. Et revera, a primis quoque saeculis, imo ab exordio propagationis christianae Religionis, qui profiterentur consilio haec tria evangelica cum stabilitate non defuerunt.

Prob. 2.ª pars: Initio Ecclesiae non videtur determinatam et certam disciplinam seu regulam iis impositam fuisse, qui consilia evangelica profitebantur. Unde quoad modum dici nequit necessarius, quamvis sit utilissimus; ad rem faciunt illa praeclarissima verba Domini N. Jesu Christi ad S. Matrem N. Theresiam: «que qué sería del mundo si no fuese por los religiosos» (Autobiografía, cap. XXXII, n. 11).

Inde Ecclesia jus proprium habet ea ordinandi, quae ad perfectionem vitae christianae spectant, ut fideles libere consilia evangelica sequi valeant. Ideo abolitio Regularium a gubernio civili decreta laedit statum publicae professionis consiliorum evangelicorum, laedit quoque jura Ecclesiae.

CAPUT III

DE VARIETATE STATUS RELIGIOSI

16.—Q. *Unde proveniat varietas status religiosi?*

R. Quamvis omnes Ordines Religiosi conveniant in fine essentiali, nempe in perfectione propia assequanda, et in mediis essentialibus, scilicet in triplici voto paupertatis, castitatis et obedientiae; attamen status religiosus, praeter finem primarium omnibus Religionibus communem, alios fines secundarios, vel minus principales habet; itemque praeter vota essentialia, alia media propria, sive ad obtinendum finem proximum unicuique ordini proprium. Unde diversitas Ordinum Religiosorum exsurgit, tum ex diversitate finis proximi, tum ex diversitate mediorum accidentalium, nempe Regularum.

Ratione *finis proximi,* Ordines generatim in tres distinguuntur classes, quatenus vitam contemplativam, vel activam, vel mixtam profitentur. Religiones contemplativae principaliter contemplationi rerum caelestium et orationi vacant. Religiones activae principaliter se exercent in operibus misericordiae et caritatis erga proximum, sive spiritualibus, sive corporalibus. Religiones autem mixtae utramque vitam contemplativam et activam conjungunt. Etsi in se vita contemplativa melior sit quam activa, in praesenti tamen conditione vita mixta supremum tenet gradum, quia, sicut magis est illuminare quam lucere tantum, sic magis est contemplata aliis ex caritate tradere, quam contemplari tantum. Vita autem contemplativa praeponitur activae juxta illud Christi: «Maria optimam partem elegit». Lucae X, 42. Cfr. S. Thom. 2. 2, q. 188, art. 6).

Ratione *mediorum,* quinque sunt Regulae principaliores, nempe: Regula S. Basilii, S. Augustini, S. Benedicti, S. Francisci et S. Alberti (Carmelitana). Unam ex his Regulis amplexati sunt plerique aliorum Ordinum fundatores, adjectis particularibus statutis seu constitutionibus quibus suam quisque familiam ad proprium finem adducerent.

17.—Q. *An utile sit quod detur in Ecclesia varietas Ordinum et Congregationum?*

R. Affirmative. Illa enim varietas divina Providentia inducta est, et sic adaptatur variis conditionibus et complexionibus

statum religiosum suscipientium; et subvenitur variis necessitatibus in Ecclesia existentibus.

18.—Q. *Ad quot praecipuas species reduci possit tota Ordinum diversitas?*

R. Ad quinque sequentes, videlicet: 1.º *Monachales*, qui vi proprii Instituti non ordinantur ad ministeria Clericorum, sed principaliter profitentur vitam contemplativam, ut Carthusiani, Cistercienses, Benedictini, etc. 2.º Ad *Clericales*, qui ex proprio Instituto ministeriis spiritualibus occupantur et ad hoc deputantur ordinatione ecclesiastica, ut omnes clerici regulares, Jesuitae, canonici regulares, etc. 3.º Ad *Mendicantes*, qui vitam activam contemplativae jungentes, vi proprii Instituti possessionem bonorum immobilium excludunt et vivunt ex piorum largitionibus et eleemosynis, ut Eremitae S. Augustini, Dominicani, Carmelitae, Franciscani, Servitae, Minimi. Mendicantes, qui *nec in communi*, ut Capuccini, possident bona, vocantur et sunt stricte mendicantes. 4.º Ad *Militares*, qui ordinabantur ad militandum pro defensione fidei christianae et Ecclesiae catholicae adversus barbaros aliosque ejusdem hostes, ut Templarii, equites Teutonici, etc. 5.º Ad *Hospitalarias*, qui ex scopo Instituti ordinantur ad exercitium hospitalitatis quoad receptionem peregrinorum, curationem infirmorum, ut Alexiani, Fratres de Caritate, etc. (Cfr. De Angelis, III, 89 et Grandclaude, II, 414).

19.—Q *Quid determinet novus Codex J. C. circa significationem nonnullorum verborum?*

R. Sequentia accurate determinantur in canone 488: 1.º Nomine *Religionis* venit societas, a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt»; quare etiam instituta dioecesana ab Episcopo legitime approbata sub nomine *religionis* veniunt, dummodo vota temporaria, elapso tempore renovanda, emittant eorum sodales.

2.º Nomine *Ordinis* venit religio, in qua vota *sollemnia* nuncupantur; *Congregationis monasticae*, plurium monasteriorum sui juris inter se conjunctio sub eodem Superiore; *religionis exemptae*, religio sive votorum sollemnium sive simplicium, a jurisdictione Ordinarii loci subducta; *Congregationis religiosae* vel *Congregationis* simpliciter, religio in qua vota dumtaxat simplicia sive perpetua sive temporaria emittuntur;

3.º Nomine *Religionis juris pontificii*, venit religio quae vel approbationem vel saltem laudis decretum ab Apostolica Sede est consecuta; *juris dioecesani*, religio quae ab Ordinariis erecta, hoc laudis decretum nondum obtinuit;

4.º Nomine *Religionis clericalis* venit religio cujus plerique sodales sacerdotio augentur; secus est *laicalis*;

5.º Nomine *Domus religiosae* venit domus alicujus religionis in genere; *domus regularis,* domus Ordinis; *domus formatae,* domus religiosa in qua sex saltem religiosi professi degunt, quorum, si agatur de religione clericali, quatuor saltem sint sacerdotes;

6.º Nomine *Provinciae* venit plurium religiosarum domorum inter se conjunctio sub eodem Superiore, partem ejusdem religionis constituens;

7.º Nomine *Religiosorum* venit qui vota nuncuparunt in aliqua religione; *religiosorum votorum simplicium,* qui in Congregatione religiosa; *regularium,* qui in Ordine; *sororum,* religiosae votorum simplicium; *monialium,* religiosae votorum sollemnium aut, nisi ex rei natura vel ex contextu sermonis aliud constet, religiosae quarum vota ex instituto sunt sollemnia, sed pro aliquibus locis ex Apostolicae Sedis praescripto sunt simplicia;

8.º Nomine *Superiorum majorum,* Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae, Abbas monasterii sui juris licet ad Monasticam Congregationem pertinentis, supremus religionis Moderator, Superior provincialis, eorundem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes.

CAPUT IV

DE INSTITUTIONE NOVARUM RELIGIONUM, NECNON DE ERECTIONE ET SUPPRESSIONE RELIGIONIS, PROVINCIAE ET DOMUS RELIGIOSAE

Hoc caput in tres dividitur articulos, quorum primus erit de institutione et suppressione novarum Religionum; secundus de erectione et suppressione Provinciae et Congregationis monasticae; tertius de erectione et suppressione Domus religiosae.

ARTICULUS I

DE INSTITUTIONE ET SUPPRESSIONE NOVARUM RELIGIONUM

20.—Q. *Cuinam competat instituere novas Religiones?*

R. Antiquitus Episcopi in sua dioecesi valebant instituere novas Religiones, consentientibus saltem tacite RR. Pontificibus, at postea lege positiva Sedi Apostolicae haec potestas reservata fuit. Concilium enim Lateran. IV, anno 1215 haec decrevit: «Ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei confus-

sionem inducat, firmiter prohibemus ne quis de cetero novam Religionem inveniat, sed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religiosam domum de novo fundare, regulam et institutionem accipiat de approbatis».

In Concilio autem Lugdunensi II, anno 1274, Gregorius X praecedentem Constitutionem confirmavit ampliavitque, et cunctas Religiones et Ordines mendicantes, post Concilium Lateran. adinventos, qui nullam a Sede Apostolica obtinuerant confirmationem, perpetuae subjecit prohibitioni.

Iterato hanc prohibitionem renovarunt S. Pius V anno 1566 pro Monialibus per suam Constitutionem «Circa pastoralis», quam confirmavit Gregorius XII, sua Constit. «De sacris virginibus», et denuo S. Pius V, per suam Constit. «Lubricum vitae genus» 1 dec. 1568, edixit, ut membra hujusmodi Congregationum votorum simplicium intra mensem aut vota sollemnai emiterent, aut discederent. (Cfr. De Angelis, III, 84).

21. At deinde ab hac severitate recessum est ex indulgentia et benignitate S. Sedis, et ultimis temporibus, integra permanente lege quoad Ordines religiosos, mox invaluit recognoscendi ut canonice erecta instituta votorum simplicium per solam episcopalem autoritatem approbata; hanc praxim ipse Leo XIII per Bullam «Conditae», diei 8 dec. an. 1900, sub quibusdam limitibus confirmavit.

Post Codicis J. C. promulgationem, sequentia statuta sunt circa competentiam ecclesiasticae auctoritatis in condendis seu approbandis novis Religionibus.

«Episcopi, non autem Vicarius Capitularis vel Vicarius Generalis, condere possunt Congregationes religiosas; sed eas ne condant neve condi sinant, inconsulta Sede Apostolica; quod si agatur de Tertiariis in communi viventibus, requiritur praeterea ut a supremo Moderatore primi Ordinis suae religioni agregentur» (can. 492, § 1).

Praeterea servandae sunt novae Normae, secundum quas S. Congr. de Relig. in novis religiosis Congregationibus approbandis procedere solet, confirmatae et novo Codici accommodatae a Benedicto XV, die 6 mart. 1921. (Cfr. Append. I).

Approbatio requisita. Cum ergo quilibet fidelis, sive vir sive vir sive mulier, a Deo motus et vocatus, novam religionem condere possit, ante omnia debet ecclesiasticae auctoritati eam pro approbatione proponere; cum enim religio, ex can. 488, n. 1, sit societas a legitima ecclesiastica auctoritate approbata; unquam habetur nova religio ut vere et canonice erecta, nisi accesserit Ecclesiae approbatio.

Antequam vero Ordinarius loci novam Congregationem religiosam approbet, observet opus est ea quae Motu Proprio «Dei Providentis», die 15 jul. 1906, Pius X mandavit his verbis:

«Nullus Episcopus aut cujusvis loci Ordinarius, nisi habita Apostolicae Sedis per litteras licentia, novam alterutrius sexus sodalitatem condat aut in sua dioecesi condi permittat» (1) Idem praescripserat Leo XIII per Bullam «Conditae a Christo» diei 8 dec. an. 1900 (2), quod et confirmant tam Codex J. C., can. 492, § 1, ut supra dictum est, quam *Normae*, n. 3, his verbis: «Quoties aliquis Episcopus, juxta canonem 492, § 1, novam aliquam religiosam votorum simplicium Congregationem condere opportunum judicaverit, re adhuc integra, Sacram Congregationem de Religiosis adeat, eam distincte docendo de iis, quae necessaria sunt, ut ipsa Sacra Congregatio de opportunitate novae fundationis mature judicare possit».

Quoad cetera, de quibus Ordinarius loci informare debet Sacram Congregationem de Religiosis, ad obtinendam licentiam pro nova Congregatione religiosa condenda, distincte et clare praescripta reperiuntur in praedictis *Normis*.

22.—Q. *Cuinam competat novam Religionem supprimere?*

R. Quaelibet religio etiam juris dioecesani tantum, semel legitime condita, etiamsi unica domo constet, supprimi nequit nisi a Sancta Sede, cui etiam reservatur de bonis in casu statuere, semper tamen salva offerentium voluntate» (can. 493).

23.—Q. *Quaenam sit conditio canonica Congregationum religiosarum cum approbatione Episcopi erectarum?*

R. Domus praedictarum Congregationum est certo locus religiosus, utpote auctoritate ecclesiastica erectus, et etiam eorum sodales, qui vota simplicia nuncuparunt, sunt vere religiosi ad sensum canonis 488, n. 7.º, et ideo religiosorum privilegiis, non tamen exemptionis, fruuntur.

ARTICULUS II

DE ERECTIONE ET SUPPRESSIONE PROVINCIAE ET CONGREGATIONIS MONASTICAE

24.—Q. *Quid veniat nomine Provinciae?*

R. Provincia est plurium religiosarum domorum inter se conjunctio sub eodem Superiore; partem ejusdem religionis constituens (can. 488, n. 6.º).

Dicitur *sub eodem Superiore*; ita scilicet ut Superior Pro-

(1) Cfr. Acta Sanctae Sedis, 39, 344.
(2) Cfr. Acta Sanctae Sedis, 33, 341.

vincialis non sit supremus Moderator, sed tum ipse tum fratres uniuscujusque Provinciae ab alio supremo Moderatore ejusdem religionis plenam jurisdictionem in omnes et singulas provincias habente, dependeant. Numerus ergo determinatus domorum ad erectionem Provinciae non requiritur jure communi: jure nostro requiruntur quinque Conventus, ut infra dicetur

25.—Q. *Quid sit Congregatio monastica?*

R. Est plurium monasteriorum sui juris inter se conjunctio sub eodem Superiore (can. 488, n. 2.º), Dicitur *sui juris*, id est, ex natura sua ad invicem independentia, etsi de facto unita inveniantur. In hoc enim differt *Provincia* a *Congregatione Monastica*, quod in hac, etsi plurima monasteria plus minusve unita de facto inveniantur sub eodem Superiore, possent tamen etiam seorsim vivere et religionem constituere, e. gr. monasteria benedictina Congregationis Sublacensis; dum domus Provinciam constituentes ex natura sua habent dependentiam a Provincia, et tantum una cum ipsa religionem constituunt, ut singulae domus in Ordine Carmelitarum et S. Francisci, etc.

26.—Q. *Ad quem pertineat distributio Religionis in Provincias vel in monasticas Congregationes?*

R. «Religionem *pontificii juris* in provincias dividere, constitutas jam provincias conjungere vel aliter circumscribere, novas condere..... ad unam pertinet Sedem Apostolicam» (can. 494, § 1). Dicitur, *juris pontificii*, quia dum religio manet *juris dioecesani*, ad ipsum Superiorem supremum religionis pertinet determinare, ad normam propriarum Constitutionum, vel ad Episcopos a quibus religio dependet.

«Monasteria sui juris a monastica Congregatione separare et alii unire, ad unam pertinet Sedem Apostolicam» (can. 494, § 1).

27. *Quoad erectionem novae Provinciae*, in primis praescribunt nostrae Constitutiones, n. 479, quod nulla Provincia in posterum erigatur, nisi habeat saltem triginta Patres Capitulares et quinque Conventus, quorum saltem duo sint Prioratus: et «Capituli Generalis est causas expendere quae Provinciarum divisionem, erectionem aliasve mutationes exigant aut suadeant, easque per majorem suffragiorum partem approbatas, Sanctae Sedis decisioni subjicere» (n. 478). Requiritur ergo semper licentia S. Sedis ad erectionem novae Provinciae, saltem in religionibus juris pontificii.

«Volumus autem ut, immutato quoque modo statu alicujus Provinciae aut Semiprovinciae Priores seu Vicarii canonice electi, Suppriores et Discreti Conventuum in suo quisque munere perseverent usque ad tempus Capituli seu congressus triennalis, nisi quis ratione mutationis alio translatus fuerit, aut aliter

Apostolica Sedes decreverit. Pariter, quicumque electi ad quaelibet officia in Provinciis aut Semiprovinciis noviter erectis, ut mox dicetur, usque ad proximum Capitulum seu Congressum ordinarium tantum in officio perdurent; reeligi tamen poterunt ad aliud triennium electione ordinaria, servatis de jure servandis» (n. 481).

«Cum ergo nova Provincia erecta sit, a Capitulo Generali vel, extra Capitulum, a Definitorio Generali eligantur Provincialis et Definitores illius Provinciae; Definitorium autem Provinciale statim per secreta suffragia ceteris officiis forte vacantibus provideat; deinde convocet Capitulum Provinciale extraordinarium in quo vocem habeant Provincialis, Definitores, Priores, eorum Socii et Procuratores Vicariatuum; in hoc autem Capitulo eligentur Socii et Substituti ad Capitulum Generale, et etiam, si opus fuerit, de urgentioribus Provinciae negotiis agi poterit» (n. 482).

«Erecta vero Semiprovincia, ad Capitulum Generale vel, extra Capitulum, ad Definitorium Generale pertinet non modo Vicarium Provincialem ejusque Consiliarios, sed etiam Priores et Vicarios Conventuum eligere, ubi forte desint; Vicarius autem Provincialis cum suis Consiliariis ceteris officiis vacantibus statim provideat, convocetque Congressum, in quo vocem habebunt Vicarius ipse Provincialis, ejus Consiliarii, Priores, eorum Socii, ac Procuratores Vicariatuum; ibique eligatur substitutus Vicarii Provincialis ad Capitulum Generale, et insuper, si necessarium videatur, de urgentioribus negotiis Semiprovinciae pertractetur» (n. 483).

28.—Q. *Ad quem pertineat Provincias et Congregationes monasticas supprimere?*

R. «Si religio est juris pontificii, provincias canonice erectas supprimere ad unam pertinet Sedem Apostolicam et idem dicendum de monasticis Congregationibus» (can. 494, § 1).

«Extincta provincia, de ejus bonis statuere, salvis justitiae legibus et fundatorum voluntate, spectat, nisi constitutiones aliud caveant, ad Capitulum Generale vel, extra tempus Capituli, ad Moderatorem Generalem cum suo Consilio» (ib. § 2).

Idem disponunt nostrae Constitutiones n. 630.

ARTICULUS III

DE ERECTIONE ET SUPPRESSIONE DOMUS

29.—Q. *Quid et quotuplex sit domus religiosa?*

R. 1.º Est locus in quo plures sodales ejusdem religionis communiter et habitualiter degunt. In Codice J. C. *monasterium* non domum religiosam in genere designat nec quamlibet do-

mum regularem, sed quandoque sumitur pro domo monachorum vel canonicorum regularium, frequentius vero, ut patet ex can. 547, 548 et 550, § 1, pro domo regulari monialium, et nihil refert, ad hoc ut domus possit monasterium appellari, quod *actu,* vota sollemnia non emittantur. Ita Comment. pro Relig. III, p. 133. 2.º Multiplex est domus religiosa, nam potest esse *formata* (1), et est domus «in qua sex saltem religiosi professi degunt, quorum, si agatur de religione clericali, quatuor saltem sint sacerdotes» (can. 488, 5.º); vel *non formata,* si minus quam sex religiosi professi ibi habitualiter morentur, vel etsi sex, eorum quatuor, quoties de religione clericali agitur non sunt sacerdotes; potest esse *sui juris,* si ab aliis Superioribus religionis, praeter quam a Superioribus localibus, non dependet; vel *non sui juris,* si, praeter Superiores locales, alios quoque Superiores religiosos habet, v. gr.: Provincialem, Generalem, a quibus dependet.

30.—Q. *Quaedam de jure requirantur ad erectionem novae domus religiosae?*

R. Tria genera domorum, ex can. 497, distinguenda sunt: 1.º domus juris dioecesani; 2.º domus juris pontificii, sed non exempta; 3.º domus exempta cui aequiparantur monasteria monialium et in locis S. Congr. de Prop. Fide subjectis omnes omnino domus religiosae.

His praesuppositis: 1.º Ad erigendam domum juris dioecesani, semper requiritur licentia Ordinarii loci, ubi est domus princeps et insuper licentia Episcopi loci, in quo nova domus erigenda est. Ordinarius autem loci unde excedit, consensum sine gravi causa ne deneget (can. 495, § 1).

Si ad dioeceses alias eam (congregationem religiosam) propagari accidat, nihil de ipsius legibus mutari liceat, nisi de consensu singulorum Ordinariorum quorum in dioecesibus aedes habeat, salvis iis quae, ad normam can. 492, § 1, Sedi Apostolicae fuere subjecta (ibid. § 2).

2.º Ad erigendam domum religiosam *exemptam,* formatam vel non formatam ac monasteria monialium, et ad quamcumque domum religiosam erigendam in locis S. Congr. de Prop. Fide subjectis, requiritur beneplacitum Apostolicae Sedis et Ordinarii loci consensus in scriptis datus (can. 497, § 1). Alias formalitates praescribunt nostrae Constitutiones, ut videri potest, n. 206.

31. Quae dicta sunt de erectione novae domus religiosae, valent quoque de translatione ab una in aliam partem ejusdem loci, saltem si aperienda est ecclesia vel oratorium publicum ex praescripto can. 1162, § 4, et de conversione ejus in alios

(1) Cfr. Commentarium pro Religiosis, III, pag. 50.

usus, salvis fundationis legibus, praeter eos, qui ad internum regimen et disciplinam religiosam dumtaxat referuntur (can. 497, § 4).

Antequam Episcopus det consensum ad novam domum erigendam, vocare debet et audire Priores seu Procuratores aliarum domuum religiosarum ejusdem civitatis, parochum aliosque interesse habentes ad informationem, utrum domus religiosa noviter erigenda aliis causet notabile et grave detrimentum in quaestu elemosynarum et liberis oblationibus: quod si reclamationes illorum, quorum interest, sint illegitimae, non tenetur Episcopus eis cedere, sed secundum suam conscientiam et prudentiam rem decernat, bonum spirituale fidelium prae oculis habens. Aliquando parochus erectioni domus religiosae se opponit, quia timet imminutionem concursus populi in ecclesia paroeciali aut oblationem spontanearum, sed Curia Romana identidem declaravit has rationes insufficientes esse. In genere praescribitur, can. 1162, § 3, ne nova ecclesia ceteris jam exsistentibus detrimentum afferat, majori fidelium spirituali utilitate non compensatum, Ordinarius, antequam consensum praebeat, audire debet vicinarum ecclesiarum rectores quorum intersit.

«Etiam sodales religiosi, licet consensum constituendae novae domus in dioecesi aut civitate ab Ordinario retulerint, antequam tamen ecclesiam vel oratorium publicum in certo ac determinato loco aedificent, Ordinarii loci licentiam obtinere debent» (ib. § 4).

Denique, can. 496, sequentia praescribit Codex J. C.: «Nulla religiosa domus erigatur, nisi judicari prudenter possit vel ex redditibus propriis vel ex consuetis elemosynis vel alio modo congruae sodalium habitationi et sustentationi provisum iri».

32.—Q. *Quid ad domus religiosae suppressionem requiratur?*

R. «Domus religiosa, sive formata sive non formata, si ad religionem *exemptam*, pertineat, supprimi nequit sine beneplacito Apostolico (can. 498): si *ad Congregationem juris pontificii* non exemptam pertineat, supprimi potest a supremo Moderatore, consentiente Ordinario loci (ib); si *ad Congregationem juris dioecesani* pertineat, sola Ordinarii loci auctoritate, audito Congregationis Moderatore (ib.); salvo praescripto cn. 493, si de una domo agatur, quae supprimi nequit nisi a Sancta Sede, salvoque jure recursus in suspensivo ad Sedem Apostolicam».

Nihil disponit Codex J. C., in hoc canone, de bonis domus suppressae, forsitan ex rationibus extrinsecis et ordinis publici. Aliud vero est si agatur de separatione domus a provincia matrice, tunc enim tenendum est quod jure merito ad rem ait P. Pejzka, Cong. SS. R. in suo opere «Jus Canonicum Relig.», pag. 57-5, his verbis: Separare domum a provincia matrice eam-

que aliae provinciae unire, seu provincias aliter circumscribere unius est S. Sedis, si religio juris pontificii est (can. 494, § 1). Quo casu domus et ecclesia cum omnibus bonis mobilibus et immobilibus novis incolis exhibenda sunt omni cum fidelitate, quia dominium bonorum neque personis physicis neque provinciae derelicta, sed domui ipsi (can. 531) tamquam personae morali non collegiali (1) (can. 99) proprium est.

Et iterum idem auctor pag. 61 et 62 ejusdem operis ait: b) *Domus excisio.* Ita domus religiosae a provincia matrice separatio et alteri provinciae canonica submissio appellatur. *Quaeritur,* quemnam influxum hujusmodi translatio in statum oeconomicum domus religiosae exerceat. Decreta translatione, vix non semper religiosi incolae e domo exeunt ut alterius provinciae alumnis locum cedant. Quia vero bona temporalia domus neque singulis personis physicis neque omnibus simul sumptis propria sunt, neque eorum dominium ad provinciam directe spectat, ideo domus seu persona moralis non collegialis ea omnia possidere pergit, ut antea, translatione minime obstante.

Exinde sequitur discedentibus citra periculum alienationis injustae, usurpationis et sacrilegii realis non licere quidpiam e domo vel ecclesia auferre, eis rebus exceptis quas secundum constitutiones occasione translationis a domo ad domum propriae provinciae singuli ferre licite possunt.

(1) Personae morales duplicis speciei sunt: *collegiales,* quae ex personis physicis coalescunt (Capitulum ecclesiae cathedralis vel collegiatae, familia religiosa), et *non collegiales,* quatenus institutum ipsum (ecclesia, seminarium, monasterium) per fictionem juris personae ecclesiasticae jura consequitur a Superiore instituti exercenda. Pejzka, o. c. pag. 54.

PARS SECUNDA

DE INGRESSU IN RELIGIONEM, DE NOVITIATU ET DE RELIGIOSA PROFESSIONE

Haec pars in tres dividitur sectiones: in prima agetur de ingressu in Religionem; in secunda, de Novitiatu; in tertia, de ipsamet Professione.

SECTIO I

DE INGRESSU IN RELIGIONEM

Sectio illa in trja dividitur capita: in primo agetur de vocatione ad statum religiosum; in secundo, de impedimentis admissionis ad hujus statum; in tertio, de requisitis ad licitum ingressum.

CAPUT I

DE VOCATIONE AD STATUM RELIGIOSUM

33.—Q. *Quid sit vocatio ad aliquem statum?*

R. Vocatio est actus divinae Providentiae, quo Deus unumquemque hominem ad aliquod vitae genus eligit, eumque congruis dotibus atque auxiliis exornat ad digne et laudabiliter obeunda officia, quae illi vitae generi sunt propria. Unde S. Paulus dicit (I. Cor. VII, 7): *Unusquisque proprium donum habet ex Deo.*

34.—Q. *Quotuplex sit vocatio ad statum religiosum?*

R. Est duplex, nempe: una, *generalis*, altera, *specialis*. *Generalis* vocatio consistit in exhortatione et invitatione, quam Christus Dominus ad omnes fideles dirigit, ut Eum in via consiliorum evangelicorum sequantur, sive in ipsis consiliis propositis, ut patet ex Matth. XIX, 21: *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus et habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me*; sive in promissionibus factis iis, qui ea amplexi fuerint, ut ibid. v. 29, constat: *Et omnis qui reli-*

querit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.

Specialis seu proprie dicta vocatio est actus divinae Providentiae, quo Deus alios prae aliis ad statum religiosum eligit, eisque simul dotes et gratias ad illum assequendum et sectandum largitur. Etenim, ex ipsa natura sua, status religiosus continet exercitium virtutis perfectionis, quae communiter a christianis non requiritur, ac proinde, in ordine divinae Providentiae, non est, ut omnes eum assumant. Quare Deus specialibus gratiae suae motibus aliquos tantum ad hunc statum amplectendum incitat ac promovet: hi enim non solum, ut reliqui fideles, percipiunt illam vitae conditionem esse in seipsa praestantissimam et securissimam: sed insuper eam apprehendunt tanquam sibimetipsis speciatim convenientem ad salutem suam securius et perfectius operandam; ac propterea supernaturali affectu in eam feruntur. Hi praeterea supponendi sunt a divina Providentia in iis adjunctis collocati, iisque corporis et animae dotibus praediti, quae nullum statui religioso amplectendo obstaculum objiciant; neque enim Deus supernaturalis gratiae motione incitaret ad capessendum consilium, quod naturalis Providentiae ordo impediret. Quare ille, qui, nullo hujusmodi impedimento, saltem perpetuo, irretitus, sentit se *habitualiter* inclinari ad statum religiosum amplectendum *ob motivum supernaturale,* puta securioris salutis, majoris boni animarum procurandi, etc. *moraliter certus* esse potest se a Deo ad hunc statum vocari. (Cf. Génicot. II, n. 75).

35.—Q. *Qualis requiratur vocatio ad statum religiosum licite amplectendum?*

R. Controvertitur: multi, praesertim recentiores, specialem requirunt vocationem; idque triplici probant argumento, nempe: divina Providentia, exemplo et verbis Christi ac praxi Ecclesiae.

1.º *Divina Providentia*: Omnia in ordine naturali a Deo gubernantur modo singulis proprio; a fortiori ergo in ordine supernaturali. Necesse est igitur, ut ad statum excellentiorem et perfectiorem quis a Deo vocetur. Insuper ad ejusmodi statum amplectendum et prosequendum, necessariae sunt speciales gratiae, quae a Deo non conceduntur, nisi iis solis, quos ipse Deus ad hunc statum vocavit.

2.º *Exemplo et verbis Christi*: Etenim Christus Dominus paucos tantum vocavit ad sui imitationem in via perfectionis. Praeterea specialis vocationis necessitatem innuit cum de castitatis consilio sic effatus est apud Matth.: (XIX, 11-12): *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est... Qui potest capere, capiat.* Quod etiam de aliis duobus consiliis dici po-

test. Illi soli igitur statum religiosum sucipere possunt et debent, qui interna Dei vocatione et illuminatione, ad eum alliciuntur. Vota siquidem Religionis nonnisi ex amore servari possunt. Insuper Jesus dixit discipulis suis: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* (Joan. XV, 16). Ex quibus verbis patet Dei esse, qui quos vult ad statum religiosum specialiter eligit.

3.º *Praxi Ecclesiae*: Etenim Ecclesia pluribus Religionis ingressum interdicit, statuendo scilicet varia impedimenta. Pari modo faciunt omnium Religionum Regulae vel Constitutiones, dum quasdam requirunt conditiones et dotes in recipiendis, quibus si careant isti, ab ingressu Religionis excluduntur. Atqui hujusmodi Regulae et Constitutiones ab Ecclesia sunt approbatae.

Alii vero necessitatem specialis vocationis negant, et docent sufficere vocationem generalem ad statum Religiosum licite amplectendum; idque pariter triplici probant argumento, nempe: verbis Christi, doctrina SS. Patrum et praxi Ecclesiae.

1.º *Verbis Christi*: Etenim Christus Dominus omnes sine distinctione invitat ad consilia evangelica capessenda. Verba enim Christi: *Si vis perfectus esse... Si quis vult post me venire...* supra n. 9 allata omnino generalia sunt, et neminem excludunt.

2.º *Doctrina SS. Patrum*: Qui unanimiter docent in uniuscujusque potestate esse consilia evangelica sequi si velit, non quidem propriis viribus innixus, sed divinae auxilio gratiae, quae rite petenti semper conceditur.

3.º *Praxi Ecclesiae*: Diu enim in Ecclesia viguit disciplina, ut parentes monasteriis offerrent filios, etiam antequam isti usum rationis haberent. Jam vero his pueris, cum puberes effecti erant, a monasterio discedere fas non erat; sed per leges ecclesiasticas in eo vitae instituto, cui semel addicti erant, manere cogebantur. (Cfr. Piat. I-23).

36. —Q. *Quomodo peccet qui, absque speciali vocatione, statum religiosum amplectitur?*

R. Cum distinctione: 1.º Juxta patronos opinionis, qui specialem requirunt vocationem: alii absolute docent *graviter* illum peccare, qui Religionem ingreditur, si defectum vocationis ex parte sua clare noverit; tum ob reverentiam Religioni debitam, tum ob injuriam Deo illatam, tum praesertim ob periculum, quod incurrit, salutis, dum suscipit obligationes, quibus moraliter satisfacere non poterit, utpote specialibus carens auxiliis, quae solis a Deo vocatis conceduntur. Alii autem mitius loquentes, docent eum perperam quidem agere, attamen, si firmam habeat voluntatem obligationes status religiosi adimplendi, non peccare *graviter*; quia, quamvis se periculo exponat suscipiendi obligationes, quibus nonnisi difficulter satisfacere poterit, minori tamen periculo se commisit intrando Religionis portum, quam

vocatus, qui in mari mundi subsistit; et tamen iste non peccat per se, ut infra n. 39 dicetur. Unde post factum necessitas convertenda est in virtutem, et impetranda sunt specialia auxilia a Deo, qui facienti quod est in se non deerit.

2.º Patroni autem posterioris opinionis, qui docent sufficere ad statum religiosum amplectendum vocationem generalem, proinde censent illum non peccare, qui absque vocatione hunc amplectatur statum, dummodo tamen firmam habeat voluntatem omnes illius obligationes adimplendi.

Si quis vero, quin se vocatum sentiat, profiteatur, absque seria voluntate veram vitam religiosam agendi, jam in ipso actu professionis peccat, cum illi fictionem admisceat, et se in eo statu collocet, in quo probabiliter jacturam faciet aeternae salutis.

Quibus opinionibus inspectis, juvabit duas hic addere animadversiones:

1.º De peccato mortali non esset arguendus, qui vellet religiosam professionem emittere, quamvis, durante novitiatu, passus sit frequentes lapsus carnis voluntarios. Proinde non posset confessarius eum sub poena denegatae absolutionis obligare ad Religionem relinquendam, vel fragilitatem suam Superiori extra confessionem manifestandam. Nec posset ei in poenitentiam imponere, ut Religionem relinqueret. Etenim novitius potest prudenter credere sibi magis expedire ad salutem statum religiosum, in quo, transacta vehementia tentationis, facilius poterit resipiscere et corrigi, cum optima habeat sociorum exempla, disciplinae observantiam, exhortationes et alia hujusmodi media, quibus in saeculo carebit. Quandoque tamen consuli poterit egressus ei, qui hujusmodi peccata frequenter committit, praesertim si possit sine magno incommodo honestum inire matrimonium, siquidem tale matrimonium est medium valde utile et congruum pro hujusmodi ex fragilitate labentibus.

2.º Si tamen status religiosus esset simul clericalis, posset aliqua temeritas reperiri in eo qui, absque vocatione ad statum clericalem, in tali Religione profiteretur. Nam leges ecclesiasticae exigunt, ut ordinandi sint *probatae castitatis*. Haec autem probatio directe pertinet ad absentiam peccatorum turpium. Verum quidem est ordinandum semper posse, cum divinae gratiae auxilio, quibuslibet tentationibus resistere; sed ecclesia videtur exigere probabilitatem, quod de facto huic gratiae sit cooperaturus. Attamen notandum est facilius in statu religioso temeritatem abfuturam esse ,quam si Ordo sacer extra Religionem susciperetur, eo quod, ex una parte, status religiosus ampla suppeditat praesidia ad sacrum ministerium exercendum, et ex altera parte, major in eo exercetur custodia a Superioribus in subditos. (Cf. Génicot, II, n. 76).

37.—Q. *Quaenam sint signa vocationis specialis ad statum religiosum?*

R. Generatim, secundum viam ordinariam divinae Providentiae sunt tria, scilicet: 1.º *Absentia* eorum, quae ingressum in Religionem impediunt.

2.º *Aptitudo* ad statum religiosum. Cum quaedam sint omnibus Religionibus communia, sic habetur aptitudo *generalis*, quae requirit in recipiendis bonam indolem ad vitam communem ducendam maxime utilem, animum jugo obedientiae facile submittendum, et constans desiderium regulas observandi, vitamque regularem ducendi. Praeterea quaelibet Religio finem habet specialem, mediaque specialia ad finem suum assequendum: alia infirmos curandos, alia juventutem instituendam, alia sacrum ministerium exercendum, alia missiones exteras obeundas sibi constituit. Hinc pro qualibet Religione requiritur quaedam aptitudo *specialis*.

3.º *Inclinatio et constans propensio* motivis innixa supernaturalibus. Et verum, cum Deus ad statum vocet religiosum, cogitationem ingerit de statu isto amplectendo, illuminat intellectum circa commoda illius spiritualia, et sic desiderium seu propositum indit illum amplectendi. Desiderium istud producit in anima inclinationem seu propensionem ad illum prosequendum.

Desiderium autem Religionis suscipiendae ordinarie procedit a Spiritu Sancto, quia tale desiderium non solum est de objecto optimo, sed etiam abstrahit hominem ab affectu rerum temporalium et ab his omnibus, quibus caro delectatur; quod est magnum indicium impulsus Spiritus Sancti.

38.—Q. *Quaenam media adhibenda sint ad discernendam vocationem religiosam?*

R. Haec tria, videlicet: 1.º *Humilis et fervens oratio.* Sicut pro discernendis rebus temporalibus indigemus lumine *naturali,* ita pro discernendis rebus spiritualibus nobis opus est lumine *supernaturali.* Porro illud lumen supernaturale non conceditur a Deo, nisi humiliter et constanter petentibus.

2.º *Serium examen* circa originem inclinationis seu propensionis ad statum religiosum. Desiderium, quod ingerit voluntati inclinationem, *debet procedere a principio supernaturali.* Est autem *tale,* si proveniat ex pura intentione salutem aeternam securius consequendi, majorem Dei gloriam et animarum salutem procurandi; procedatque a principio *supernaturali,* quod innititur motivis *sepernaturalibus,* iis scilicet, quae per fidem apprehenduntur. Ex principio autem supernaturali non procedit propositum ingrediendi Religionem, motivis humanis et commodis temporalibus innixum.

3.º *Petitio consilii*: Etenim ad executionem hujusmodi de-

siderii necessaria est regulariter consultatio; nam quandoque Spiritus Sanctus praebet quidem desiderium alicujus rei, executionem tamen illius non vult, sicut Davidi praebuit voluntatem aedificandi templum, cujus executionem non acceptavit. Interdum enim Spiritus Sanctus indit alicui tale desiderium propter bonum et meritum ipsius, quamvis ad executionem perventurum non sit, aut pervenire non expediat.

Consulatur imprimis confessarius ordinarius, qui a Deo constitutus est tanquam director conscientiae, ut eum ducat in semita virtutis, eique ostendat viam per quam Dominus illum vult conducere ad portum salutis aeternae. Consuli etiam poterit Superior Regularis, cujus Institutum amplecti intendit. Utrum autem expediat petere consilium a parentibus, hoc pendet a variis circumstantiis. Liberi quidem *ordinarie* tenentur consulere parentes de vocatione sua, eisque propositum et inclinationem manifestare, ut isti vocationem examinare et rectum praebere possint consilium. Attamen liberi consilium eorum sequi non tenentur, nisi in quantum creditur voluntati divinae consentaneum. At respectu vocationis religiosae, cum parentes saepius non respiciant motiva supernaturalia, sed humanis potius ducantur motivis, liberi non tenentur parentibus manifestare propositum suum, eorumque consilium exquirere, quoties praevident parentes dissensuros, atque omni via se opposituros, quominus vocationem divinam sequantur.

39.—Q. *An et quomodo peccet, qui vocatus ad statum religiosum, vocationi suae obsequi negligat?*

R. *Per se* non peccat, quia consilia per se non obligant. Attamen, ob periculum aeternae salutis, cui se committit, difficulter potest ab aliqua culpa excusari. Quinimo, si quis crederet quod in saeculo manendo damnationem incurreret, tum ob fragilitatem suam, quam inter saeculi occasiones expertus est, tum ob carentiam auxiliorum, quae in Religione haberet, non potest excusari a peccato gravi, cum in grave discrimen salutis suae se conjiciat.

Qui autem solum majorem difficultatem videt sese continendi a peccatis, nisi statum religiosum assumat, atque periculum commune in illa labendi, sed cum spe divinae gratiae nihilominus proponit ea vitare, peccatum mortale eo ipso non committit quod nolit vitam religiosam assumere; non raro tamen fit, ut uberiore gratia destitutus, postea reipsa labatur, imo aeternam suam salutem in grave discrimen inducat.

Qui vero suam vocationem religiosam, quacumque ex causa, neglexerit, si adhuc possit, nunc amplectatur statum religiosum; quod si id impossibile evaserit, studeat majori fervore et fidelitate in officiis status sui damna spiritualia compensare, atque in christianae virtutis exercitio seipsum perficere.

40.—Q. *An graviter peccent parentes aut alii, qui avertunt filios aut alios a statu religioso, sine justa causa?*

R. Affirmative, quocumque modo id fiat, sive vi, metu vel fraude, sive etiam solis importunis precibus aut promissionibus. Ratio est, quia grave inferunt damnum ei, qui a Religione distrahitur, illumque a majori bono impediunt.

Quod etiam verum est de illo, qui juvenem a statu religioso averteret, etsi illi suadeat, ut militiae ecclesiasticae saeculari nomen det; nam et ipse juvenem a majori bono impedit.

Qui vero in hoc negotio vi, metu, fraude vel dolo usus fuerit, peccat contra justitiam, adeoque ad reparationem damni illati tenetur. In primis tenetur erga aversum amovere causam damni illati, scilicet, tenetur remittere vim, aperire fraudem, et sic eum restituere in sua plena libertate, et procurare, in quantum potest, ipsius ingressum in Religionem. Insuper tenetur ei reparare damna temporalia, si quae forsitan illata fuerint.

Erga Religionem, si haec aliquod damnum temporale passa sit, illud reparare tenetur. An vero teneatur, loco aversi alium subrogare, disputant auctores. Alii docent, quod si aversus ingredi nolit, avertens teneatur alium procurare aeque bonum, qui priocis loco intret, vel, illo deficiente et ipse avertens teneatur ad ingressum. Alii autem censent loco aversi nullum esse subrogandum; quia haec non sunt media ordinata ad restitutionem, neque avertens tenetur damnum diversi generis resarcire cum jactura boni altioris ordinis.

Augetur haec culpa in parentibus, qui ex pietate graviter obligantur ad spirituale bonum liberorum suorum procurandum, et in confessariis, quos poenitentes de sua vocatione consulunt; imo isti veram injuriam inferrent, siquidem qui accipit consíliarii munus, eo ipso veluti ex quodam tacito pacto obligatur ad consilium fideliter praestandum. Saepe autem parentes ex inadvertentia et coeci amoris impetu practice a gravi peccato excusantur.

Attamen parentes non sunt culpandi, qui *rationabiliter* de vocatione liberorum suorum dubitantes, puta ob indolem levem, aliquod sumunt experimentum, quo veritas clarior appareat, et ad hoc utuntur jure, quod lex civilis ipsis in filios minorennes concedere solet; sed graviter peccare possent illi parentes, qui ad voluntatem liberorum explorandam, eos mundanis periculis exponerent, quasi vocatio, quae a Deo venit, eo ipso omne periculum evasura esset. (Cfr. Ball—P. n. 198 et Génicot, II, n. 79). Insuper: «Excommunicatione nemini reservata ipso facto plectuntur omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogant sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam

sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporalem» (can. 2.352).

Poena excommunicationis in eos qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint a Codice J. C. sublata est (can. 6-5.º).

41.—Q. *An liceat aliquem ad Religionem inducere?*

R. Ex genere suo bonum opus est aliquem solidis rationibus inducere ad hoc, ut religiosus fiat, quia ille actus ex objecto est bonus. Attamen magna prudentia utendum est in hujusmodi actibus ponendis. Petenti consilium veritas libere proponenda est; ille etiam quem Spiritus Sanctus movere coepit, juvandus est ut in hoc sancto proposito firmus maneat, neque Spiritui Sancto resistat; sed potius per orationes et bona opera se disponat, ut ab illo efficacius moveatur. Prius autem quam Spiritus Sanctus incipiat aliquem vocare, raro expedit illum *directe* inducere ad hunc statum assumendum, quamvis optimum sit ad Dei timorem et conscientiae puritatem et ad vitanda pericula peccandi quemlibet excitare et inducere, simulque status religiosi commoda et excellentiam proponere. (Cfr. Suar. de Rel., l. 5, c. 8, n. 10).

CAPUT II

DE IMPEDIMENTIS ADMISSIONIS AD STATUM RELIGIOSUM

Haec impedimenta oriuntur: alia ex jure ecclesiastico communi, alia ex jure privato Ordinis nostri. Hinc duplex articulus.

ARTICULUS I

DE IMPEDIMENTIS JURIS ECCLESIASTICI COMMUNIS

42.—Q. *Quinam, jure communi, prohibeantur Religionem ingredi?*

R. Ex canone 542: «Firmo praescripto can. 539-541, aliisque in propriis cujusque religionis constitutionibus, 1.º *Invalide* ad novitiatum admittuntur:

1. «Qui sectae acatholicae adhaeserunt»: quae verba, ex declaratione Commissionis Pontif., sub die 16 Oct. 1919, intelligenda sunt de his «qui a fide catholica defecerunt et sectae acatholicae adhaeserunt», minime vero de iis «qui Dei gratia moti ex haeresi vel schismate, in quibus nati, sunt, ad Ecclesiam pervenerint» (Acta A. S. IX, 477).

2. «Qui aetatem ad novitiatum requisitam non habent»: ex praescripto can. 555. § 1, n. 1.º, ut novitiatus valeat, peragi debet post completum decimum quintum saltem aetatis annum.

3. «Qui religionem ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti; vel quos Superior odem modo inductus recipit»;

4. «Conjux, durante matrimonio»; hoc impedimentum adeo absolutum est, ut neque consortis licentia vel consensus valeat, nec interest an matrimonium sit tantum ratum vel consummatum, nec quod legitime a toro et mensa perpetuo separati vivant, donec enim matrimonium quoad vinculum solvatur, ad statum religiosum transire nequeunt absque S. Sedis licentia.

5. «Qui obstringuntur vel obstricti fuerunt vinculo professionis religiosae»; comprehenduntur in primis qui actualiter obstringuntur vinculo professionis ut apostatae a religione, fugitivi et exclaustrati; et etiam qui obstricti fuerunt ut saeculari zati, dimissi et qui sponte ad saeculum redierunt expleto tempore professionis temporariae, etiam in propia religione, in qua antea vota emiserunt.

6. «Hi quibus imminet poena ob grave delictum commissum de quo accusati sunt vel accusari possunt»: requiritur ut delictum sit grave, v. gr. homicidium, furtum, latrocinium, etc., et quod sit publicum, propter delicta enim occulta nemo accusari potest, nec a multis annis praeteritum, cum jam non sit locus actioni.

7. «Episcopus sive residentialis sive titularis, licet a Romano Pontifice sit tantum designatus»: ratio hujus impedimenti esse videtur dignitas episcopalis, non enim decet ut dominativae potestati Superiorum religiosorum submittantur, qui solo Summo Pontifici subduntur.

8. «Clerici qui ex instituto Sanctae Sedis jurejurando tenentur operam suam navare in bonum suae dioecesis vel missionum, pro eo tempore quo jurisjurandi obligatio perdurat».

43. 2.º *Illicite,* sed valide admittuntur: 1. «Clerici in sacris constituti, inconsulto loci Ordinario aut eo contradicente ex eo quod eorum discessus in grave animarum detrimentum cedat, quod aliter vitari minime possit».

Hoc statutum, ait P. Prümmer, o. p. q. 205, est prorsus novum. In antiquo enim jure omnes clerici saeculares (exceptis Episcopis) potuerunt, etiam contradicente proprio Episcopo, ingredi in religionem, quae est status perfectionis. A statu autem perfectionis amplectendo nemo averti debet, qui non est ligatus vinculis incompatibilibus cum isto statu. Novum jus, considerans bonum commune praevalere bono privato, prohibet clericis majoristis ingressum in religionem, si Ordinarius loci non est consultus vel si judicet talem ingressum grave detrimentum causare animabus sui gregis.

2. «Aere alieno gravati qui solvendo pares non sint». Si ergo habent, unde solvant debita contracta, cessat impedimentum.

3. «Reddendae rationi obnoxii aut aliis saecularibus negotiis implicati, ex quibus lites et molestias religio timere possit».

Obnoxii reddendis rationibus illi dicuntur, qui aliquam rerum temporalium habent administrationem, *tam publicam quam privatam,* vel habuerunt, et exinde administrationis suae reddendae rationi obstricti sunt. Ex duplici autem capite potest quis ad id obligari; nempe: a) ex administratione rerum, quae ad rem publicam pertinet, uti exactores tributorum; b) ex administratione rei privatae, uti tutores. Non tantum illicitam *voluit* esse admissionem Sixtus V citata Const. «Cum de omnibus», sed et irritam pronuntiavit. Verum Clemens VIII, praedicta Constit. «In suprema» decretam a Sixto V nullitatem abstulit, quidem, sed *illiceitatem* admissionis servavit.

4. Filii qui parentibus, idest patri vel matri, avo vel aviae, in gravi necessitate constitutis, opitulari debent, et parentes quorum opera sit ad liberos alendos vel educandos necessaria». Patet ex hoc canone, quod licitum non est filiis suos parentes in gravi necessitate versantes deserere, ut Religionem ingrediantur; nam ingressus in Religionem est tantum consilii, juvamen autem parentibus praestandum praecipitur jure naturali: porro prius praecepta implenda sunt quam consilia sequenda, unde in litteris testimonialibus, ex praescripto can. 545, § 4, Ordinarii referre debent, «num propria familia ejus (adspirantis ad habitum) auxilio indigeat». Idem dicendum de parentibus, nam ut ait D. Thom. 2, 2, q. 189, art. 6: «Non licet alicui filios habenti religionem ingredi, omnino praetermissa cura filiorum, idest non proviso qualiter educari possint; dicitur enim 1. ad Tim. 5, 8: «Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior».

5. «Ad sacerdotium in religione destinati, a quo tamen removeantur irregularitate aliove canonico impedimento». Quaenam sint ejusmodi impedimenta dicitur in tractatu de sacramento ordinis (1).

6. «Orientales in latinis religionibus sine venia scripto data Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali» (2).

(1) Ex jure communi (aliud est de jure particulari) illegitimi filii non arcentur ab ingressu in religionen. Si tamen isti velint ordines suscipere ante professionem sollemnen illicite recipiuntur in religione, nisi prius obtenta fuerit dispensatio S. Sedis. Defectus legitimitatis aufertur per subsequentem legitimationem, aut per professionem sollemnem, quae defectum natalium ita sanat, ut professus sacros ordines usque ad sacerdotium inclusive suscipere valeat, exclusus vero manet a cardinalatu, episcopatu necnon a munere Superioris majoris religiosi (can. 504).

(2) Ex declaratione Commis. Pontif., 10 nov. 1925, admitti possunt in novitiatum religionis latinae orientales, qui proprio ritu retento, praeparare sese volunt ad constituendas domus et provincias ritus orientalis. A. A. S., XVII, 582.

44—Q. *An filii teneantur, post peractam professionem, claustro egredi ad parentum neccessitatibus subveniendum?*

R. Cum distinctione: 1.° Si parentes versentur in *extrema* necessitate, affirmative, modo desit aliud medium illis subveniendi. 2.° Si vero de necessitate tantum *gravi* agatur, multum disputatur: alii affirmant; quia filius jure naturae tenetur parentes gravi necessitate laborantes adjuvare; quae quidem obligatio per professionem religiosam non tollitur. Alii autem docent filium nec teneri, nec posse egredi, sine legitima Superioris licentia. Ratio est, quia jam mutavit statum, nec amplius subest patriae potestati, sed Praelato; unde illi obligationi subveniendi non tenetur satisfacere, nisi quantum potest, salvo statu religioso. Tenetur tamen filius, juxta hanc sententiam, salva sui Praelati obedientia et suae Religionis statu, media adhibere, quibus suis parentibus subvenire possit.

Alii demum sic distinguunt: si necessitas professionem praecesserit, filius tenetur egredi, si aliter non possit parentum necessitati subvenire. Si vero necessitas professionem subsequuta fuerit, filius non tenetur nec potest exire absque legitima licentia; quia eo in casu licite amplexus est Religionem, et in ipsius personam jus absolutum acquisivit Religio.

ARTICULUS II

DE IMPEDIMENTIS JURIS PRIVATI ORDINIS NOSTRI

45. «Praeter ea quae a jure communi (can. 542 et 572) pro valida et licita admissione ad habitum et professionem praescribuntur, habitu nostro sive Choristarum sive Donatorum indui prohibemus eum, qui Novitius alterius Ordinis vel Congregationis fuerit, membro aliquo aut ejus usu carentem, magna aliqua deformitate notatum; capite nimium debilem; morbo alio quolibet, communes Ordinis labores non ferente, laborantem; illum cujus parentes aliqua notantur infamia, vel amentia laborant aut laborarunt; in quibus defectibus, servatis cetero de jure servandis, poterit Definitorium Generale et Capitulum Provinciale quodcumque, dum celebratur, dispensare» (Constit. N. n. 227).

«Prohibemus pariter habitu nostro indui vel profiteri in Ordine nostro quemcumque, qui a nativitate fuerit haereticus, schismaticus, judaeus seu infidelis, nisi post tres annos a conversione, et qui de haeresi, schismate, aut quavis infidelitate suspectus fuerit; illegitimum, nisi legitimatus fuerit, et quemlibet infirmitate incurabili et habituali laborantem; item morbo contagioso vel caduco laborantem, mente captum vel per intervalla capi solitum; in quibus tamen defectibus Definitorium

Generale aut Capitulum Provinciale quodcumque, dum celebratur poterit dispensare. Sed si quis aliquem defectum in hoc numero indicatum, dolose celaverit, statim ac certo scietur, de consensu Provincialis dimittatur, etiamsi professionem temporariam emiserit. Qua de re, quemadmodum et de non ambiendi voto, ingressuri et professuri moneantur» (Const. N. n. 228).

CAPUT III

DE REQUISITIS AD LEGITIMUM INGRESSUM

Ad normam can. 538: «In religionem admitti potest quilibet catholicus qui nullo legitimo detineatur impedimento rectaque intentione moveatur, et ad religionis onera ferenda sit idoneus.» Praeterea quatuor requiruntur ad legitimum ingressum in Religionem, scilicet: 1.º Aetas legitima, 2.º litterae testimoniales, 3.º admissio a quo de jure, et 4.º dos pro Monialibus. Hinc praesens caput in quatuor distribuitur articulos.

ARTICULUS I

DE LEGITIMA AETATE AD INGRESSUM RELIGIONIS

46.—Q. *Quaenam aetas requiratur ad ingressum Religionis?*

R. Ex can. 555, 1, 1.º requiritur ad novitiatus validitatem, decimus quintus saltem aetatis annus completus: a nostris Constitutionibus, n. 232, sequentia praescribuntur: Aetatem attendant; Choro enim assignandi, nisi annum decimum quintum egerint et quadragesimum non excesserint, ad habitum non recipiantur. Donati vero nisi annum decimum sextum egerint et trigesimum quintum non excesserint, ad novitiatum non admittantur: justa tamen de causa Superior Major dispensare poterit cum his, qui quadragesimum vel trigesimum quintum respective excesserint.

ARTICULUS II

DE LITTERIS TESTIMONIALIBUS

Litterae testimoniales, de quibus in praesenti, appellantur documenta a competenti auctoritate ecclesiastica concessa, quibus comprobantur generales qualitates, ut quis in religionem recipi possit.

47. —Q. *Quinam teneantur petere litteras testimoniales?*

R. Omnes Superiores tam Ordinum quam Congregationum, in quibus vota sive simplicia sive sollemnia emittuntur.

Documenta vero requisita, ad normam can. 544, § 1 et 3, et nostrarum Constitutionum, n. 233, antequam adspirantes admittantur ad habitum sunt sequentia: a) In quavis religione... exhibere debent testimonium recepti baptismatis et confirmationis: b) litterae testimoniales, datae, pro diversis casibus a rectore Seminarii vel collegii audito Ordinario loci, aut a majore religionis Superiore, si agatur de admittendis illis qui in Seminario, collegio vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerunt: c) In religione autem virorum adspirantes debent praeterea exhibere testimoniales litteras... Ordinarii originis ac cujusque loci in quo, post expletum decimum quartum aetatis annum, morati sint ultra annum moraliter continuum, sublato quolibet contrario privilegio (can. 544, § 2). Excipe si agatur de clericis, pro quibus admittendis, «praeter testimonium ordinationis, sufficiunt litterae testimoniales Ordinariorum in quorum dioecesibus post ordinationes ultra annum moraliter continuum sint commorati» (can. 544, § 4). d) Testimoniales litterae datae a rectore Seminarii vel collegii, audito Ordinario loci, si agatur de admittendis illis qui in Seminario vel collegio fuerunt (can. 544, § 3). e) In religione mulierum «mulieres... ne recipiantur (in religionem) nisi praemissis accuratis investigationibus circa earum indolem et mores» (can. 544, § 7). Praeter haec testimonia a jure requisita, possunt Superiores, quibus jus est adspirantes in religionem cooptandi, alia quoque exigere, quae ipsis ad hunc finem necessaria aut opportuna videantur (can. 544, § 6).

48.—Q. *Quid continere debeant litterae testimoniales?*

R. Qui litteras testimoniales ex praescripto juris dare tenentur, postquam diligentem investigationem, etiam per secretas notitias instituerint, in suis litteris referre debent, graviter eorum conscientia onerata super veritate expositorum, de adspirantis natalibus, moribus, ingenio, vita, fama, conditione, scientia; sitne inquisitus (1), aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus, num propria familia ejus auxilio indigeat, et tandem, si agatur de illis qui in Seminario, collegio, aut alius religionis postulatu aut novitiatu fuerint, quanam de causa dimissi sint vel sponte discesserint. (can. 545, § 4).

Omnes qui praedictas informationes receperint, stricta obligatione tenentur secreti servandi circa notitias habitas et personas quae illas tradiderunt (can. 546).

«Qui litteras testimoniales ex praescripto juris dare debent, eas non ipsis adspirantibus, sed Superioribus religiosis dent gratuito intra trimestre spatium ab earum requisitione, sigillo

(1) A potestate civili, vel etiam ab ecclesiastica, ait P. Fanfani, O. P. de Jure Relig., n. 153—h); et P. Blat., libr. II de Personis, part. II, cap. II, art. I, ait: apud ecclesiam vel societatem.

clausas et, si agatur de illis qui in Seminario, collegio (1) vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerint, a Superiore juramento firmatas» (can. 545, § 1).

Si ob graves rationes judicaverint se eis respondere non posse, causas Apostolicae Sedi intra idem tempus exponant (ibid. § 2).

Si reposuerint adspirantem satis non esse sibi cognitum, per aliam accuratam investigationem ac fide dignam relationem Superior religiosus suppleat; si vero nihil reposuerint, Superior requirens de non recepta responsione Sanctam Sedem certiorem reddat (ibid. § 3).

In casu vero quo Superior religiosus vel Rector Collegii aut Seminarii renuerit juramento firmare litteras testimoniales a Superiore alterius Instituti requisitas «Ordinarius», si agatur de Institutis juris dioecesani aut laicalibus, sive Collegiis aut Seminariis; vel supremus Moderator, in Institutis clericalibus aut in Ordinibus Regularibus, contra tales Superiores renuentes procedant, eos cogendo etiam per poenas, usque ad privationem officii. Quod si nihilominus litterae juratae haberi non possint, res deferatur ad S. Congregationem». Ita S. Congr. de Relig., 21 Nov. 1919. (Acta A. S., XII, 17).

Superiores religiosi qui candidatum non idoneum... sine requisitis litteris testimonialibus contra praescriptum can. 544 ad novitiatum receperint... pro gravitate culpae puniantur, non exclusa officii privatione (can. 2411). Non ergo requiruntur litterae testimoniales ad validitatem novitiatus, et susceptio habitus erit quidem illicita, non vero invalida.

49. Si agatur *de admissione mulierum*: «Religiosarum etiam exemptarum Antistita debet Ordinarium loci, duobus saltem mensibus ante, certiorem facere de proxima admissione ad novitiatum et ad professionem tum temporariam tum perpetuam sive sollemnem sive simplicem» (canon 552, § 1). Si contra praescriptum hujus canonis antistitae religiosarum etiam exemptarum omiserint Ordinarium loci certiorem facere de proxima alicujus admissione ad novitiatum vel ad professionem, pro gravitate culpae, non exclusa, si res ferat, officii privatione, ab Ordinario loci puniantur» (can. 2412).

Ordinarius loci vel, eo absente aut impedito, sacerdos ab eodem deputatus, adspirantis voluntatem, saltem triginta diebus ante novitiatum et ante professionem, ut supra, diligenter et

(1) Non constat, quid nomine *collegii* veniat, utrum agatur de omni collegio, etiam laico, in quo alumni diu noctuque vivunt, an de solis collegiis ecclesiasticis; de his solis agi videtur probabilius. Quis enim obligare potest rectorem collegii prorsus laicalis ad dandas litteras testimoniales *juramento* firmatas? Inutiliter tales litterae peterentur.

gratuito (1) exploret, non tamen clausuram ingrediens, num ea coacta seductave sit, an sciat quid agat; et, si de pia ejus ac libera voluntate plane constiterit, tunc adspirans poterit ad novitiatum vel novitia ad professionem admitti (can. 552, § 2). Triplex ergo exploratio peragenda est, nempe: ante novitiatum, ante professionem temporariam et ante professionem perpetuam sive simplicem sive sollemnem: exploratio vero non est necessaria ad validitatem.

ARTICULUS III

DE ADMISSIONE POSTULANTIS

50.—Q. *Quaenam statuta sint pro admissione postulantis?*

R. 1.º *De jure communi*: Religiones virorum ab Apostolica Sede approbatae, pro admittendis aut rejiciendis postulantibus et novitiis, nullatenus dependent ab Episcopo. Patet ex eo quod *ex vi approbationis* talis potestas Religioni confertur; imo in ipsa approbatione intrinsece includitur. Etenim approbare Religionem est concedere omnia, quae ad utilitatem, conservationem et gubernationem Religionis pertinent: conservatio autem Religionis non potest fieri absque receptione novitiorum. (Suarez, De Relig, Tr. 7, l. 5, c. 10). Ergo nequit Episcopus virorum Congregationem ab Apostolica Sede approbatam *cogere* ad aliquem in novitium recipiendum, nec *impedire*, quominus aliquem recipiat. Haec intelligi debent de quacumque Congregatione virorum, etiam non exempta, et etiamsi vota sollemnia non habeat, modo tamen approbationem *Pontificiam* obtinuerit, ut patet ex can. 543.

Moniales autem, facta exploratione, ut supra, ab Ordinario loci, poterunt adspirantes ad novitiatum admittere, de venia Antistitae monasterii cum suffragio Capituli et consensu Superioris regularis. (can. 543 et Const. Mon. Excalc. n. 233).

Diligenter animadvertatur, ut quae recipiendae erunt orationi deditae sint, et ad perfectionem omnino aspirent, ac mundi contemptum diligant. Si enim a mundo sejunctae non fuerint, profecto observantias Religionis hujus non facile ferent, meliusque est antea his prospicere quam postea illas ejicere; nec minoris sint aetatis quindecim annorum expletorum (n. 242 novis. Const.), ac sint corpore sanae, intelligentes, atque idoneae ad recitandum divinum Officium, et in choro assistendum (Const. MM. n. 10).

(1) Etsi consuetudo habeatur ultra 400 annorum taxam exigendi, nec Episcopus habeat unde remunerationem praebeat sacerdoti delegato ad explorationes peragendas. S. Congregatio de Relig. 18 mart. 1922 (Acta A. S., XIV, 352.

51. Ad professionem vero nullae admittantur, si in Novitiatus anno in eis omnes conditiones, et qualitates requisitae ad observantiam approbatae non fuerint; et si quicquam ex praemissis in eis deerit, non recipiantur, nisi forte eas, tam spectatae probitatis, et utilitatis, Monasterio esse visum fuerit, ut ex ipsis nihil inquietudinis oriri posse speretur: quod si ad praemissa etiam vocatio Domini Nostri, quae ex ardentibus earum desideriis prospiciatur, non accesserit, non recipiantur (l. c. n. 11).

Non possint Praepositus Generalis vel Provincialis aliquam ad habitum, seu professionem accipere absque votis majoris partis Capituli (l. c., n. 14).

Conversae autem, quae freylae nuncupantur, recipiendae sint validae corpore, et quae Deo famulari cupiant, illaeque sine habitu per annum postulatus probentur, an ad onera Monasterii sustinenda aptae sint, nec eis nigrum velum concedatur, sed post expletum annum a die suscepti habitus ad professionem omnino admittantur, eisque de cibo, et vestitu, ut et reliquis charitative provideatur. (l. c. n. 15).

Volumus autem, ut tam ad receptionem novitiarum ad habitum, quam ad professionem interveniant vota secreta majoris partis per fabas albas, et nigras. (l. c. n. 17).

52. Mandamus, ne cujuslibet Monasterii Moniales numerum viginti excedant, tribus Conversis computatis, nisi forte aliqua singularis probitatis et fervoris spiritus offeratur, quae si a Capitulo cum duabus ex tribus suffragiorum partibus per vota secreta fuerit approbata, huic numero praescripto poterit superaddi, dummodo Monasterio gravis futura non sit, et dotem secum afferat competentem ad sui congruam sustentationem: attamen Moniales in unoquoque Monasterio nullo modo numerum viginti unius excedere valeant. (l. c., n. 19).

Nullum vero Monasterium plures, quam tres Conversas, habere possit. (l. c., n. 20).

In admittendis Novitiis ad habitum diligens ratio habeatur valetudinis, ingenii, et intellectus, et an de sic admittendis sperandum sit illas facile posse incommoda regularis observantiae tolerare. Et quia post admissionem difficilius remedium invalidis et infirmis afferri potest, ideo por annum novitiatus in hoc diligenter animadvertatur, et si apparuerit non esse tales, ut ex eis regularis observantia, et commodum Religionis sperari possit, non admittantur ad professionem; in quo Priorissae, ac Novitiarum Magistrae aliarumque Religiosarum conscientias oneramus (l. ci, n. 22).

Novitia, quae semel ex uno Monasterio O. N. fuerit ejecta, non recipiatur in alio ejusdem Ordinis, nisi de voto omnium ejusdem Monasterii, a quo ejecta fuerit, et illius, in quod ingredi tentat, Monialium; in priori vero Monasterio nunquam recipiatur (l. c., n. 23).

Notandum igitur est apud Moniales O. N. semper requiri et sufficere majorem partem suffragiorum ad recipiendas Novitias, excepto unico casu n: 23 (l. c.), posito, in quo omnia omnino suffragia Capituli Conventualis requiruntur. Sed postulantibus semel cum unanimi suffragiorum admissis approbationes ulteriores, si quae requirantur, modo ordinario fieri possunt et debent.

ARTICULUS IV

DE DOTE MONIALIUM

53.—Q. *Quaenam statuta sunt de dote monialium?*

R. Codex J. C., can. 547, § 1, sequentia praescribit: «In monasteriis monialium postulans afferat dotem in constitutionibus statutam aut legitima consuetudine determinatam». «Haec dos ante susceptionem habitus monasterio tradatur aut saltem ejus traditio tuta reddatur forma jure civili valida» (ib. § 2).

«In religionibus votorum simplicium, quod ad religiosam dotem pertinet, standum constitutionibus» (ib. § 3). In novissimis Constitutionibus Monialium O. N., n. 12, praecipitur ut exacte observetur praescriptum hujus can. 547, § 1.

«Dos praescripta condonari ex toto vel ex parte nequit sine indulto Sanctae Sedis, si agatur de religione juris pontificii: sine venia Ordinarii loci, si de religione juris dioecesani (ib. § 4).

Ratio exigendi dotem non est pro ipsa admissione in religionem, hoc enim simoniacum foret, jure naturali et divino prohibitum, cum non liceat spiritualia pro temporalibus vendere; sed exigitur et datur ad honestam sustentationem earum, quae religionem ingrediuntur. Et verum, sicut nomine *dotis*, quae solet solvi marito, intelligitur id quod datur a muliere proprio viro in sustentationem, sic nomine *dotis*, quae pro moniali professura solvi consuevit monasterio, in quo fit professio, intelligitur certa summa pecuniae taxata a legitimo Superiore; quae dari solet monasterio, non tamquam pretium status religiosi, sed *in sustentationem monialis in eo profitentis*.

54. «Dos monasterio seu religioni irrevocabiliter acquiritur per obitum religiosae, licet haec non nisi vota temporaria nuncupaverit» (can. 548). Si vero religiosa moritur ante primam professionem et non aliter disposuit, dos reddenda est legitimis heredibus. «Post primam religiosae professionem dos in tutis, licitis ac fructiferis nominibus collocetur ab Antistita cum suo Consilio, de consensu Ordinarii loci et Superioris regularis, si domus ab hoc dependeat; omnino autem prohibetur eam quoquo modo ante religiosae obitum impendi, ne ad aedificandam quidem domum aut ad aes alienum exstinguendum» (can. 549).

«Dotes caute et integre administrentur apud monasterium vel domum habitualis residentiae supremae Moderatricis aut Antistitae provincialis» (can. 550, § 1). Apud monasterium, si agitur de monialibus. «Ordinarii locorum conservandis religiosarum dotibus sedulo invigilent; et praesertim in sacra visitatione de eisdem rationem exigant» (ib. 2). «Si contra praescriptum can. 549 «Religiosarum etiam exemptarum Antistitae», «dotes puellarum receptarum quoquo modo impendere praesumpserint», «pro gravitate culpae, non exclusa, si res ferat, officii privatione, ab Ordinario loci puniantur» (can. 2412).

55. *Restitutio dotis.* «Dos religiosae professae sive votorum solemnium sive votorum simplicium quavis de causa discedenti integra restituenda est sine fructibus jam maturis» (can. 551, 2) «Si vero religiosa professa ad aliam religionem ex apostolico indulto transeat, durante novitiatu, fructus, salvo praescripto can. 570, 1; emissa vero nova professione, dos ipsa huic religioni debetur; si ad aliud ejusdem Ordinis monasterium, huic debetur ipsa dos a die transitus (ib. 2). Canon 570, 1, sequentia praescribit: Nisi pro alimentis et habitu religioso in constitutionibus vel expressa conventione aliquid in postulatu vel novitiatu ineundo solvendum caveatur, nihil pro impensis postulatus vel novitiatus exigi potest».

«Quae adspirans attulerit et usu consumpta non fuerint, si e religione, non emissa professione, egrediatur, ei restituantur» (ibid., 2).

SECTIO II

DE NOVITIATU

Haec sectio quatuor constat capitibus: in uno agetur de requisitis ad validum novitiatum; in altero, de disciplina in novitiatu servanda; in alio, de ipsis novitiis; quibus omnibus praeponendum est aliud de *postulatu*.

CAPUT I

DE POSTULATU

56.—Q. *Quid sit postulatus et quo jure requiratur?*

R. 1. Postulatus est ad instar vestibuli ad novitiatum, eo fine praescriptus ut actus religionis, cujus ingressum postulans praetendit, attente consideret, et vicissim ipsius etiam ingenium, indoles et virtus experimentis probentur. 2. Requiritur ex Codice J. C., can. 539, pro omnibus mulieribus, quae volunt intrare in religionem cum votis perpetuis; si agatur de religione virorum, pro omnibus conversis; in religionibus vero a votis

temporariis, ad necessitatem et tempus postulatus quod attinet, standum est constitutionibus.

Tempus postulatus. Qui peragere debent postulatum, tenentur saltem per sex menses, quod tempus nequit abbreviari; potest autem prorogari a Superiore majore, non tamen ultra aliud semestre. Postulatus peragi debet vel in domo novitiatus vel in alia religionis domo in qua disciplina secundum constitutiones accurate servetur sub speciali cura probati religiosi (can. 540, § 1).

57. Postulatus, secundum nostras Constitutiones, n. 260, peragi debet in domo Novitiatus vel in alio Prioratu, sub speciali cura Magistri Novitiorum, aut Supprioris, vel alius probati sacerdotis a Superiore Majore designati; quo tempore, Postulantes informentur de his Constitutionibus quae ipsos respiciunt, et in vulgari sermone eis legantur, tam ante receptionem ad habitum quam ante professionem.

Postulantes vestem induant modestam ac diversam a veste novitiorum (ib., § 2).

In monasteriis monialium adspirantes, dum postulatum peragunt, lege clausurae tenentur (1) (ibid § 3), et proinde nequeunt e clausura egredi, nisi quando ad saeculum sponte eas redire aut a superioribus dimitti contingat.

Postulantes antequam novitiatum incipiant, exercitiis spiritualibus vacent per octo saltem integros dies; et juxta prudens confessarii judicium, praemittant generalem anteactae vitae confessionem (can. 541).

Non requiritur postulatus ad validitatem novitiatus, ut enim inquit P. Vermeersch, Epit. J. C., 1, n. 518, postulatus nunquam est, ex jure communi, conditio valoris: vox enim peragant c. 539, mere praeceptiva est.

CAPUT II

DE REQUISITIS AD VALIDUM NOVITIATUM

Hoc caput in tres dividitur articulos, quorum primus erit de susceptione et delatione habitus religiosi; secundus, de loco novitiatus; tertius de ejus duratione.

(1) Adspirantes ad habitum religiosum clausuram ingrediuntur de licentia Ordinarii. (Instructio de clausura monialium votorum solemnium... IV. diei 6 febr. 1924. Acta A. S. XVI. 96).

ARTICULUS I

DE SUSCEPTIONE ET DELATIONE HABITUS RELIGIOSI

58.—Q. *Quid sit novitiatus et quomodo incipiatur?*

R. 1.º Novitiatus nomine in jure venit illud spatium temporis quod adspirantibus ad religionem amplectendam conceditur, ut ipsi regulam ac vitae institutum plene cognoscant simulque experiantur utrum onera et austeritates religionis sustinere valeant, et religio quoque adspirantis mores, ingenium et habilitates probare possit, antequam in religionem tanquam membrum definitive recipiatur (can. 565 et 571). 2.º Novitiatus incipit susceptione habitus vel alio modo in Constitutionibus determinato (can. 553). Conditiones pro admissione ad novitiatum, tum valida tum licita, supra n. 46 et sq. expositae sunt.

2.º *Constitutiones nostrae* n. 236, sequentia praescribunt: Informationibus et ceteris de jure absolutis, postulans proponatur Capitulo Conventus Novitiatus, quod, auditis Examinatoribus et visis documentis, omnibusque sedulo perpensis, per secreta suffragia de ejusdem admissione ad habitum decidat; si approbatus fuerit, a Superiore Majore ad habitum admitti poterit, et antequam susceptione habitus novitiatum incipiat, exercitiis spiritualibus vacet per octo saltem integros dies; et juxta prudens confesarii judicium, praemittat generalem confessionem anteactae vitae. Peracta autem indutione, in libro Novitiorum, adnotato anno, mense, dieque adscribatur.

59. Agendi ratio erga donatos, ante susceptionem habitus, praescribitur a nostris Constitutionibus, n. 261, his verbis: Circa finem postulatus, proponantur Capitulo Conventus in quo degunt, et si approbentur, de Superioris Provincialis consensu, factis antea per octo saltem integros dies exercitiis spiritualibus, et juxta prudens Confessarii judicium praemissa generali confessione totius anteactae vitae, Novitiorum habitu induantur. Donati Fratres erunt Novitii per duos annos continuos, quorum secundus erit stricte canonicus, ideoque in Conventu Novitiatus peragendus, et quidem in loco separato. Primo autem Novitiatus anno, si adsit justa causa, in quolibet Prioratu degere poterunt.

Moniales nostrae antequam ad novitiatum admittantur, Postulatum, ut supra, n. 56, ad sex saltem integros menses peragant in habitu modesto ac distincto ab illo novitiarum; conversae vero per integrum annum Postulatum peragent.

60.—Q. *An Novitiatus peragi debeat in habitu proprio novitiorum?*

R. Affirmative, ita enim praescribit Codex J. C., can. 557, his verbis: «Integer novitiatus peragatur in habitu quem Cons-

titutiones pro novitiis praescribunt, nisi speciales locorum circumstantiae aliud exigant».

ARTICULUS II

DE LOCO IN QUO NOVITIATUS PERAGI DEBET

61. — Q. *Quonam in loco novitiatus peragi debet?*

R. «In domo erecta ad normam Constitutionum; si vero agatur de religione juris pontificii, ad eam erigendam necessaria est licentia Sedis Apostolicae» (can. 554, § 1).

«Conventum Novitiis educandis dedicatum ab iis omnibus, quae tentationis occasiones pariunt, oportet esse remotum; quae Novitiatus domus erigi non potest, nisi praehabita Apostolicae Sedis licentia» (Constitut. nostrae, n. 216).

«Plures in eadem provincia novitiatus domus, si religio in provincias divisa sit, designari nequeunt, nisi gravi de causa et cum speciali apostolico indulto» (ib. § 2). «Superiores in novitiatus... domo ne collocent, nisi religiosos qui sint ad exemplum regularis observantiae studio» (ib. § 3); hoc idem jam praescripserat Innocentius XII per suum Decretum «Sanctissimus», 18 Jul. 1695, his gravissimis verbis: «In virtute sanctae obedientiae praecipit praefatis Superioribus, ad quos pertinet, ut in supradictis conventibus non collocent nisi Religiosos graves, devotos, exemplares, regularis observantiae et puritatis Regulae studiosos, orationi praesertim ac mortificationi, sine quibus religiosa vita consistere non potest, addictos, quique consentiant exacte servare vitam communem».

62. *Constitutiones autem nostrae,* n. 224, idem statuunt: «Patres ac Fratres professi, qui in hoc Conventu moraturi sint, singulari virtutum exemplo et boni communis zelo ita praestent ut Novitios ad aemulationem provocare possint». Et num. 218: «Prior hujus Conventus ex iis qui in nostro Ordine fuerint Magistri Novitiorum, quantum fieri poterit, eligatur, et qui de bona Fratrum educatione praevideatur valde sollicitus».

Praeterea, n. 217, praescribunt sequentia: «et in eo (Conventu Novitiorum) nec Provinciales habitabunt, neque studiorum actus exercebuntur, neque hospites frequenter admittentur».

Ex praescripto can. 564, § 1: «Novitiatus ab ea parte domus, in qua degunt professi, sit, quantum fieri potest segregatus ita ut, sine speciali causa ac Superioris vel Magistri licentia, novitii nullam habeant communicationem cum professis, neque hi cum novitiis».

«Conversis autem novitiis locus separatus adsignetur» (ibid., § 2).

ARTICULUS III

DE DURATIONE NOVITIATUS

63.—Q. *Quandiu durare debeat tempus novitiatus?*

R. Novitiatus in omni religione peragendus est «per annum integrum et continuum» sub poena nullitatis professionis (can. 555, § 1-2.º).

Annus in casu sumendus est prout est in calendario (can. 34, § 3-1.º), et quia in casu terminus *a quo* non coincidit necessario cum initio diei, idest novitiatus non semper neque necessario incipiendus primo momento diei, ideo primus dies non computatur, et annus finitur expleto ultimo die ejusdem numeri (can. 34, § 3-3.º) (1).

Debet igitur esse integer de die in diem, ita ut si novitiatus incepit die 8 aprilis, hora 10 ante meridiem, integratur annus eadem die 8 aprilis, non vero hora decima, sed hora vigesima quarta illius diei: ita ut professio valide fieri nequeat, nisi postquam dies nona aprilis sequentis anni inceperit.

64. *Quomodo vero computandus sit annus in anno bissextili? an sufficiant dies 365, vel requirantur dies 366?* Distinguendum videtur, si professio emittatur ante diem 29 februarii, vel in ipsa die 29, in his casibus sufficit annus 365 dierum, ita ut qui novitiatum inchoavit die 8 februarii anni 1927, vota religiosa emittere possit die 9 februarii 1928 bissextili, et qui novitiatum inchoavit 28 febr. 1927, vota religiosa similiter emittere possit die 29 febr. 1928, quia in his duobus casibus completur annus integer novitiatus ad normam can. 34, § 3, n. 1.º.

A die vero 29 a. 1928, et deinceps, qui novitiatum e. gr., inchoavit die 1 martii 1927, vota religiosa emittere nequit ante diem 2 martii 1928, et proinde annus erit 366 dierum, et qui novitiatum inchoavit die 29 febr. 1928, dies professionis non erit 28 feb. 1929, sed dies 1 martii, id est expleto *ultimo die mensis,* qui in casu est 28 febr.

65. Annus debet esse *continuus et non interruptus.*

«Novitiatus interrumpitur, ita ut denuo incipiendus ac perficiendus sit, si novitius, a Superiore dimissus, e domo exierit, aut domum sine illius licentia non reversurus deseruerit, aut extra domum, etsi reversurus, ultra triginta dies sive continuos sive non continuos permanserit quacumque ex causa, etiam de Superiorum licentia» (can. 556, § 1).

«Si novitius ultra quindecim, sed non ultra triginta dies etiam non continuos, de Superiorum licentia vel vi coactus

(1) Ita declaravit Commissio Pontif., die 12 novemb. 1922 (Acta A. S. XIV, 661).

extra domus septa permanserit sub Superioris obedientia, ad validitatem novitiatus necesse et satis est dies hoc modo transactos supplere; si non ultra quindecim dies, supplementum potest a Superioribus praescribi, sed non est ad validitatem necessarium» (ib., § 2).

Si longius tempus in constitutionibus pro novitiatu praescribatur, illud ad validitatem professionis non requiritur, nisi in eisdem constitutionibus aliud expresse dicatur (c. 555, § 2). «Si novitius a Superioribus in aliam novitiatus domum ejusdem religionis transferatur, novitiatus non interrumpitur» (can. 556, § 4). Sed si pro hac translatione insumerentur ultra triginta dies, novitiatus videtur interrumpi, ita ut novitiatus esset iterum incipiendus, ob praescriptum can. 556, § 1) per haec verba «quacumque ex causa».

«In religionibus in quibus duae sunt sodalium classes, novitiatus pro altera classe peractus, pro altera non valet» (can. 558)

66.—Q. *An detur exceptio quoad integrum annum novitiatus?*

R. Affirmative ex declaratione S. Congr. de Relig., 30 decembr. 1922, qua indulgetur novitiis, qui novitiatum canonice inceperint, in articulo mortis constitutis, posse ad professionem, vel consecrationem aut promissionem admitti.

1. Sed ad hoc necesse est ut novitiatum vel postulatum canonice inceperint.

2. Superior qui Novitium seu Probandum ad professionem admittit, praeter Superiores Majores respectivos, quibus ex praescripto Constitutionum competit, esse possit ille qui Monasterium, vel Novitiatus aut probandatus domum actu regat, aut praedictorum Superiorum delegatus.

3. Formula professionis... sit eadem quae in Instituto extra casum aegritudinis in usu est; et vota si nuncupentur, sine temporis determinatione aut perpetuitate pronuncientur.

4. Qui hujusmodi professionem... emiserit, particeps erit omnium omnino indulgentiarum, suffragiorum et gratiarum quae Religiosi vere professi in eodem Instituto decedentes consequuntur; eidem autem plenaria peccatorum suorum remissio in forma Jubilaei misericorditer in Domino conceditur.

5. Haec professio..., praeter gratias in praecedenti articulo enuntiatas, nullum omnino alium producit effectum. Proinde:

A) Si Novitius seu Probandus post hujusmodi professionem... intestatus decedat, Institutum nulla bona vel jura ad ipsum pertinentia sibi vindicare poterit;

B) Si convalescat ante quam tempus novitiatus seu probandatus exspiret, in eadem omnino conditione versetur ac si nullam professionem emisisset; ideoque: a) libere si velit, ad saeculum redire poterit; et b) Superiores illum dimittere

valent; c) totum novitiatus seu probandatus tempus in singulis Institutis definitum, licet sit ultra annum, explere debet; d) hoc tempore expleto; si perseveret, nova professio seu consecratio vel promissio erit emittenda.

Declarat denique haec Sacra Congregatio, nihil obstare quominus praedictae dispositiones etiam in Constitutionibus Ordinum et Congregationum inseri valeant, si hoc Instituta ipsa postulent. Romae, ex Sacra Congregatione de Religiosis, die 30 decembris 1922. (Acta Ap. Sedis, XV, 156).

67. Exacto novitiatu, si judicetur idoneus, novitius ad professionem admittatur, secus dimittatur; si dubium supersit sitne idoneus, potest a Superioribus majoribus probationis tempus, non tamen ultra sex menses, prorogari» (can. 571, § 2). Ante professionem novitius debet exercitia spiritualia praemittere per octo saltem solidos dies» (can. 571, § 3).

Novitius qui nondum est exemptus a servitio militari proprie dicto, nequit professionem emittere nisi temporaneam valituram usque ad servitium militare, vel realiter susceptum vel absolute liberatum. Durante servitio militari talis professus, quamvis nullis votis religiosis ligatus, manet membrum religionis, potest tamen libere relinquere religionem et etiam ex justa causa a Superioribus dimitti (Commis. Pont., 15 Julii 1919, Acta Ap. S., XI, 332). In Congregationibus vero religiosis, in quibus ex constitutionum praescripto post Novitiatum vota annualia emittuntur, alumni servitio militari adscripti, absoluto Novitiatu, admitti valent ad professiones annuales, ita tamen ut vota annualia cessent, si religiosi ad servitium militare vocentur, et eo die quo militiae effective adscripti et disciplinae militari subjecti evadant. (S. Congr. de Relig., 30 Nov. 1919). Acta Ap. S., XII, 737.

CAPUT III

DE DISCIPLINA IN NOVITIATU SERVANDA

Hoc caput in tres dividitur articulos, quorum primus erit de Magistro novitiorum ejusque qualitatibus; secundus, de informatione novitiorum; tertius de eorum approbatione in ordine ad professionem.

ARTICULUS I

DE MAGISTRO NOVITIORUM EJUSQUE QUALITATIBUS

68. — Q. *Quaenam statuta sint quoad Magistrum novitiorum?*

R. «Novitiorum institutioni praeficiendus est Magister, qui sit annos natus quinque saltem ac triginta, decem saltem ab annis a prima professione professus, prudentia, caritate, pietate, religionis observantia conspicuus et, si de clericali religione agatur, in sacerdotio constitutus» (can. 559, § 1).

«Si ob novitiorum numerum vel aliam justam causam expedire visum fuerit, Magistro novitiorum adjungatur socius, eidem immediate subjectus in iis quae ad novitiatus regimen spectant, annos natus saltem triginta, quinque saltem ab annis a prima professione professus, cum ceteris dotibus necessariis et opportunis» (ib. § 2). «Uterque ab omnibus officiis oneribusque vacare debet, quae novitiorum curam et regimen impedire valeant» (ib. § 3).

69. *Quoad electionem.* «Magister novitiorum ejusque socius eligatur ad normam constitutionum, et si quod in his tempus ad durationem muneris praescriptum sit, eo durante, ne removeatur sine justa gravique causa; sed iidem rursus eligi possunt (can. 560).

Apud Nos ex praescripto Constitutionum, n. 219: «Magister Novitiorum, qui sit quinque saltem et triginta annos natus et decem saltem ab annis a prima professione professus, prudentia, caritate, pietate et religionis observantia conspicuus, a Definitorio Provinciali eligatur; eritque Supprior Conventus Novitiatus, ejusque officium usque ad sequens Capitulum durabit».

«Si ob Novitiorum numerum vel aliam justam causam expedire visum fuerit, Magistro Novitiorum adjungatur Socius, a Definitorio Provinciali electus, ipsique Magistro immediate subjectus in iis quae ad Novitiatus regimen spectant, annos natus saltem triginta, quinque saltem ab annis a prima professione, professus, cum ceteris dotibus necessariis et opportunis». «Uterque autem ab omnibus officiis oneribusque vacare debet, quae Novitiorum curam et regimen impedire valeant» (Constit. N. nn. 220 et 221).

70. *Quoad potestatem.* «Uni Magistro jus est et officium consulendi novitiorum institutioni, ad ipsumque unum novitiatus regimen spectat, ita ut nemini liceat hisce se, quovis colore, immiscere, exceptis Superioribus quibus id a constitutionibus permittitur ac Visitatoribus; ad disciplinam vero universae domus quod attinet, Magister, perinde ac novitii, Superiori est

obnoxius» (can. 561, § 1). Haec potestas forum internum dumtaxat respicit. Constitutiones nostrae, n. 223, addunt: «Nihil igitur Prior erga Novitios disponat, inconsulto Magistro, cum quo amanter admodum agere debet. Poterit tamen interdum Novitios in communi exhortari, et aliquando communibus eorum actibus interesse privatimque singulos visitare et solari».

ARTICULUS II

DE INFORMATIONE NOVITIORUM

71. — Q. *Quaenam statuta sunt circa informationem novitiorum?*

R. «Annus novitiatus debet sub disciplina Magistri hoc habere propositum, ut informetur alumni animus studio regulae et constitutionum, piis meditationibus asssiduaque prece, iis perdiscendis quae ad vota et ad virtutes pertinent, exercitationibus opportunis ad vitiorum semina radicitus exstirpanda, ad compescendos animi motus, ad virtutes acquirendas» (can. 565, § 1). Idem praescribunt Constitutiones nostrae n. 241.

«Conversi praeterea diligenter in christiana doctrina instituantur, speciali collatione ad eos habita semel saltem in hebdomada» (ibid. § 2).

«Anno novitiatus ne destinentur novitii concionibus habendis aut audiendis confessionibus aut exterioribus religionis muniis, neve dedita opera studiis vacent litterarum, scientiarum aut artium; conversi autem in ipsa religiosa domo eatenus tantum fungi possunt officiis fratrum conversorum (non tamen uti primarii officiales) quatenus ab exercitiis novitiatus pro ipsis constitutis non praepediantur» (ib. § 3).

72. *De confessariis novitiorum.* «In religionibus virorum, salvo praescripto can. 519: 1.º Pro novitiorum numero unus vel plures habeantur ordinarii confessarii, salvo praaescripto can. 891, sequentia disponentis: «Magister novitiorum ejusque socius... sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant». Gravis et urgens causa potest esse nedum necessitas absolutionis ab aliquo gravi peccato, sed etiam ipsum desiderium rite sese disponendi ad S. Communionem, si ipsi novitio videatur se esse indispositum, vel etiam desiderium speciale consilium petendi, vel aliquid hujusmodi. Addit canon «in casibus particularibus», idest si unus vel alter novitius sponte petat, et nunquam per modum habitus: urgens enim causa requisita supponit *immediatam* necessitatem et non habitualem seu continuatam. Idem praescribunt nostrae Constitutiones, n. 243.

2.º «Confessarii ordinarii, si agatur de religione clericali, in ipsa novitiatus domo commorentur; si de laicali, saltem frequenter ad domum novitiatus accedant, novitiorum confessiones audituri»;

3.º «Praeter confessarios ordinarios, designentur aliqui confessarii, quos novitii in casibus particularibus adire libere possint, nec Magister aegre id se ferre demonstret»;

4.º Quater saltem in anno detur novitiis confessarius extraordinarius, ad quem omnes accedant saltem benedictionem recepturi» (can. 566, 2),

Denique etiam novitii ad suae conscientiae quietem, ad normam can. 519, uti possunt privilegio adeundi confessarium quemcumque ab Ordinario loci approbatum, etsi inter destinatos pro ipsis non recensitum, revocato quolibet contrario privilegio. Quae dicta sunt de confessariis novitiorum, intelligenda sunt etiam de novitiis conversis; non vero de professis, qui, apud nos, per annum sub speciali cura magistri professorum manent, nec de studentibus in collegiis philosophiae et theologiae.

ARTICULUS III

DE APPROBATIONE NOVITIORUM IN ORDINE AD PROFESSIONEM

73.—Q. *Quaenam statuta sint a nostris Constitutionibus circa approbationem Novitiorum?*

R. Sequentia: «Dei gloria et commune Ordinis bonum prae oculis haberi debet in Novitiorum approbatione. Expendant ergo Patres, quantum in rerum spiritualium studio in sui abnegatione, obedientia, humilitate, ceterisque virtutibus Novitius profecerit; et si inquietus propriaeque sententiae ac voluntatis tenax, inconstans, ab specie mali non abstinens, Ordini inutilis, infirmus aut ejusmodi aliis defectibus notatus sit, dimittatur» (n. 246).

«Ter in anni cursu, videlicet quarto, octavo et decimo mense, quilibet Novitius Capitulo proponatur, ita tamen ut ipsum res lateat; et antequam dies Capituli accedat, Patres qui suffragia laturi sunt, a Patribus aliis vel Fratribus, qui domi morantur, quaerere poterunt, quid de Fratribus proponendis sentiant; quae veraciter Capitulo referant. Ut autem die Capituli ad rem ventum erit, Prior, Magister et ceteri Patres suffragaturi dicant, quid de Novitiis censeant, et postea suffragia ferant in hunc modum» (n. 247).

«Si prima, secunda et tertia vice major Capituli pars Novitios approbet, domi remaneant suo tempore professuri, nisi quid novi postea professione indignum in ipsis reperiatur. Si e contrario accidat, scilicet ut major pars Capituli etiam prima vice Novitios reprobet, statim dimittantur» (n. 248).

«Si tamen prima et secunda vice suffragia aequalia sint, domi remaneant usque ad tertiae probationis tempus si forte proficiant; si etiam tertia vice suffragia aequalia sint, dimittantur, nisi Superior Major tempus probationis usque ad finem anni novitiatus vel etiam longius, ad normam Juris, prorogandum judicaverit; quo in casu, tempore ab eodem stabilito, Novitius iterum Capitulo proponatur; et si major Capituli pars eum non approbaverit, statim dimittatur» (n. 249).

«Si autem Novitius aliquis eas culpas commiserit, quae sine aliorum scandalo tolerari nequeant, a Priore cum consensu Discretorum statim expellatur, monito Provinciale; nec praefixum solitae propositionis tempus exspectetur. Imo, si post approbationem ultimam ejusmodi culpas commiserit, vel quid novi Professione indignum in ipso reperiatur, iterum Capitulo proponatur; et si major Capituli pars eum culpabilem invenerit, confestim expellatur, ac si nunquam fuisset approbatus; et idem servetur quotiescumque post ultimam approbationem Prior voluerit, vel tres Discreti a Priore Conventus hoc petierint. Quod si post ultimam approbationem, tribus Discretis petentibus, Prior Novitium non proponat Capitulo, sit suspensus ab officio per tres menses statimque Provincialis de re certior fiat; si autem post tertiam approbationem major pars Capituli petierit, ut Novitius denuo proponatur Capitulo, debet proponi; quod si Superior non fecerit et Novitius professionem emiserit, professio sit nulla, et Superior sit suspensus per sex menses; de qua re Provincialis moneatur» (n. 250).

74. *Fratres autem Donati Novitii* ex praescripto nostrarum Constitutionum, nn. 265-268: «Sexto et duodecimo mense primi Novitiatus anni, Capitulo Conventus proponantur beneque explorentur mores eorum, quos oportet devotos, simplices, fideles et laboris patientes esse, cum ad laborem vocati sint; quem si ferre detrectent, se professione indignos ostendunt».

«In secundo vero Novitiatus anno, ter Capitulo Conventus proponantur, quarto videlicet, octavo et decimo mense, et approbentur vel reprobentur; si post ultimam hanc approbationem iterum esset proponendus aliquis Frater Donatus, in casibus a Constitutionibus possitis, requirantur ad ejus approbationem duae e tribus suffragiorum partibus; ad alias autem approbationes semper requiratur major pars suffragiorum, praeter illas quae primo anno fiunt, in quibus sufficient suffragia aequalia». «Qui digni fuerint, expleto secundo anno, servatis de jure servandis, professionem emittant, sub eadem forma verborum qua Fratres Choristae utuntur, et quartum votum adjungant in hanc formam: «*Insuper promitto me numquam praetensurum ascensum ad gradum aliquem altiorem eo, ad quem a Deo vocatus sum*».

«Quod si expleto secundo anno indigni professione judicentur, vel etiam si digni alias judicentur, ipsi tamen professionem emittere, vel quartum votum adjungere nolint, statim dimittantur».

75.—Q. *An et quomodo peccet qui suffragium denegat digno, vel dat indigno?*

R. Juxta sententiam communem in utroque casu graviter peccat. Qui enim suffragium digno denegat, magnam committit injustitiam, tum contra Religionem, quam idoneo membro et magno decore privat; tum erga novitium, cujus violat jus, quod ad professionem habet, et salutem aeternam maximo forsan exponit periculo.

Qui autem indigno dat suffragium, maximum infert damnum Religioni, quae per membra inutilia et noxia inhonoratur et ad relaxationem in observantia regulari adducitur; et ipsi novitio, qui ad statum admittitur, in quo gravi exponetur aeternae salutis discrimini.

In dubio autem de idoneitate alicujus novitii, dubium deponendum est per inquisitiones ab illis qui informationes dare queunt. Si non obstantibus illis inquisitionibus, dubium serium perseveret, negandum est sufragium tam ad habitum, quam ad professionem, prior enim est religio quam novitius, proindeque non huic, sed illi favendum est in casu dubii.

CAPUT IV

DE IPSIS NOVITIIS

Hoc caput in duos dividitur articulos, quorum primus erit de obligationibus novitiorum, alter vero de eorum juribus et privilegiis.

ARTICULUS I

DE OBLIGATIONIBUS NOVITIORUM

76.—Q. *An novitii obligentur ad regularem observantiam?*

R. Ad observantiam regularem et praeceptorum communium Religionis *per se et directe* novitii in conscientia non obligantur. Non apparet enim ex quo capite oriretur haec obligatio pro novitiis, cum vota nondum emiserint, et status illorum plus non exigat, quam ut Religio novitium suum regere, instruere, corrigere et delinquentem punire possit: quod fieri potest etiam si novitius ipse ad Regulam et praecepta hujusmodi observanda in conscientia non obligatur. Verum honestas et decentia

omnino suadent, ut novitii Regulam et praecepta communia Religionis observent. Patet ex eo quod alias regula generalis sit, ut qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam. Accedit quod, nisi et ipsi observent Regulam Ordinis, non satis probarent Religionem, nec Religio ipsos; et ex transgressionibus repetitis oriretur scandalum, confusio et perturbatio magna in Ordine. Et hinc fit, quod hujusmodi transgressiones saepe etiam peccaminosae fiant.

Aliter vero sentit P. Prümmer, Man. J. C., q. 212, ait enim: Novitii debent observare regulam et constitutiones, et quidem non tantum ex quadam decentia et honestate (ut volunt nonnulli auctores) sed etiam *ex conventione*. Haec enim obligatio est intrinseca conventioni initae a novitio in admissione ad novitiatum. Etenim recipitur velut civis religionis; atque non solum ut ipse experiatur regulares observantias, sed etiam, ut religio experiatur ejus voluntatem et aptitudinem ad illas servandas. Jam vero nec ipse novitius potest sufficienter experiri, quid valeat circa statuta religionis, nisi ea observando, nec religio potest experiri, quantum valeat et velit ea observare.

77.—Q. *Quid dicendum de novitio, qui, absque justa causa, deserit Religionem?*

R. Novitius, *per se loquendo*, libere et licite Religionem deserere et ad saeculum redire potest, nulla allegata causa, et non requisita Praelati licencia. Ratio est, quia amplecti statum religiosum non est de praecepto, sed tantum de consilio. Porro transgressio seu praetermissio consilii per se non constituit peccatum.

Dicitur, *per se loquendo*: nam datur duplex exceptio: 1.º *Ratione voti*. Si enim novitius emiserit votum ingrediendi Religionem, vel in ea permanendi, tunc tenetur manere, nisi in Religione experiatur difficultates adeo graves, ut eis ferendis moraliter sit impar: nam eo in casu materia voti fit moraliter impossibilis. Si autem sua culpa dimittatur, tenebitur mediocrem adhibere diligentiam, ut se corrigat et recipiatur in eodem vel in alio Ordine. Si vero sine culpa dimittatur ob impedimentum aliquod temporaneum, tenebitur, eo cessante, se rursus offerre, si probabilis appareat spes admissionis; secus, si ob impedimentum perpetuum dimissus fuisset.

2.º *Ratione periculi cui exponitur* salus aeterna novitii egredientis. Hoc enim peccatum erit plus minusve grave, quatenus illud periculum praevidetur plus minusve proximum.

78.—Q. *An novitius egrediens teneatur solvere expensas ad suam sustentationem factas?*

R. «Nisi pro alimentis et habitu religioso in constitutionibus vel expressa conventione aliquid in postulatu vel novitiatu

ineundo solvendum caveatur, nihil pro impensis postulatus vel novitiatus exigi potest, ex praescripto can. 570, § 1: eadem ratio est, si novitius perseveret, ac si in saeculum redeat.

ARTICULUS II

DE JURIBUS ET PRIVILEGIIS NOVITIORUM

79.—Q. *Quaenam a jure statuta sint circa renuntiationem bonorum a novitio faciendam?*

R. «In novitiatus decursu, si suis beneficiis vel bonis quovis modo novitius renuntiaverit, renuntiatio vel obligatio non solum illicita, sed ipso jure irrita est» (can. 568).

Circa cessionem bonorum sequentia praescribit Codex J. C., can. 569: «Ante professionem votorum simplicium sive temporariorum sive perpetuorum novitius debet, ad totum tempus quo simplicibus votis adstringetur, bonorum suorum administrationem cedere cui maluerit et, nisi constitutiones aliud ferant, de eorundem usu et usufructu libere disponere» (1) (can. 569, § 1). Dubium motum est: «Num verba nisi constitutiones aliud ferant praecedentis can. 569, § 1, ad vocem *libere*, ejusdem canonis, referantur, ita ut liceat per constitutiones determinare in quem finem de usu et usufructu a novitiis sit statuendum? Et *Commis. Pontif. ad Codicis canones interpretandos*, die 16 Octobr. 1919, respondit: «Constitutiones ante promulgationem Codicis approbatae servandae sunt, sive novitiis adimant jus disponendi de usu et usufructu suorum bonorum, sive hoc jus limitent seu praefiniant. (Acta Ap. S. XI, 477). «Ea cessio ac dispositio, si praetermissa fuerit ob defectum bonorum et haec postea supervenerint, aut si facta fuerit et postea alia bona quovis titulo obvenerint, fiat aut iteretur secundum normas § 1 statutas, non obstante simplici professione emissa» (ib. § 2).

80. *De novitiorum privilegiis.* «Novitii privilegiis omnibus ac spiritualibus gratiis religioni concessis gaudent; et si morte praeveniantur, ad eadem suffragia jus habent, quae pro professis praescripta sunt» (c. 562, § 1). «Ad ordines, durante novitiatu, ne promoveantur» (ib. § 2).

Quaesitum est: «Utrum ad normam can. 567, § 1, novitii... si morte praeveniantur, ad eadem ac professi a votis sollemnibus, aut professi a votis simplicibus perpetuis, suffragia jus habeant, etiamsi aliter ferant constitutiones antea approbatae a S. Sede?». Et Commis. Pontif. die 16 Oct. 1919, respondit: «Affirmative et ad mentem». Mens est: «Ordines et Congregationes religiosae possunt congrua eademque suffra-

(1) Fratres votorum simplicium, ex praescripto Constitutionum nostrarum n. 274 nequeunt de bonorum usu et usufructu disponere.

gia pro omnibus novitiis, temporanee professis et professis a votis sollemnibus aut professis a votis simplicibus perpetuis, praescribere in suis constitutionibus emendandis et pro approbatione exhibendis ad S. C. Religiosorum, ad normam ejusdem S. Congregationis Decretum die 26 junii 1918, (Acta Ap. S., XI, 478).

Novitii ergo, etiam laici, a momento canonicae vestitionis, veniunt in jure sub nomine religiosorum, et ideo fruuntur clericorum privilegiis et ab Ordinarii loci jurisdictione sunt exempti in religione exempta, et habent privilegia canonis, fori, exemptionis, etc., sicut professi.

SECTIO III

DE PROFESSIONE RELIGIOSA

Haec sectio tribus constat capitibus; in primo agetur de professione in genere; in secundo de professione simplici; in tertio de professione solemni.

CAPUT I

DE PROFESSIONE RELIGIOSA IN GENERE

Hoc caput in quatuor dividitur articulos, quorum primus erit de professionis notione; secundus de ejus solemnitatibus; tertius de illius effectibus; quartus de professionis nullae convalidatione.

ARTICULUS I

DE PROFESSIONIS RELIGIOSAE NOTIONE

81.—Q. *Quid sit professio religiosa?*

R. In sensu stricto, prout hic loquimur, est publica emissio votorum in aliquo instituto religioso ab Ecclesia approbato. Est duplex: *simplex,* in qua vota tantum simplicia emittuntur; *solemnis* in qua emittuntur vota solemnia (c. 574).

82.—Q. *Quae conditiones requirantur ad validam professionem?*

R. Ex praescripto codicis J. C., can. 572, sunt sequentes: «1.º Qui eam emissurus est legitimam aetatem habeat ad normam can. 573», nempe decimum sextum aetatis annum expletum, si de temporaria professione agatur; vigesimum primum expletum, si de perpetua sive solemni sive simplici professione. «2. Eum ad professionem admittet legitimus Superior secundum constitutiones». Juxta nostras Constitutiones, nn. 270,

272, quaelibet professio debet fieri de consensu Superioris Majoris, et cum Capituli Conventualis suffragio, quod pro prima professione temporanea erit deliberativum, pro subsequenti vero professione sollemni erit consultivum tantum» (c. 575). 3.º Novitiatus validus ad normam can.555 praecesserit». «4.º Professio sine vi aut metu gravi aut dolo emittatur. De *vi* et *dolo* patet, quia ubi causam dant contractui, consensus deest. De metu constat ex cap. *Perlatum*, 1 Decr., tit. 40, de his quae vi metusve causa fiant. Metus potest esse gravis, puta incarceratio, vel alimentorum substractio, eo quod in professionem consentire noluerit. Item *gravis* esse potest *metus reverentialis*, non quidem se solo, sed accedente precum, blanditiarum, vel imperii saepius repetita importunitate, aut gravi offensione, aut diu continuata indignatione consanguineorum, adjunctis etiam minis de subsidiis negandis, si Religione egrediatur. Haec enim singula, vel certe simul juncta, considerata conditione hominis rudis, timidi, metum gravem incutere possunt, et sic professionem irritare. (Cfr. S. Alph. l. 5, n. 7).

«5.º Sit expressa». *Tacita* ergo non amplius existit. 6.º «A legitimo Superiore secundum constitutiones per se vel per alium recipiatur. (ib. n. 6.º). Cuinam apud nos Superiori professionem recipere competat cfr. n. 85.

«Ad validitatem vero *professionis perpetuae* sive solemnis sive simplicis, requiritur insuper ut praecesserit *professio simplex temporalia* ad normam can. 574» (can. 572, 2).

ARTICULUS II

DE SOLEMNITATIBUS PROFESSIONIS RELIGIOSAE

83.—Q. *Quaenam servanda sint in emissione professionis?*

R. 1.º Servandus est ritus in qualibet Religione praescriptus (can. 576, 1) (1); hoc tamen non requiritur sub poena nullitatis, dummodo profitens et professionem acceptans animum suum sufficienter manifestent. Excipe, si Constitutiones Ordinis a S. Sede approbatae id exigant sub poena nullitatis.

2.º Fieri debet cum respectu ad certam et determinatam Regulam.

3.º Fieri debet absolute, uti mos est in omnibus Religionibus (cfr. Piat. I-144).

(1) S. Cong. de Rel. die 10 julii 1919 declaravit "ut professioni solemni Monialium reserventur ritus illi omnes et caeremoniae quae ad perpetuitatem status referuntur; ad professionem vero temporaneam sufficit ut, ad normam canonis 577, 1, n. 6, a legitimo Superiore secundum Constitutiones per se vel per alium recipiatur." Acta A. S. XI. p. 323.

84.—Q. *In cujusnam manibus facienda sit professio?*

R. Cum quaelibet Religio assignare soleat Superiorem, in cujus manibus facienda est professio, consulat unusquisque statuta Ordinis sui.

85.—Q. *In cujusnam manibus apud Nos emittenda sit professio?*

R. Emittenda est in manibus Superioris, juxta Manuale nostrum (p. 171). Competit autem primum R. P. N. Praeposito Generali; deinde Patri Provinciali vel ex ipsius delegatione, Superiori locali aut alii Patri (Constitutiones nostrae, n. 270).

In absentia vero R. P. Provincialis, Superior conventus, in quo fit professio, eget delegatione a R. P. Provinciale ad hoc, ut possit, acceptare professionem.

86.—Q. *Quid dicendum de casu, quo novitius suam emiserit Professionem in manibus Prioris, quin Provincialis dederit veniam illum admittendi ad Professionem, non tamen contradixerit?*

R. Esset invalida; eget enim Prior delegatione, ut supra dictum est.

87.—Q. *Quid faciendum in casu, quo aliqua professio esset emittenda, et nec Provincialis nec Prior esset praesens?*

R. Eo in casu nec Magister novitiorum, nec aliquis Definitor Provincialis posset recipere hanc professionem absque *expressa* delegatione R. P. N. Praepositi Generalis, vel Provincialis. Ratio est, quia nec *de jure communi*, nec de *jure nostro*, ipsis conceditur haec potestas. Quod autem Praelati possint illam concedere delegationem, probatur: 1.º ex juris Regula 68, in 6.º Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum; 2.º in jure dicitur Abbatem recipere professionem per se vel per alium.

88.—Q. *In cujusnam manibus emittere debeant Moniales nostrae suam professionem?* (1)

R. Ad nostras Moniales quod attinet, habetur specialis dispositio, juxta ipsarum Constitutiones, (c. 2, n. 16) ubi praescribitur, ut «Professio non in locutorio, seu apud crates ferreas, sed in Capitulo fiat, praesentibus ipsius domus Religiosis So-

(1) Ex declaratione Commis. Pontif., 1 martii 1921, in Congregationibus Religiosarum juris pontificii, legitimus Superior ad recipiendam professionem religiosam est Episcopus vel ejus delegatus.

roribus tantum, emittaturque professio in manibus Priorissae absque praesentia alicujus Praelati». Haec specialis dispositio, cum habeatur in novissimis Constitutionibus, est approbata a Sede Apostolica ac proinde a Monialibus nostris servanda. Quinimo, standō *in jure communi*, ut merito animadvertit Grandclaude, (II-242) Abbatissa potest professionem suarum Monialium acceptare, cum acceptatio illa non sit actus jurisdictionis.

89.—Q. *Ubinam professio sit emittenda?*

R. 1.º Quoad professionem simplicem, haec statuit Codex J. C., can. 574, § 1: «In quolibet Ordine tam virorum quam mulierum et in qualibet Congregatione quae vota perpetua habeat, novitius post expletum novitiatum, in ipsa novitiatus domo debet votis perpetuis, sive sollemnibus sive simplicibus, praemittere, salvo praescripto can. 634, votorum simplicium professionem ad triennium valituram, vel ad longius tempus, si aetas ad perpetuam professionem requisita longius distet, nisi constitutiones exigant annuales professiones». Idem praescribunt nostrae Constitutiones, n. 270.

Quod vero spectat ad locum conventus, in quo fieri debet professio, in jure non determinatur. Unusquisque igitur Ordo suum consulat Rituale.

Apud Nos autem, juxta Man. (p. 171) fit in Ecclesia, vel in Capitulo seu in Choro.

90.—Q. *Quomodo professio fieri debeat in his Congregationibus, in quibus intra Missam peragi valeat?*

R. Celebrans profitentium vota excepturus, sumpto SS. Eucharistiae Sacramento, absoluta confessione, ac verbis quae ante fidelium communionem dici solent, Sacram Hostiam manu tenens, ad profitentes sese convertet. Hi vero singuli alta voce professionem suam legent, et postquam quisque legerit, statim SS. Eucharistiae Sacramentum sumet. In renovatione autem votorum, Celebrans ad altare conversus, expectet donec renovantes votorum formulam protulerint; qui, nisi pauci sint, omnes simul, uno praeeunte, formulam renovationis recitabunt, ac postea ex ordine SS. Corpus Domini accipient .(S. R. C. 14 Aug. 1894). Quam resolutionem S. Pontifex Leo XIII approbavit, ratam habuit ac decreta in contrarium facientia per praesens penitus abrogata esse declaravit, 27 Aug. 1894. Cfr. N. R. T. 26-575).

Et juxta resp. ejusdem S. C. diei 5 Jan. 1896, Decretum illud ad quaslibet religiosas Congregationes, tam virorum quam mulierum, extendi potest ubi vota nuncupantur vel renovantur

intra Missam coram Celebrante Sacram Hostiam manu tenente. (Cfr. N. R. T., 28-670).

ARTICULUS III

DE EFFECTIBUS PROFESSIONIS

91.—Q. *Quotuplicis generis sint effectus professionis religiosae?*

R. Sunt duplicis generis: alii sunt onerosi, qui nempe important obligationes, de quibus agetur in sequenti parte; alii autem sunt gratiosi, qui scilicet nullam important obligationem.

92.—Q. *Quinam sint praecipui effectus gratiosi professioni religiosae communes?*

R. Sunt sequentes, videlicet: 1.º Professio liberat professum a potestate patria: per professionem enim in potestatem transit Superioris regularis, eique plane subjicitur. Lex civilis non admittit quidem hanc juris Canonici dispositionem, sed filium sub paterna potestate tenet subjectum, usque ad suam majoritatem. Lex autem civilis obligare non potest contra legem ecclesiasticam.

Unde parentes, qui hujusmodi legi innixi, filium aut filiam suam, post emissam professionem, e conventu extraherent sine gravi et rationabili causa, procul dubio graviter peccarent, nec possent in tribunali Poenitentiae absolvi, nisi a tali injustitia desisterent.

93. 2.º *Remissio peccatorum quoad poenas*: Effectus ille obtinetur, si professus sit in statu gratiae, simulque ab omni prava affectione ,etiam leviter culpabili, sit immunis. Ratio est, quia professio religiosa est holocaustum Deo oblatum, ut clare exponit S. Thomas, (2, 2, q. 189, a. 3, ad 3) «rationabiliter autem, ait, dici potest, quod etiam per ingressum Religionis aliquis consequatur remissionem omnium peccatorum: si enim aliquibus eleemosynis factis, homo potest statim satisfacere de peccatis suis, secundum illud Danielis, (IV, 24). «*Peccata tua eleemosynis redime*»; multo magis in satisfactionem pro omnibus peccatis sufficit, quod aliquis se totaliter divinis obsequiis mancipet per Religionis ingressum, quod excedit omne genus satisfactionis, etiam publicae poenitentiae, ut habetur in Decr. 33, q. 1, cap. *Admonere*: sicut etiam holocaustum excedit sacrificium. Unde legitur in vitis Patrum quod eamdem gratiam consequuntur Religiones intrantes, quam consequntur baptizati».

Utrum effectus ille attribuendus sit etiam renovationi votorum, inter auctores controvertitur. Alii affirmant, quia hu-

jusmodi renovatio, quoad voluntatem, quam praesertim respicit Deus, est nova donatio, et saepe ex majori affectu et amore in Deum procedit. Alii vero negant, quia iterum donare, quod jam irrevocabiliter donatum est, vel pie gaudere de dono jam facto, de se non est opus adeo excellens, ut primam donationem adaequet. Quod si renovatio fiat cum aequali, vel etiam majori vi satisfactiva, id caritati imperanti et concomitanti potius tribui debet, quam ipsi renovationi votorum.

Quidquid sit de illa controversia, nihilominus, affirmandum est renovationem votorum esse opus excellens, ideoque magnae virtutis et satisfactionis.

94. 3.º *Suspensio votorum in saeculo emissorum.*

Vota ante professionem religiosam emissa suspenduntur, donec vovens in religione permanserit ad normam canonis 1315: si ergo e religione exeat vel dimittatur, vota reviviscunt, quia non dispensantur, sed tantum suspenduntur.

4.º «Post annum ab emissa qualibet professione religiosa, vacant beneficia paroecialia; post triennium cetera» (can. 584).

5.º «Professus a votis perpetuis sive solemnibus sive simplicibus amittit ipso jure propriam quam in saeculo habebat dioecesim» (can. 585).

95. 6.º *Dissolutio sponsalium.* Certum est, eum qui vota religiosa nuncupat, a quovis sponsalium vinculo immunem fieri per professionem religiosam. Cum enim votis obstrictus sit incapax nubendi, eo ipso nullam nubendi habere potest obligationem.

Per ingressum autem in Religionem sponsalia ex parte ingredientis non dissolvuntur, sed obligatio nubendi remanet solummodo suspensa, donec professionem religiosam emiserit. Unde, si a proposito recedat, obligatio ita reviviscit, ut sponsalibus parte dimissa id exigente, stare teneatur.

ARTICULUS IV

DE CONVALIDATIONE PROFESSIONIS NULLAE

96.—Q. *An professio invalide emissa convalescere possit?*

R. Affirmative, modo vitium, ob quod invalida est, sanari potest. Etenim nihil obstat: 1.º *ex parte ipsius professionis*: professio enim respectu Dei habet rationem voti, et respectu Religionis induit naturam contractus; atqui votum et contractus ob aliquod impedimentum invalide facta, remoto impedimento, reviviscere possunt.

2.º *Neque ex parte Ecclesiae*: nullibi enim statuitur, quod Ecclesia non admittat convalidationem professionis religiosae

nulliter emissae; e contra, hujusmodi convalidatio implicite a C. Trid. (Sess. 25, c. 19, de Regul.) admittitur, et explicite a Codice J. C. can. 586. Praeterea constat ex *praxi Ecclesiae*: etenim saepius sanat et convalidat professionem ob aliquem defectum nulliter emissam.

97. – Q. *Quaenam requirantur, ut professio nulla reviviscat?*

R. «Professio religiosa irrita ob impedimentum externum non convalescit per subsequentes actus, sed opus est ut a Sede Apostolica sanetur, vel denuo, cognita nullitate et impedimento sublato, legitime emittatur» (can. 586, § 1). «Si autem irrita fuerit ob consensus defectum mere internum, hoc praestito, convalescit, dummodo ex parte religionis consensus non fuerit revocatus» (ib. § 2).

«Si contra validitatem professionis religiosae gravia sint argumenta et religiosus renuat ad cautelam sive professionem renovare sive ejusdem sanationem petere, res ad Sedem Apostolicam deferatur» (ib. § 3). Ex hoc can. facile deducitur quaestionem de nullitate professionis religiosae S. Sedi esse reservatam. Leges ergo Conc. Trid., sess. 25, cap. 19 et Benedicti XIV in sua Constit. «Si datam» die 7 Mart. 1748 per Codicem, can. 6, n.º 6.º, abrogatae sunt.

98. Ex noto principio: «Omne factum praesumitur recte factum»; professio dubie valida praesumitur valida, usque dum ejus nullitas clare probetur. Reclamatio contra professionis validitatem statim fieri potest in Curia S. Sedis, rem ad S. Congr. de Relig. deferendo, quae normas procedendi determinabit; et cum actiones de statu personarum, ex can. 1701, nunquam extinguantur, talis reclamatio quolibet tempore fieri potest, quia causae hujus generis in rem judicatam nunquam transeunt. (can. 1903).

Non solum religiosus, cujus interest, vel ejus Superior, sed etiam judex ecclesiasticus ex officio potest declarare nullitatem professionis, ad normam can. 1682, agitur enim de religiosis, qui minorum jure censentur.

«Religiosus clericus cujus professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata, si sit in minoribus ordinibus constitutus, e statu clericali abjiciatur; si in majoribus, ipso facto suspensus manet, donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit» (can. 2387).

CAPUT II

DE PROFESSIONE RELIGIOSA SIMPLICI

99.—Q. *Quid sit professio simplex?*

R. Est ea in qua emittuntur vota simplicia; quae professio emitti debet in quolibet Ordine tam virorum quam mulierum et in qualibet Congregatione quae vota perpetua habeat ad triennium valitura, vel ad longius tempus si aetas ad perpetuam professionem requisita longius distet ,nisi constitutiones exigant annuales professiones (can. 574, § 81.) Potest ergo esse professio simplex *temporaria* vel *perpetua*, secundum quod pro semper, vel ad tempus tantum vota emittuntur, v. gr. ad annum, ad triennium.

100.—Q. *Qui sunt effectus professionis simplicis, sive temporariae sive perpetuae?*

R. «Simplex professio, temporaria sit vel perpetua, actus votis contrarios reddit illicitos ;sed non invalidos, nisi aliud expresse cautum fuerit» (can. 579); sicut votum simplex castitatis emissum in Societate Jesu, ex jure particulari, reddit matrimonium nedum illicitum sed invalidum.

«Quilibet professus a votis simplicibus, sive perpetuis sive temporariis, nisi aliud in constitutionibus cautum sit, conservat proprietatem bonorum suorum et capacitatem alia bona acquirendi, salvis quae in can. 569 praescripta sunt» (can. 580, § 1). «Quidquid autem industria sua vel intuitu religionis acquirit, religioni acquirit» (ib., § 2).

«Cessionem vel dispositionem de qua in can. 569, § 2, professus mutare potest non quidem proprio arbitrio, nisi constitutiones id sinant, sed de supremi Moderatoris licentia, aut, si de monialibus agatur, de licentia Ordinarii loci et, si monasterium regularibus obnoxium sit, Superioris regularis, dommodo mutatio, saltem de notabili bonorum parte, non fiat in favorem religionis; per discessum autem a religione ejusmodi cessio ac dispositio habere vim desinit» (ib. § 3). Cfr. Constitut., N. n. 274.

«Professis a votis simplicibus in Congregationibus religiosis non licet:

1.º Per actum inter vivos dominium bonorum suorum, titulo gratioso, abdicare» (can. 583, 1.º): ergo titulo oneroso, v. gr. venditione abdicare licet.

2.º «Testamentum conditum ad normam can. 569, § 3, mutare sine licentia Sanctae Sedis, vel, si res urgeat nec tempus suppetat ad eam recurrendi, sine licentia Superioris majoris aut, si nec ille adiri possit, localis» (can. 583).

«Professi a votis temporariis, de quibus in can. 574:

1.º Fruuntur iisdem indulgentiis, privilegiis et spiritualibus gratiis, quibus gaudent professi a votis sollemnibus aut professi a votis simplicibus perpetuis; et si morte praeveniantur, ad eadem suffragia jus habent;

2.º Eadem obligatione tenentur observandi regulas et constitutiones, sed, ubi viget chori obligatio, divini officii privatim recitandi lege non obstringuntur, nisi sint in sacris constituti aut aliud constitutiones expresse praescribant;

3.º Voce activa et passiva carent, nisi aliud in constitutionibus caveatur; tempus autem praescriptum ad fruendum voce activa et passiva, silentibus constitutionibus, computetur a prima professione» (can. 578).

101. *Renovatio professionis temporariae.* «Elapso tempore ad quod vota sunt nuncupata, renovationi votorum nulla est interponenda mora» (can. 577, § 1). Nota quod anni, hic, sumuntur prout sint in calendario (can. 34, § 3, n. 1): Ita scilicet, ut si quis e. g. die 4 martii ad annum vel triennium professus est, eadem die 4 martii sequentis anni vel triennii tempus exspiret, etiamsi annus fuerit bissextilis: professio vero renovari potest *per integrum diem* quo annus, vel triennius exspirat, «quin necesse sit exspectare diem sequentem» (can. 34, § 3, n. 5); et *qualibet hora* talis diei. Qui ergo die 4 martii 1924 ad annum prima vice professus est, die 4 martii 1925 et *qualibet hora* hujus diei professionem renovare potest, etiamsi ultima tantum hora diei 4 martii 1924 suam professionem emiserit.

Superioribus tamen facultas est ex justa causa permittendi ut renovatio votorum temporariorum per aliquod tempus, non tamen ultra mensem, anticipetur» (can. 577, § 2). Nunquam ergo *posticipari* potest, neque per diem, renovatio professionis temporariae.

CAPUT III

DE PROFESSIONE RELIGIOSA SOLLEMNI

102.—Q. *Quid sit professio sollemnis?*

R. Est ea in qua emittuntur vota sollemnia; est semper *perpetua*, quia votum sollemne est natura sua perpetuum; nequit emitti ante vigesimum primum annum expletum (can. 573), et semper praecedere debet professio simplex temporaria ad triennium saltem valitura, salvo praescripto can. 634 (can. 574, § 1).

103.—Q. *Quinam sint effectus professionis sollemnis?*

R. Professio sollemnis actus votis contrarios, nedum illicitos sed si sint irritabiles, etiam invalidos reddit (can. 579).

Ita v. gr. matrimonium contractum a professo votorum sollemnium est nullum, sicut omnes alii contractus.

Professus votorum sollemnium, nedum administrationem, usum et usufructum, sed ipsam proprietatem bonorum suorum amittit: quare «professus a votis simplicibus antea nequit valide, sed intra sexaginta dies ante professionem sollemnem, salvis peculiaribus indultis a Sancta Sede concessis, debet omnibus bonis quae actu habet, cui maluerit, sub conditione secuturae professionis, renuntiare» (c. 581, § 1), et «secuta professione, ea omnia statim fiant, quae necessaria sunt, ut renuntiatio etiam jure civili effectum consequatur (ib. § 2). Videtur quod possit religiosus ante sollemnem professionem, cui maluerit, renuntiare etiam bonis quae in spe tantum habet, quocumque titulo ei obveniant.

104. «Post sollemnem professionem, salvis pariter peculiaribus Apostolicae Sedis indultis, omnia bona quae quovis modo obveniunt regulari: 1.º In Ordine capaci possidendi, cedunt Ordini vel provinciae vel domui secundum constitutiones; 2.º In ordine incapaci, acquiruntur Sanctae Sedi in proprietatem» (can. 582). Cfr. Constit. N. nn. 275, et 276.

Denique: «Documentum emissae professionis, ab ipso professo et saltem ab eo coram quo professio emissa est, subscriptum, servetur in tabullario religionis; et insuper, si agatur de professione sollemni, Superior eam excipiens debet profitentis parochum baptismi de eadem certiorem reddere, ad normam can. 470, § 2 (can. 576, § 2).

Professi votorum sollemnium et omnes cum aliquo ex eis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes, incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam (can. 2388, § 1): professi vero votorum simplicium *perpetuorum*, in eodem casu, incurrunt in excommunicationem latae sententiae Ordinario reservatam (ib. § 2).

Professus a votis perpetuis, sive sollemnibus sive simplicibus qui e domo religiosa illegitime egreditur cum animo non redeundi, vel qui, etsi legitime egressus, non redit eo animo ut religiosae obedientiae sese subtrahat, evadit *apostata a religione* (can. 644, § 1); apostata vero non est professus votorum temporariorum, etsi, antequam tempus suae professionis exspiret, illegitime religionem deserat.

PARS TERTIA

DE OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM

Cum obligationes Religiosorum quadruplici ex fonte emanare possint, pars haec in quatuor dividitur sectiones. In prima exponentur obligationes, quae emanant ex natura status religiosi; in secunda illae quae oriuntur ex votis in professione emissis; in tertia illae, quae proveniunt ex legibus ecclesiasticis; in quarta, illae quae fluunt ex Ordinis nostri legibus.

SECTIO I

DE OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM QUAE EMANANT EX NATURA STATUS RELIGIOSI

Duae praecipuae emanant obligationes ex natura status religiosi; nempe: 1.ª Obligatio permanendi in suscepta vita religiosa; 2.ª in eadem ad perfectionem tendendi. Unde haec sectio duobus constat capitibus.

CAPUT I

DE OBLIGATIONE PERMANENDI IN SUSCEPTA RELIGIOSA VITA

105. Professio religiosa, sive simplex sive sollemnis, *vinculum* inducit et mutuam obligationem inter Religionem et professum; quod vinculum mutuo consensu solvi nequit. Attamen pluribus modis dissolvi et relaxari potest: nempe *voluntario* vel *necessario* professi egressu (1). Porro egressus *voluntarius licite* fit vel *illicite*: *Licite,* 1.º per transitum ad aliam Religionem; 2.º post expletum tempus votorum temporariorum; 3.º per indultum *exclaustrationis* vel *saecularizationis*; 4.º per promotionem ad *Episcopatum*. *Illicite,* 1.º per *fugam*; 2.º per *apostasiam*. Egressus vero necessarius fit per dimissionem. Ultimo agendum est de conditione religiosorum per *violentiam legis civilis dispersorum*. Unde praesens caput in octo dividitur articulos.

(1) Minus recte dicitur religionem egredi, qui ad dignitatem ecclesiasticam promotus fuerit, *manet* quippe *religiosus* ad normam can. 627, § 1; idem dicendum de fugitivo et de eo qui ad servitium militare praestandum coactus fuerit, ex responso S. C. de Rel. 15 jul. 1919.

ARTICULUS I

DE EGRESSU PER TRANSITUM AD ALIAM RELIGIONEM

106. Juxta antiquos canones, transitus ad aliam Religionem fieri non poterat, nisi cum justa causa et licentia Superioris. Ast hodie praedictus transitus non conceditur nisi a Sede Apostolica, ut patet ex can. 632: «Religiosus nequit ad aliam religionem, etiam strictiorem, vel e monasterio sui juris ad aliud transire sine auctoritate Apostolicae Sedis». Praeterea observanda sunt quae Codex J. C., hac super re, praescribit his verbis: «Transiens ad aliam religionem novitiatum peragere debet; quo durante, manentibus votis, jura et obligationes particulares, quas in religione derelicta habuit, suspensa manent, et ipse obligatione tenetur Superioribus novae religionis et ipsi novitiorum Magistro parendi etiam ratione voti obedientiae» (can. 633, § 1).

«Si in religione ad quam transiit, professionem non edat, ad pristinam religionem redire debet, nisi interim votorum tempus exspiraverit» (ib. § 2).

«Transiens ad aliud monasterium ejusdem Ordinis nec novitiatum peragit nec novam emittit professionem» (ib. § 3).

Qui ad aliam religionem transiit absque licentia Sanctae Sedis incurrit poenas apostatarum a religione, de quibus infra dicetur.

«Constitutiones nostrae, n. 239, ajunt: «Si quis auctoritate Apostolica ab alia Religione ad nostram transierit, serventur praescripta canonum 632-636. Hic autem non habeat vocem activam nec passivam in Capitulis, nisi transactis tribus annis a professione sollemni.

«Sollemniter professus aut professus a votis simplicibus perpetuis, si transierit ad aliam religionem cum votis sollemnibus vel simplicibus perpetuis, post novitiatum, praetermissa professione temporaria, de qua in can. 574, vel admittatur ad professionem sollemnem aut simplicem perpetuam, vel ad pristinam redeat religionem; jus tamen est Superiori eum probandi diutius, sed non ultra annum ab expleto novitiatu» (can. 634) (1).

107.—Q. *Quinam sint effectus transitus in aliam religionem?*

R. «Transeuntes ad aliud monasterium ejusdem religionis a die transitus, ad aliam vero religionem ab edita nova professione: 1.º Amittunt omnia jura et obligationes prioris religionis vel monasterii et alterius jura et officia suscipiunt»; 2.º «Religio vel monasterium *a quo* bona servat, quae ipsius re-

(1) Suffragium Capituli in admittendo religioso, in casu, habet vim deliberativam. Ita Commis. Pontif. 14 julii 1922 (Acta A. S. XIV. 528.

ligiosi ratione jam ei quaesita fuerunt; quod spectat ad dotem ejusve fructus et alia bona personalia, si qua habeat religiosus servandum praescriptum can. 551, § 2; demum nova religio jus habet pro novitiatus tempore ad justam retributionem, si eidem locus sit ad normam can. 570, § 1) (can. 635).

«Sollemnitas votorum in eo qui legitime secundum superiores canones vota simplicia in Congregatione religiosa nuncupat, eo ipso exstinguitur, nisi aliud in apostolico indulto expresse caveatur» (can. 636). Hinc e. gr. si frater conversus carmelita sollemniter professus cum licentia S. Sedis transiret ad aliquam Congregationem et in ea emitteret vota simplicia ac postea in saeculum rediret, ejus matrimonium, forsan contratum, jam non esset invalidum.

ARTICULUS II

DE EGRESSU E RELIGIONE EXPLETO TEMPORE PROFESSIONIS TEMPORARIAE

108. «Professus a votis temporariis, expleto votorum tempore, libere potest religionem deserere; pariter religio ob justas ac rationabiles causas eundem potest a renovandis votis temporariis vel ab emittenda professione perpetua excludere, non tamen ratione infirmitatis, nisi certo probetur eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam» (can. 637).

109. — Q. *Quid agendum de bonis professo, in casu, pertinentibus?*

R. «Qui e religione, expleto votorum temporariorum tempore... egrediantur vel ex eadem fuerint dimissi, nihil possunt repetere ob quamlibet operam religioni praestitam» (can. 643, § 1). Bona autem personalia, quorum radicale dominium, non obstante professione, retinuerant (c. 580, § 1), ex integro eis restituenda sunt, fructibus jam maturis tantum exceptis, quia de ipsis ad normam c, 569, § 1, jam disposuerunt. Idem dicendum de dote ,si quam religiosa femina secum detulerit. «Si tamen religiosa sine dote recepta fuerit nec ex propriis bonis sibimet providere valeat, religio ex caritate eidem dare debet ea quae requiruntur ut modo tuto ac convenienti domum redeat, ac providere ut, naturali aequitate servata, per aliquod tempus, mutuo consensu vel in casu dissensus ab Ordinario loci determinandum, honeste vivere possint» (can. 643, § 2).

110. Cum religiosus votorum temporariorum, ad normam can. 585, propriam dioecesim non amittat, e religione egrediens, si sit in sacris constitutus, debet ad propriam dioecesim redire et a proprio Ordinario recipi (can. 641, § 1); alias ad saeculum simpliciter regrediatur.

111.—Q. *Quid talibus professis ad saeculum redeuntibus prohibeatur?*

R. «Quilibet professus, ad saeculum regressus licet valeat, ad normam can. 641, sacros ordines exercere, prohibetur tamen sine novo et speciali Sanctae Sedis indulto:

1.º Quolibet beneficio in basilicis majoribus vel minoribus, et in ecclesiis cathedralibus;

2.º Quolibet magisterio et officio in Seminariis majoribus *et* minoribus seu collegiis, in quibus clerici educantur, itemque in Universitatibus et Institutis, quae privilegio apostolico gaudent conferendi gradus academicos;

3.º Quocumque officio vel munere in Curiis episcopalibus et in religiosis domibus sive virorum sive mulierum, etiamsi si agatur de Congregationibus dioecesanis» (can. 642, § 1).

«Haec valent quoque de iis qui vota temporaria ,vel juramentum perseverantiae, vel peculiares quasdam promissiones ad normam suarum constitutionum ediderunt et ab eisdem dispensati fuerunt, si per sex integros annos eisdem ligati fuerint» (ib. § 2)

ARTICULUS III

DE EGRESSU E RELIGIONE PER INDULTUM EXCLAUSTRATIONIS SIVE SAECULARIZATIONIS

112.—Q. *Quid denotat indultum exclaustrationis?*

R. Est indultum manendi extra claustra ad tempus, quod sola Sedes Apostolica in religionibus juris pontificii dare potest; in religionibus juris dioecesani etiam loci Ordinarius. (can. 638).

Effectus hujus indulti sunt sequentes: «Qui indultum exclaustrationis ab Apostolica Sede impetravit, votis ceterisque suae professionis obligationibus, quae cum suo statu componi possunt, manet obstrictus; exteriorem tamen debet habitus religiosi formam deponere; perdurante tempore indulti caret voce activa et pasiva, sed gaudet privilegiis mere spiritualibus suae religionis, et Ordinario territorii ubi commoratur, loco Superiorum popriae religionis subditur etiam ratione voti obedientiae» (can. 639) (1). Dicendum videtur quod exclaustrati jus non habent ad suffragia suae religionis, ut asserit P. Fanfani, de Jure Relig. n. 378; P. vero Prümmer contrarium tenet.

(1) Pontif. Commisio, die 12 nov. 1922 sequens dubium resolvit: "Utrum qui indultum exclaustrationis ab Ordinario loci obtinuerunt, teneantur conditionibus appositis in can. 639. Resp. Affirmative, salva Ordinarii potestate concedendi exclaustrato ob rationes particulares facultatem retenendi habitum religiosum. (Acta A. Sedis, XIV. 662).

M. J. C., q. 253, nota 2: apud nos talibus suffragiis exclaustrati gaudent. Eadem eis prohibentur quae supra n. 111 dicta sunt.

113.—Q. *Quid importat indultum saecularizationis?*

R. Indultum saecularizationis est licentia manendi extra claustra in perpetuum: sola Sedes Apostolica in religionibus juris pontificii dare potest hujusmodi indultum; in religionibus juris dioecesani etiam loci Ordinarius (can. 638.)

Effectus indulti saecularizationis sunt sequentes: «Qui, impetrato saecularizationis indulto religionem relinquit: 1.º A sua religione separatur, habitus ejusdem exteriorem formam debet deponere, et in Missa et horis canonicis, in usu et dispensatione Sacramentorum saecularibus assimilatur;

2.º A votis liberatus manet, firmis oneribus ordini majori adnexis, si in sacris fuerit; non tenetur obligatione horas canonicas vi professionis recitandi nec aliis regulis et constitutionibus adstringitur (can. 640, § 1).

«Si ex apostolico indulto in religionem rursus recipiatur, novitiatum ac professionem instaurat et locum inter professos obtinet a die novae professionis» (ib. § 2).

114. «Si religiosus in sacris constitutus propriam dioecesim ad normam can. 585, non amiserit, debet... obtento saecularizationis indulto, ad propriam redire dioecesim et a proprio Ordinario recipi; si amiserit, nequit extra religionem sacros ordines exercere, donec Episcopum benevolum receptorem invenerit, aut Sedes Apostolica aliter providerit» (ca n.641, § 1).

«Episcopus religiosum (saecularizatum) recipere potest sive pure et simpliciter, sive pro experimento ad triennium: in priore casu religiosus eo ipso est dioecesi incardinatus; in altero Episcopus potest probationis tempus prorogare, non ultra tamen aliud triennium; quo etiam transacto, religiosus, nisi antea dimissus fuerit, ipso facto dioecesi incardinatus manet» (ib. § 2).

Inhabilitates, de quibus supra n. 111, locum tenent pariter pro religiosis saecularizatis, et de bonis ei pertinentibus valent quae dicta sunt n. 109.

ARTICULUS IV

DE RELIGIOSIS AD EPISCOPATUM PROMOTIS

115. -Q. *Quaenam a jure statuta sunt quoad religiosum, qui promovetur ad Episcopatum?*

R. «Religiosus nequit, sine Sedis Apostolicae auctoritate, ad dignitates, officia aut beneficia promoveri, quae cum statu religioso componi non possint». (can. 626, § 1).

«Legitime ab aliquo collegio electus, nequit electioni assentiri sine licentia Superioris» (ib. § 2).

«Si voto teneatur non acceptandi dignitates, specialis Romani Pontificis dispensatio est necessaria» (ib. § 3).

116.—Q. *Quinam sint effectus promotionis ad Episcopatum?*

R. «Religiosus, renuntiatus Cardinalis aut Episcopus sive residentialis sive titularis, manet religiosus, particeps privilegiorum suae religionis, votis ceterisque suae professionis obligationibus adstrictus, exceptis iis quas cum sua dignitate ipse prudenter judicet componi non posse, salvo praescripto can. 628» (can. 627, § 1).

«Eximitur tamen a potestate Superiorum et, vi voti obedientiae, uni Romano Pontifici manet obnoxius» (ib. § 2).

117.—Q. *Ad quid teneantur, vi voti paupertatis, religiosi promoti ad Episcopatum?*

R. «Religiosus ad dignitatem episcopalem vel aliam extra propriam religionem evectus:

1.º Si per professionem dominium bonorum amiserit, bonorum quae ipsi obveniunt, habet usum, usumfructum et administrationem; proprietatem vero Episcopus residentialis, Vicarius Apostolicus, Praefectus Apostolicus, acquirit dioecesi, vicariatui, praefecturae; ceteri, Ordini vel Sanctae Sedi, ad normam can. 582, salvo praescripto can. 239, § 1, n. 19;

2.º Si per professionem dominium bonorum non amiserit, bonorum quae habebat, recuperat usum, usumfructum et administrationem; quae postea ipsi obveniant, sibi plene acquirit;

3.º In utroque autem casu de bonis, quae ipsi obveniunt non intuitu personae, debet disponere secundum offerentium voluntatem (can. 628).

118.—Q. *Quando ad religionem redire teneantur religiosi promoti ad Episcopatum?*

R. «Dimisso cardinalatu vel episcopatu vel expleto munere extra religionem sibi a Sede Apostolica commisso, religiosus ad religionem redire tenetur» (can. 629, § 1).

«Potest tamen Cardinalis et Episcopus religiosus quamlibet suae religionis domum eligere in qua degat; sed caret voce activa et passiva» (ib. § 2).

ARTICULUS V

DE EGRESSU PER FUGAM

119.—Q. *Quisnam religiosus dicatur fugitivus?*

R. «Fugitivus est qui, sine Superiorum licentia, domum religiosam deserit cum animo ad religionem redeundi» (can. 644, § 3).

«Fugitivus ab obligatione regulae et votorum minime solvitur et debet sine mora ad religionem redire» (can. 645, § 1). Tenentur ergo fugitivi ea vota servare, quae in professione emiserunt, quia manent religiosi, et etiam omnes Constitutiones et observantias regulares, quae sub peccato obligant, siquidem malitia ipsorum non efficit, ut ab hac obligatione eximantur; alias de sua malitia commodum reportarent. Insuper tenentur sub gravi sine mora ad monasterium redire; siquidem, cum fuga hujusmodi sit mortaliter peccaminosa, semper et tamdiu in statu peccati mortalis versantur, usquedum regressi fuerint.

«Superiores debent eos sollicite requirere, et ipsos, si vera poenitentia acti redeant, suscipere; reditum vero monialis fugitivae caute curet loci Ordinarius, et, si agatur de monasterio exempto, etiam Superior regularis» (can. 645, § 2).

120. «Religiosus fugitivus ipso facto incurrit in privationem officii, si quod in religione habebat, et in suspensionem proprio Superiori majori reservatam, si sit in sacris; cum autem redierit, puniatur secundum constitutiones, et si constitutiones nihil de hoc caveant, Superior major pro gravitate culpae poenas infligat» (can. 2386).

«Fugitivus, secundum nostras Constitutiones, n. 684, ipso facto incurrit in privationem officii, si quod habeat, et in suspensionem Superiori Majori reservatam, si sit in sacris; cum redierit, loco careat per integrum annum a die reditus computandum, et semel in hebdomada jejunet tempore a Superiore Majore determinando. Si fugam iteraverit, praeter poenas superius expressas antiquitatem Ordinis amittat, quae in posterum a die reditus computatur; quod si tertia vice fugerit, factis monitionibus canonicis, ut dictum est pro apostatis, tanquam incorrigibilis dimittatur».

ARTICULUS VI

DE EGRESSU PER APOSTASIAM

121.—Q. *Quisnam religiosus dicatur apostata?*

R. «Apostata a religione dicitur professus a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus qui e domo religiosa illegitime egreditur cum animo non redeundi, vel qui, etsi legitime

egressus, non redit eo animo ut religiosae obedientiae sese subtrahat» (can. 644, § 1).

«Malitiosus animus, de quo in § 1, jure praesumitur, si religiosus intra mensem nec reversus fuerit nec Superiori animum redeundi manifestaverit» (ib. § 2).

Apostata proprie non est, qui post sola *vota temporaria* religionem, quamvis illegitime reliquit.

«Apostata ab obligatione regulae et votorum minime solvitur et debet sine mora ad religionem redire» (c. 645, § 1).

Tenetur ergo apostata ea vota servare, quae in professione emisit, siquidem per apostasiam a votis non solvitur, et fructum reportare non debet ex sua malitia; praeterea tenetur omnes Constitutiones et observantias regulares, quae sub peccato obligant, servare. Nullo enim titulo nec jure ab illis eximuntur, nec ab obedientia suis Superioribus debita eximuntur; sed cum de facto Superiorem non habeant, transgrediuntur obedientiam per peccatum in causa, scilicet protahendo reditum ad suam religionem. Quapropter tenentur sub mortali sine mora redire, ita ut semper et tamdiu in statu peccati mortalis versentur, donec regressi fuerint. Superiores debent eos sollicite requirere, ut dictum est n. 119 de fugitivis.

122.—Q. *Quaenam poenae statutae sunt contra apostatas?*

R. «Firmo praescripto can. 646, religiosus, apostata a religione, ipso jure incurrit in excommunicationem, proprio Superiori majori vel, si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci in quo commoratur, reservatam, ab actibus legitimis ecclesiasticis est exclusus, privilegiis omnibus suae religionis privatus; et si redierit, perpetuo caret voce activa et passiva, ac praeterea aliis poenis pro gravitate culpae a Superioribus puniri debet ad normam constitutionum» (can. 2385).

«Apostata a Religione, juxta nostras Constitutiones, n. 682, ipso jure incurrit excommunicationem Praeposito Generali reservatam, ab actibus legitimis ecclesiasticis est exclusus, privilegiis omnibus Religionis et officio, si quod habeat, privatur, et si redierit, perpetuo caret voce activa et passiva, itemque, pro majore vel minore tempore apostasiae et scandalo dato, in pane et aqua bis in hebdomada jejunet tempore a Superiore Majore cum suo Consilio determinando. Praeterea Ordinis antiquitatem amittat, quae in posterum a die reditus ei computetur, et primo canonice moneatur. Donatus vero loco perpetuo careat».

«Qui semel et iterum apostataverit, praeter poenas superius expressas, ut Novitius recipiatur, nec ullo antiquitatis jure gaudebit, sed post annum a receptione ultima lapsum, ejus antiquitas incipiet computari; praeterea secunda monitio canoni-

ca ei detur. Quod si tertia vice apostataverit, vel etiam si prima vel secunda, factis monitionibus canonicis, non redierit, tanquam incorrigibilis dimittatur» Const. N. n. 683).

«Si Ordo noster in casibus a jure communi expressis expulsos recipere cogatur, ita eos recipiat, ut Fratres Clerici voce et loco perpetuo careant, et aliis subjiciantur, quae disponantur a Definitorio Generali. Cum Donatis autem eodem modo agatur respective» (Constitut. nostrae n. 689).

ARTICULUS VII

DE DIMISSIONE RELIGIOSORUM

Praesens articulus dividitur in quatuor paragraphos, qui complectuntur omnia quae Codex J. C. statuit hac super re post canonem generalem, in quo determinatur, quando ipso facto sine ullis formalitatibus religiosi sint dimissi. Agitur ergo de dimissione religiosorum: 1. post vota temporaria; 2. post vota perpetua in religione clericali non exempta vel in religione clericali emissa; 3. post vota perpetua in religione clericali exempta; 4. de religiosis ipsis post dimissionem peractam.

123.—Q. *Quinam juxta hodiernum jus censeantur ipso facto legitime dimissi?*

«Ipso facto et jure habendi sunt tanquam legitime dimissi religiosi:

1.º Publici apostatae a fide catholica;

2.º Religiosus, qui fugam arripuerit cum muliere; aut religiosa quae cum viro;

3.º Attentantes aut contrahentes matrimonium aut etiam vinculum, ut ajunt, civile (c. 646, § 1). Non sufficit ergo concubinatus, qui nec a lege civili agnoscitur ut matrimonium.

«In his casibus sufficit ut Superior major cum suo Capitulo vel Consilio ad normam constitutionum emittat declarationem facti; curet autem probationes facti collectas in domus regestis asservare» (ib., § 2). Insuper curet Superior, si agitur de religioso in sacris constituto, ut sententia dimissionis illico communicetur Ordinario originis et Ordinario loci, ubi dimissus moratur aut sedem suam statuere velle dignoscitur. (S. C. de Rel., 16 Maii 1911.—Acta A. S., III, 238).

§ I

DE DIMISSIONE RELIGIOSORUM, QUI VOTA TEMPORARIA NUNCUPARUNT

124.—Q. *Quid praescribat Codex J. C. circa dimissionem religiosorum a votis temporariis, nondum elapsis?*

R. Praenotare oportet in casu agi de dimissione proprie dicta, non autem de religionis egressu, qui fit votis temporariis elapsis et qui in Codice J. C. non vocatur dimissio. Sicut enim supra dictum est n. 108, professus a votis temporariis, expleto votorum tempore libere potest religionem deserere, pariter religio ob justas ac rationabiles causas eundem potest a renovandis votis temporariis vel ab emittenda professione perpetua excludere, non tamen ratione infirmitatis, nisi *certo* probetur eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam.

125. Ad dimissionem ergo proprie dictam requiritur legitima auctoritas, ut patet ex can. 647, § 1: «Professum a votis temporariis sive in Ordinibus sive in Congregationibus juris pontificii dimittere potest supremus religionis Moderator vel Abbas monasterii sui juris cum consensu sui cujusque Consilii per secreta suffragia manifestato, vel, si agatur de monialibus, Ordinarius loci, et, si monasterium sit regularibus obnoxium, Superior regularis, postquam monasterii Antistita cum suo Consilio fidem de causis scripto fecerit; in Congregationibus vero juris dioecesani, Ordinarius loci in quo religiosa domus sita est, qui tamen jure suo ne utatur Moderatoribus insciis vel juste dissentientibus» (can. 647, § 1). Cfr. Constitutiones nostras, n. 690.

126. *Causae ad hoc requisitae.* «Ii omnes, graviter eorum onerata conscientia, religiosum dimittere nequeunt, nisi servatis quae sequuntur:

1.º Causae dimissionis debent esse graves;

2.º Possunt se habere sive ex parte religionis sive ex parte religiosi. Defectus spiritus religiosi qui aliis scandalo sit, est sufficiens dimissionis causa, si repetita monitio una cum salutari poenitentia incassum cesserit, non vero infirma valetudo, nisi certo constet eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam;

3.º Licet Superiori dimittenti certo innotescere debeant, non est tamen necesse ut formali judicio comprobentur. At religioso semper manifestari debent, data eidem plena respondendi licentia; ejusque responsiones Superiori dimittenti fideliter subjiciantur;

4.º Contra dimissionis decretum est religioso facultas recurrendi ad Sedem Apostolicam; et pendente recursu, dimissio nullum habet juridicum effectum» (1);

5.º Si de mulieribus agatur, servari debet praescriptum can. 643, § 2» (can. 647, § 2); in hoc casu religio providere debet ad tempus de congrua sustentatione, sicut supra dictum est n. 109, si propria bona non habeat.

127. *Effectus dimissionis.* «Religiosus dimissus ad normam can. 647 ipso facto solvitur ab omnibus votis religiosis, salvis oneribus ordini majori adnexis, si sit in sacris, et firmo praescripto can. 641, § 1, 642; clericus autem in minoribus ordinibus constitutus eo ipso redactus est in statum laicalem» (can. 648). Ideo religiosus dimissus, si habet ordines majores, debet in suam dioecesim redire, si eam nondum amisit; debet autem Episcopum benevolum quaerere, si dioecesim amisit, et ea omnia facere quae supra n. 114 dicta sunt de saecularizatis.

§ II

DE DIMISSIONE RELIGIOSORUM QUI VOTA PERPETUA NUNCUPARUNT IN RELIGIONE CLERICALI NON EXEMPTA VEL IN RELIGIONE LAICALI

128.—Q. *Quid statuat Codex J. C. circa dimissionem virorum in religione clericali non exempta vel in religione laicali?*

R. Ad dimissionem religiosorum, de quibus in can. 649, «praecedant necesse est tria delicta cum duplici monitione ac defectu emendationis ad normam can. 656-662» (can. 649: requiritur nempe ut sit *incorrigibilis*, quod non praesumitur, nisi ille commiserit tria gravia delicta ejusdem speciei, vel, si sint diversae speciei, talia, ut simul sumpta manifestent perversam voluntatem in malo pervicacem, aut unum tantum permanens, quod ex repetitis monitionibus virtualiter triplex fiat, ut ebrietas notoria, luxuria, graves laesiones votorum, etc. Praeterea immediatus Superior major, Provincialis vel Abbas, per se vel per alium de ejus mandato, (sed Superior mandatum ne det, nisi praevia informatione facti ad normam can. 658, § 1; datum vero mandatum pro prima monitione (can. 659) valeat etiam pro altera), facere debet duas monitiones canonicas, i. e., sin-

(1) Ex declaratione S. C. de Relig., die 20 jul. 1923: "Recursum contra dimissionis decretum Religiosus interponere potest vel immediate per epistolam ad S. C. de Religiosis mittendam, vel mediate, videlicet per eum qui dimissionis decretum sibi communicavit, et tempus utile decem dierum ab intimatione decreti Religioso facta supputandum erit ad normam can. 34, § 3, n. 3.º, et ita ut non currat si dimissus recurrendi jus ignoret, aut agere non valeat juxta dispositiones can. 35.

gulae pro singulis duobus primis delictis, cum intervallo saltem trium dierum (can. 660), additis opportunis exhortationibus et correctionibus cum poenitentiis aliisque remediis poenalibus, quae apta censeantur ad emendationem rei et scandali reparationem. Praeterea tenetur Superior reum ab occasionibus relabendi removere etiam per translationem, si opus fuerit, ad aliam domum, ubi facilior sit vigilantia et remotior delinquendi occasio. Singulis monitionibus adjiciatur dimissionis comminatio (can. 661). Si non obstantibus omnibus his religiosus post secundam monitionem novum delictum commiserit vel in eodem permanenter perstiterit; post ultimam monitionem sex saltem dies erit expectandum, antequam ad ulteriora progressus fiat (can. 662).

«Haec si constiterint, supremus religionis Moderator cum suo Consilio, perpensis omnibus facti adjunctis, deliberet num locus sit dimissioni» (can. 650, § 1).

«Si major suffragiorum numerus pro dimissione steterit:

1.º In religione juris dioecesani res tota deferatur ad Ordinarium loci in quo religiosa professi domus sita est, cujus est dimissionem pro suo prudenti arbitrio decernere ad normam c. 647;

2.º In religione juris pontificii ipse supremus religionis Moderator dimissionis decretum ferat; quod tamen ut suum sortiatur effectum, debet a Sede Apostolica confirmari» (ib. § 2) (1).

«Religioso jus est suas rationes libere exponendi; ejusque responsiones in actis fideliter referenda sunt» (ib. § 3).

129.—Q. *Quid statuat Codex J. C. circa dimissionem mulierum religiosarum?*

R. «Etiam ad dimittendas religiosas professas a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus exiguntur graves causae exteriores una cum incorrigibilitate, experimento prius habito ita ut spes resipiscentiae evanuerit, judicio Antistitae» (can. 651, § 1).

«Praescriptum can. 650, § 3, etiam in religiosarum dimissione servandum est» (ib. § 2):

«Si agatur de religiosis juris dioecesani, Ordinarii loci in quo sita est sororis professae domus, est causas dimissionis expendere et decretum dimissionis ferre» (can. 652, § 1): contra hoc decretum ad S. Sedem recurri semper potest.

«Si de monialibus, Ordinarius loci omnia acta et documenta transmittat ad Sacram Congregationem cum suo et Superioris regularis voto, si monasterium regularibus sit subjectum» (ib., § 2).

(1) Quamvis Codex J. C. expresse non loquatur de facultate recurrendi ad Sedem Apostolicam contra dimissionis decretum, praedicta facultas concessa dicenda est, cum etiam concedatur religioso dimisso a votis temporariis.

«Si de aliis religiosis juris pontificii, suprema religionis Moderatrix rem totam ad Sacram Congregationem pariter deferat cum omnibus actis et documentis; Sacra autem Congregatio tum in hoc tum in praecedenti casu quod magis expedire censuerit, decernet, firmo praescripto can. 643, § 2, (ib., § 3). Quid praescribatur in can. 643, § 2 dictum est n. 109.

«In casu gravis scandali exterioris vel gravissimi nocumenti communitati imminentis, religiosus statim potest a Superiore majore cum consensu sui Consilii vel etiam, si periculum sit in mora et tempus non adsit adeundi Superiorem majorem, a Superiore locali cum consensu sui Consilii et Ordinarii loci, ad saeculum remitti, habitu religioso illico deposito, ita tamen ut res per ipsum Ordinarium aut per Superiorem majorem, si adsit, Sanctae Sedis judicio sine mora subjiciatur» (can. 653). Si vero agatur de religioso, qui in religione clericali exempta vota perpetua emisit, debet processus judicialis fieri, ut dicitur articulo sequenti.

Ad normam can. 490 praescribentis quod «quae de religiosis statuuntur, etsi masculino vocabulo expressa, valent etiam pari jure de mulieribus», applicandum est praescriptum can. 653 religiosis mulieribus.

§ III

DE PROCESSU JUDICIALI IN DIMISSIONE RELIGIOSORUM QUI VOTA PERPETUA SIVE SOLLEMNIA SIVE SIMPLICIA NUNCUPARUNT IN RELIGIONE CLERICALI EXEMPTA

130.—Q. *Quid praescribat Codex J. C. circa dimissionem religiosorum a votis perpetuis in religionibus clericalibus exemptis?*

R. «Vir professus a votis sollemnibus aut a votis simplicibus perpetuis in religione clericali exempta ne dimittatur, nisi processu instituto, salvo praescripto can. 646, 668, et revocato quolibet contrario privilegio» (can. 654) Cfr. dicta n. 121 et dicenda n. 134.

131.—Q. *Quis sit iudex competens in processu judiciali dimissionis?*

R. «Ad sententiam dimissionis ferendam competens est supremus religionis vel monasticae Congregationis Moderator cum suo Consilio seu Capitulo, quod quatuor saltem religiosis constet; si qui deficiant, eorum loco totidem religiosos eligat praeses de consensu aliorum qui cum ipso tribunal collegiale constituant» (can. 655, § 1).

«Praeses tribunalis de aliorum consensu promotorem justi-

tiae nominet ad normam can. 1589, § 2» (ib. § 2). In praedicto can. 1589, § 2, hoc praescribitur: «In tribunali religiosorum promotor justitiae sit praeterea ejusdem religionis alumnus». Convenientissime etiam instituitur defensor rei, saltem si ipse accusatus non presentavit suas defensiones.

«Ad processum instruendum deveniri nequit nisi praecesserint:

1.º Gravia delicta externa sive contra jus commune sive contra speciale religiosorum jus;

2.º Monitiones;

3.º Defectus emendationis» (can. 656). De his jam supra dictum est n. 126.

«Ad monitionem faciendam necesse est ut aut delictum sit notorium aut de eodem constet ex rei confessione extrajudiciali vel ex aliis sufficientibus probationibus quas praevia inquisitio suppeditaverit» (can. 658, § 1).

«In inquisitione peragenda serventur, congrua congruis referendo, praescripta can. 1939 seqq.» (ib. § 2).

132. «Immediatus Superior major, postquam monitiones et correctiones incassum cesserint, omnia acta et documenta diligenter colligat et ad supremum Moderatorem transmittat; hic autem ea tradere debet promotori justitiae, qui ea examinet et suas conclusiones proponat» (can. 663).

«Si promotor justitiae, cui fas est etiam ulteriores inquisitiones, quas opportunas judicaverit peragere, accusationem proponat, instruatur processus, servatis praescriptis canonum in Parte Prima Libri Quarti, congrua congrius referendo» (can. 664, § 1).

«Ex processu constare debet de delictis patratis, de praemissa duplici monitione et de defectu emendationis» (ib., § 2).

«Tribunal, diligenter perpensis allegationibus tum promotoris justitiae tum rei, si quidem judicaverit satis probata esse ea de quibus in can. 664, § 2, sententiam dimissionis pronuntiet» (can. 665).

«Sententia executioni mandari nequit, nisi fuerit a Sacra Congregatione confirmata; ad quam tribunalis praeses et sententiam et omnia acta processus quamprimum transmittere curabit (can. 666).

133. «Pro dissitis regionibus etiam in casibus ordinariis supremi Moderatores cum consensu sui Consilii seu Capituli possunt dimittendi facultatem demandare probis ac prudentibus religiosis, qui saltem tres esse debent, firmo praescripto can. 663-666» (can. 667).

«In casu, de quo in can. 653, (ut dictum est n. 129) religiosus statim potest a Superiore majore, vel si periculum sit in mora et tempus non adsit recurrendi ad Superiorem majorem, a Superiore quoque locali, cum consensu sui Consilii, ad sae-

culum remitti, habitu religioso illico deposito; religioso autem dimisso, statim processus, si nondum fuerit institutus, instituatur ad normam canonum qui praecedunt» (can. 668).

De processu, in hoc casu, dimissionis nempe sollemniter professi agunt nostrae Constitutiones, n. 678.

§ IV

DE RELIGIOSIS DIMISSIS QUI VOTA PERPETUA NUNCUPARUNT

134. Notandum quod in hoc articulo solummodo agitur de conditione juridica religiosi dimissi, qui vota *perpetua* emisit in religione sive clericali sive laicali, exempta vel non. Sequentia ergo statuit Codex J. C. de praedictis religiosis.

«Professus qui vota perpetua emisit, a religione dimissus, votis religiosis, manet adstrictus, salvis constitutionibus aut Sedis Apostolicae indultis quae aliud ferant» (can. 669, § 1). In vigore igitur manent indulta seu privilegia, quae hac super re nonnullae religiones habent.

«Si clericus est in minoribus ordinibus constitutus, eo ipso reducitur ad statum laicalem (ib. § 2).

«Clericus in sacris qui aliquod delictum commisit de quo in can. 646, nempe publica apostasia a fide catholica, fuga cum muliere; aut religiosa cum viro, attentatio matrimonii, aut etiam vinculi civilis, aut dimissus est ob delictum quod jure communi punitur infamia juris vel depositione vel degradatione, perpetuo prohibetur deferre habitum ecclesiasticum» (can. 670).

135. «Si vero dimittatur ob delicta minora iis de quibus in can. 670:

1.º Ipso facto suspensus manet, donec a Sancta Sede absolutionem obtinuerit;

2.º Sacra Congregatio, si id expedire judicaverit, dimisso praecipiat ut, habitu cleri saecularis indutus, commoretur in certa dioecesi, indicatis Ordinario causis ob quas dimissus fuit;

3.º Si dimissus praecepto de quo n. 2 non paruerit, religio ad nihil tenetur, et dimissus eo ipso privatus est jure deferendi habitum ecclesiasticum;

4.º Ordinarius dioecesis pro ejus commoratione designatae, religiosum in domum poenitentiae mittat, vel eum committat curae et vigilantiae pii ac prudentis sacerdotis; et si religiosus non paruerit, servetur praescriptum n. 3;

5.º Religio, per manus Ordinarii loci commorationis, caritativum subsidium dimisso suppeditet pro necessariis ad vitae sustentationem, nisi ipse aliunde sibimet providere valeat;

6.º Si dimissus vitae rationem ecclesiastico viro dignam non agat, transacto anno aut etiam prius, judicio Ordinarii, privetur caritativo subsidio, ejiciatur e domo poenitentiae eique au-

feratur jus deferendi habitum ecclesiasticum ab ipso Ordinario, qui statim mittere curet opportunam relationem tum ad Sedem Apostolicam tum ad religionem;

7.º Si vero dimissus praedicto tempore tam laudabiliter se gesserit ut merito haberi possit vere emendatus, Ordinarius ejus preces apud Sanctam Sedem commendabit pro absolutione a censura suspensionis, et ea obtenta, eidem in sua dioecesi permittat, adhibitis opportunis cautelis et limitationibus, Missae celebrationem et etiam, pro suo arbitrio et prudentia, aliud sacrum ministerium, unde honeste vivere queat; quo in casu religio caritativum subsidium intermittere potest. Quod si agatur de diacono aut subdiacono res ad Sanctam Sedem deferatur» (can. 671).

136. «Dimissus, votis in religione emissis non solutus, tenetur ad claustra redire; et si argumenta plenae emendationis per triennium dederit, religio tenetur eum recipere; quod si graves obstent rationes sive ex parte religionis sive ex parte religiosi, res judicio Sedis Apostolicae subjiciatur» (can. 672, § 1)

«Quoties vero vota in religione emissa cessaverint, si dimissus episcopum benevolum receptorem invenerit, sub ejus jurisdictione et speciali vigilantia maneat, servato praescripto can. 642; secus res ad Sanctam Sedem deferatur» (ib. § 2).

ARTICULUS VIII

DE CONDITIONE RELIGIOSORUM PER VIOLENTIAM LEGIS CIVILIS DISPERSORUM

137. Quamvis lex civilis religiosas familias penitus exstinguere non possit, ut patet ex propositione 53 in Syllabo a Pio IX proscripta (1), attamen de facto saepe saepius tam in Europa quam in America eas exstinguit, violenter ejiciendo e claustris omnes religiosos eosque bonis suis spoliando, ita ut vitam inter saeculares ducere cogantur. Sancta Sedes praedictorum religiosorum miserta, ut tantae calamitati levamen quoddam afferret, quaedam Decreta per S. Poenitentiariam edidit, 18 Aprilis 1867, quorum praecipua hic referuntur:

1.º Curandum est, ut Regulares a propriis domibus expulsi, praesertim vero Clerici professi, quatenus in aliud coenobium recipi nequeant, in peculiarem aliquam domum Superioribus suis designandam, conveniant, ibique Regulam, quam professi sunt meliori, quo fieri potest modo, observare non omittant, facta cuique, absque debita licentia, discedendi prohibitione.

2.º Pariter curandum, ut etiam Regulares, qui extra clau-

(1) Denz. Bannw. n. 1753.

stra, et praefatas domus, tanquam saecularizati ad tempus, vivere coguntur, in sua vocatione permaneant, votaque sollemnia, quibus se Deo consecrarunt, meliori, similiter, quo fieri possit modo, persolvant. Unde omnibus Superioribus Regularibus S. Poenitentiaria declarat, ipsorum jurisdictionem in proprios subditos suppressos, etiam extra claustra viventes, minime cessasse. Nam licet quisque Regularis degens extra claustra quoad politiam et disciplinam ecclesiasticam ab jurisdictione Ordinarii loci, in quo degit, exemptus non sit, attamen quoad disciplinam regularem et obligationes, quae ex religiosa professione promanant, et cum novo ejus statu sunt compatibiles, propriis Superioribus subesse, eisque obedire tenetur.

3.º Decernit, praefatas domos, dummodo in eas tres saltem ad ibi degendum convenerint Regulares, quorum unus ad minus sit Sacerdos, jurisdictioni Ministri Provincialis fore subjectas, easque regendas esse per peculiarem Superiorem ibi constituendum.

Si ergo duo tantum sint, perinde se habent ac dispersi singillatim et ipsi quidem subsunt propriis Superioribus eo pacto, quo dictum est 2.º.

4.º Indulget, ut in iisdem domibus, dummodo in eis quatuor saltem degant Sacerdotes Regulares, erigi possit servatis de jure servandis, privatum oratorium a Ministro Provinciali, sive ab alia idonea persona ab eo deputanda, visitandum prius, et approbandum, ita ut in eo Missa a Sacerdotibus Regularibus celebrari, SS. Eucharistia asservari, et a Religiosis, atque Oblatis dumtaxat S. Communio sumi, et praecepto de audiendo Sacro satisfieri possit.

5.º Indulget pariter, ut in privatis oratoriis sic erectis ipsi Regulares frui possint omnibus et quibuscumque SS. Indulgentiis concessis et assignatis domibus seu ecclesiis, a quibus exturbati fuerint.

6.º Declarat insuper Superioribus Regularibus integra manere privilegia, quibus hactenus, quoad peculiares proprii Ordinis benedictiones, usi sunt, ac similiter integras omnibus et singulis Regularibus utriusque sexus, etiam in saeculo de legitima licentia viventibus, manere SS. Indulgentias personales a S. Sede eisdem concessas, et non revocatas.

7.º Mulieres vero regulares a propriis claustris expulsas, quantumvis exemptas, et etiam in novas domos translatas, decernit jurisdictioni Ordinarii loci, in quo commorantur, omnino subesse.

8.º Ordinariis autem locorum facultatem concedit, iisdem Mulieribus regularibus in novis domibus commorantibus indultum oratorii privati pro sua prudentia impertiendi, adeo ut, servatis de jure servandis, Missa in ipso oratorio quotidie celebrari et SS. Eucharistia asservari possit, ibique ipsae Religio-

sae, Conversae, Novitiae et Educandae, si quae sint, aliaeque mulieres iisdem domibus addictae, praeter Missae interventem, S. Communione refici, ac praecepto de audiendo Sacro satisfacere valeant.

9.º Ipsis praeterea Mulieribus regularibus concedit privilegium, ut supra sub 5.º Religiosis viris impertitum, fruendi scilicet in memoratis oratoriis omnibus et quibuscumque SS. Indulgentiis, quae Ecclesiae, seu Monasterio, a quo expulsae fuerunt, affixae aut assignatae erant».

138.—Q. *An transacta tempestate, teneantur Religiosi dispersi Religionem repetere?*

R. *Affirmative*, ut exclaustrati, qui, expleto tempore indulti, religionem repetere tenentur, manent enim et sunt veri religiosi.

CAPUT II

DE OBLIGATIONE RELIGIOSI TENDENDI AD PERFECTIONEM

139.—Q. *An Religiosus teneatur tendere ad perfectionem?*

R.. Religiosus vi *suae professionis* tenetur *sub gravi* tendere ad perfectionem. Ad eam autem *primario* tendere debet per media essentialia status religiosi, nempe per observantiam votorum obedientiae, castitatis et paupertatis; et *secundario*, per media accidentalia, scilicet per observantiam Regulae, Constitutionum aliarumque Ordinationum, saltem ea auxilia non contemnendo. Unde non tenetur ad perfectionem tendere per omnia consiliorum opera, aut supererogationis; sed per illa tantum, quae sunt secundum Regulam et sui Ordinis observantias; proinde illa obligatio non est diversa ab obligatione servandi vota et regulares observantias. Quum ergo peccat contra votum aliquod aut punctum observantiae regularis sub gravi obligans, non committit duplex peccatum, unum nempe contra votum, alterum vero contra obligationem tendendi ad perfectionem; sed tantum unicum committit peccatum.

Quod illa obligatio sit *sub gravi* ex eo probatur, quod status religiosus sit status *acquirendae* perfectionis; ergo consistit in tendentia ad perfectionem acquirendam. Porro cum res sit gravissima et de ea datur obligatio in conscientia, proinde obligatio illa est sub peccato mortali.

140.—Q. *Quandonam Religiosus peccet graviter contra hanc obligationem?*

R. 1.º Si firmiter statuat ad perfectionem non tendere, vel nullo modo de ea curare. 2.º Si Regulam vel alias ob-

servantias regulares, licet ad veniale tantum obligantes, violet eo fine, ut perfectionem impediat. 3.º Si Regulam vel Constitutiones et Ordinationes, etsi ad culpam venialem, vel ad poenam tantum obligantes, ex contemptu formali transgrediatur: quando scilicet voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis, et ex hoc procedit ad agendum contra legem vel Regulam. 4.º Quando ejus pravo exemplo alios induceret ad Regulae relaxationem, tunc enim grave nocumentum et Fratribus et Religioni inferret.

141.—Q. *An graviter peccet Religiosus, qui praecepta solummodo sub gravi obligantia servare intendit, alia vero transgredi statuit, vel saltem de iis non curat?*

R. Forsitan negandum esset suppositum: sed, admissa hac hypothesi, datur duplex sententia. Prima affirmat; ratio est, quia Religiosus vi suae professionis tendere tenetur ad perfectionem; atqui impossibile est ad eam tendere, statuendo Regulam ac Constitutiones sub gravi non obligantes, transgredi; siquidem perfectio Religiosi non praecise consistit in observantia trium votorum omniumque praeceptorum sub gravi obligantium, sed etiam in observantia Regulae, Constitutionum et Ordinationum Praelatorum, etsi sub gravi non obligent. Praeterea si talis Religiosus non peccaret mortaliter, nullum adesset discrimen inter Religiosos et saeculares. Unde vanum esset, quod omnes dicunt, teneri scilicet Religiosum sub gravi tendere ad perfectionem. Sic videtur innuere Concilium Trid. (Sess. 25, c. 1, de Regul.)

Secunda autem sententia communior ac probabilior negat; ratio est, quia eo ipso quod Religiosus vult observare omnia vota et praecepta sub mortali obligantia, jam tendit ad perfectionem religiosam, quae praecise consistit in observatione illorum. Hujusmodi autem observantia *per se, praeciso alio periculo et contemptu*, sufficit, ut obligationi perfectionis Religiosus satis faciat. Dicitur *per se*, nam *per accidens* non raro committet peccatum mortale: quod tunc contingit cum adverterit ex suo licentioso et irregulari modo vivendi grave detrimentum causari Religioni, cui se reddit inutilem; *proximo*, dum ejus pravo exemplo plures sumunt occasionem regulas passim transgrediendi; et *sibi*, dum se ob hanc causam gravi expulsionis exponit periculo.

Nihilominus hoc in casu magnum inter Religiosum et saecularem datur discrimen, in hoc nempe consistens, quod Religiosus teneatur, vi suae professionis tendere ad perfectionem *per observantiam consiliorum evangelicorum*, dum pro saeculari ad hoc sufficit per *observantiam praeceptorum* sub gravi obligantium. Concilium autem Trid. potest facile intelligi juxta

sententiam, quae negat existentiam hujusmodi gravis praecepti.

Ast contra hanc sententiam non objiciatur illud Eccl. 19. 1: «*Qui spernit modica, paulatim decidet*». Unde qui tale haberet propositum, se exponeret periculo labendi in peccatum mortale, ac proinde per illud propositum mortaliter peccaret. Nam hoc intelligi debet de periculo *proximo* labendi in mortale, non vero quando tantummodo agitur de periculo, quod solum *remote* ad mortale conducit. Et sic videmus plures non curantes vitare venialia, qui tamen per multum tempus in mortale non incidunt.

Haec dicta sint pro theoria potius quam pro praxi; nam quod Religiosi hanc sciant doctrinam, et benigniorem in theoria amplectantur opinionem, nihil mali est. Sed ab illa praxi sint longe distantes: nam non solum peccata mortalia vitare sedulo debent, sed etiam et venialia, imo et imperfectiones.

SECTIO II

DE OBLIGATIONIBUS QUAE ORIUNTUR EX VOTIS IN PROFESSIONE RELIGIOSA EMISSIS

Haec sectio quinque constat capitibus: in primo, agetur de votis Religionis in genere; in secundo, de voto Obedientiae; in tertio, de voto Castitatis; in quarto, de voto Paupertatis; in quinto, de votis specialibus in Ordine nostro.

CAPUT I

DE VOTIS RELIGIONIS IN GENERE

Praesens caput in duos dividitur articulos, quorum primus erit, de notione generali voti; secundus, de votis Religionis in genere.

ARTICULUS I

DE NOTIONE GENERALI VOTI

142.—Q. ***Quid sit votum?***

R. Est promissio deliberata ac libera Deo facta de bono possibili et meliore (can. 1301, 1).

Dicitur: a) *Est promissio*; adeoque importat *voluntatem se obligandi* sub peccato ad aliquid faciendum vel omittendum: votum quippe est ad instar legis, quam vovens sibi imponit, et Deo se obligat. Haec voluntas sese obligandi debet esse *vera* et *interna* necnon *plene deliberata ac libera*. Etenim votum utpote pactum cum Deo, et quasi lex propria voluntate

posita, morale vinculum affert; unde eam postulat cognitionem, eumque voluntatis consensum, quae ad actum absolute et simpliciter liberum ac humanum requiruntur.

Dicitur: b) *Deo facta*; votum proprie acceptum fit *soli Deo*: quia votum, sicut et executio voti, est *actus religionis*, siquidem ordinatur ad cultum et honorem Dei. Vovendo enim damus Deo ipsam promissionem; exequendo, rem promissam offerimus. Porro, omne votum, si debitae conditiones adsint, a Deo aceptatur, uti colligitur tum ex rei natura, tum ex Deut. 23, 21: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

Dicitur: c) *De bono possibili et meliore*; impossibile enim nemo vovere potest, et *meliore*, quod, *in se* vel *respective* spectandum est. Sic, absolute loquendo, coelibatus melior est quam matrimonium: attamen matrimonium relate ad certam personam, inspecta illius fragilitate, potest esse melius quam continentia.

143. — Q. *Quasnam actiones vovere possint Religiosi?*

R. Distinguendum est: nam actiones Religiosorum, quatenus constituunt materiam voti, considerari possunt sub quadruplici respectu, nempe: 1.º quaedam sunt jam praeceptae sive per Regulam sive per Constitutiones. 2.º Quaedam sunt tantum de consilio, sed concedi solent Religiosis, ut fieri possint absque licentia Superioris. 3.º Aliae sunt prohibitae *secundum quid*, id est, fieri nequeunt quidem sine consensu Superioris; sed ille consensus concedi solet. 4.º Aliae, etsi ex parte objecti sint bonae, sunt tamen *simpliciter* prohibitae, adeo ut, etiam petita licentia, concedi non soleant; quia non conveniunt statui religioso.

Jamvero actiones primi et secundi generis valide et licite vovere potest Religiosus absque licentia sui Superioris, votumque etiam adimplere.

Quoad actiones tertii generis, votum quoque est validum in actu primo, et pariter licitum, si Religiosus sibi proponat petere a Superiore debitam licentiam, atque paratus sit ad illud omittendum, si Superior consensum non dederit. Si vero non habeat intentionem expetendi licentiam Superioris, cui tamen paratus est obedire, si forte suam manifestaverit voluntatem, votum erit validum in actu primo, sed simul illicitum. At in actu secundo non obligat, donec Superior sciat et approbet votum; quia sine ejus consensu materia voti non est in potestate voventis. Tenetur itaque vovens petere consensum Superioris: imo, saltem secundum plures, eique aperire votum, si hoc necesse sit ad obtinendum consensum; nam ad id censetur se tacite obligasse vovendo, alioquin frustra vovisset.

Quod si vovens vovendo intenderit votum suum exequi inscio, imo et invito suo Superiore, tunc votum esset prorsus nullum, eo quod hoc in casu materia voti non esset bona, et si Religiosus illud executioni mandaret, inferret injuriam Superiori, sub cujus potestate versatur.

Quoad actiones quarti generis, votum est nullius valoris, quia non est bonum agere contra Regulam, etiam in casu, quo concederetur dispensatio; nam melius est respectu voventis se conformare regulae, quam in ea dispensari.

ARTICULUS II

DE VOTIS RELIGIONIS IN GENERE

144.—Q. *Quid et quotuplex sit votum Religionis?*

R. 1.º Est promissio deliberate Deo facta de meliori bono, non quocumque, sed quod sit, sive de essentia status religiosi qua talis, sive hujus vel illius Religionis ex peculiari suo Instituto, aut certe de ejus integritate.

2.º Est triplex, scilicet: votum paupertatis, castitatis et obedientiae. Ultra haec tria vota, quae sunt de essentia status religiosi, qua talis, in aliquibus Religionibus ex peculiari institutione ab Apostolica Sede approbata, emittuntur et alia vota.

145.—Q. *Quomodo obligent vota religiosa?*

R. Obligant sub gravi, nisi excuset defectus deliberationis, aut levitas materiae. Non autem obligant cum periculo vitae, nisi eorum materia sit *de re intrinsece mala.*

Utrum peccet Religiosus, qui de votis religiosis a se factis concipiat tristitiam, inspiciendum est motivum ob quod tristatur de votis emissis. Tristitia enim provenire potest ex eo quod Religiosus nunc graves experiatur difficultates ad observanda vota hujusmodi, attamen est paratus facere quod est in se, ut possit ea servare. Tunc haec tristitia non erit peccatum; ne veniale quidem. Si ita poeniteat, ut remaneat solummodo voluntas implendi ea ex solo metu damnationis, aut ex motivo tantum humano, alias non adimpleturus, supposito affectu actuali ad transgressionem, peccaret mortaliter; secluso autem tali affectu, venialiter tantum peccaret.

Notandum est, quod Religiosi ejusmodi, etsi *per se* non peccent in illis adjunctis, saepius tamen peccant *per accidens*: nam per talem tristitiam conjiciuntur non raro in statum animi dejectionis, ex quo exsurgat torpor in piis exercitiis spiritualibus, et languor in observantiis regularibus. Si enim Religiosus ratione status dejectionis animi constituatur in proximo periculo morali violandi vota, peccaret graviter; si solummodo in periculo remoto versetur, leviter tantum peccaret.

CAPUT II

DE VOTO OBEDIENTIAE

Praesens caput in tres dividitur articulos, quorum primus erit de natura et obligatione voti Obedientiae; secundus, de illius materia seu objecto; tertius, de Obedientia a Religiosis O. N. praestanda.

ARTICULUS I

DE NATURA ET OBLIGATIONE VOTI OBEDIENTIAE

146.—Q. *Quid sit virtus obedientiae?*

R. Est virtus moralis inclinans voluntatem ad implendum praeceptum Superioris ex motivo satisfaciendi praecepto.

Objectum *materiale* obedientiae est Superioris praeceptum expressum vel tacitum, ut docet S. Thomas (2-2, q. 104, a. 2). Voluntas autem Superioris, quocumque modo innotescit, est quoddam tacitum praeceptum; et tanto videtur obedientia promptior, quanto Religiosus expressum praeceptum obediendo praevenit, voluntate Superioris intellecta.

Objectum autem *formale* est ratio debiti auctoritati Superioris praecipientis: nimirum, ex praecepto opus ita fit debitum ac necessarium, ut sine aliquo contemptu interpretativo, et vilipensione auctoritatis Superioris non possit ejus executio praetermitti.

147.—Q. *Quinam sint gradus obedientiae?*

R. Tres gradus obedientiae distingui possunt: *primus* gradus est, *opere tantum*, praeceptum tempore et modo determinato implere: haec obedientia externa virtutis nomen non meretur: *alter* gradus est, non *opere* tantum sed *voluntatis simul submissione* Superiori obedire, sicque idem velle, idem nolle cum Superiore praecipiente: haec est vera obedientia. *Tertius* demum gradus est, non solum operis executione et voluntatis submissione, verum etiam judicii proprii oblatione *in simplicitate* cordis Superiori obtemperare: haec est perfecta obedientia.

148.—Q. *In quo consistat essentia voti obedientiae?*

R. In hoc consistit quod Religiosus renuntiet propriae voluntati, adeo ut proprium velle aut nolle jam non amplius habeat, sed sese tradat sui Praelati gubernationi ad obtemperandum in omnibus, quae honesta, justa et Regulae conformia sunt.

Unde votum obedientiae duo includit, nempe: a) promis-

sionem Deo factam, quae Religionis obligationem inducit; et b) promissionem Superiori factam, qua illius praecepta sese executurum promittit. Et quamvis in professione simul cum voto obedientiae Religiosus sese tradat Religioni, et de facto haec duo inseparabilia sint in professione, votum tamen *formaliter* differt a traditione, sicut formaliter inter se differunt promissio et traditio; ac proinde diversa est obligatio, quae oritur ex voto, et ea, quae oritur ex traditione.

149.—Q. *An votum obedientiae sit praecipuum inter vota Religiosa?*

R. Affirmative; probatur: 1.º Quia tantum magis est aliquod votum, quanto per ipsum Deo aliquid praestantius offertur; sed per votum obedientiae Deo offertur propria voluntas, quae est major et praestantior, quam corpus proprium, quod homo Deo offert per castitatem, et quam bona fortunae, quae per votum paupertatis offeruntur (1).

2.º Demum ratione necessitatis; quia obedientia est absolute necessaria ad constituendum statum religiosum; ideoque in Const. n. I, dicitur: «totius monasticae disciplinae basis obedientia est, qua Religiosus in statu proprio constituitur, et ad christianam perfectionem comparandam promovetur».

150.—Q. *Ad quid teneatur Religiosus vi voti obedientiae?*

R. Tenetur ea omnia servare, quae a suo legitimo Superiore, rationabiliter et intra limites ipsius potestatis *secundum Regulam* praecipiuntur.

Dicitur 1.º: *Tenetur ea omnia servare*: ad servandum autem *votum* obedientiae *sufficit*, ut Religiosus ea, quae a Superiore praecipiuntur, opere executioni mandet secundum *actum externum*, etiamsi interne voluntatem propriam judiciumque minime subjiciat. Ex hoc apparet discrimen inter virtutem et votum obedientiae; virtus enim obedientiae latius patet quam votum, cum etiam se extendat ad internas dispositiones et affectus.

Dicitur 2.º: *A suo legitimo Superiore*; tenetur enim Religiosus, vi voti, tantum obedire illis a quibus nomine Dei regitur, scilicet: a) *Summo Pontifici*, tanquam supremo omnium Religionum Superiori, a quo omnis religiosae jurisdictionis potestas emanat (2), b) *Propriis suis Superioribus*, Superiori nempe Generali, Provinciali, et Locali, servato autem hoc ordine, ut si contraria hi Superiores praecipiant, obediat potius illi,

(1) Cfr. Prümmer, M. J. C. q. 231.

(2) "Religiosi omnes, tanquam supremo Superiori, subduntur Romano Pontifici cui obedire tenentur etiam vi voti obedientiae" (can. 499, § 1).

qui est altioris gradus. c) *Ordinario loci*, si non sunt exempti, sed juxta regulas a S. Sede approbatas. d) S. *Congregationi de Relig.*

Dicitur 3.º: *Rationabiliter et intra limites ipsius potestatis secundum Regulam praecipiuntur*. Ut autem probe dignoscatur quousque se extendat potestas Superioris legitime praecipientis, juvabit hac de re distinguere inter praecepta, quae sunt a) *contra Regulam*, seu quae regulae opponuntur; b) quae sunt *supra Regulam*, seu quae majorem quam regula habent perfectionem; c) quae sunt *infra Regulam*, seu quae minorem quam ipsa habent perfectionem; d) quae sunt *praeter Regulam*, seu quae a regula sunt extranea.

Si praecipiantur quae sunt *contra Regulam*, prout censentur non solum ea, quae sunt contra aliquod ipsiusmet regulae praeceptum; sed etiam ea, quae sunt contra Ordinis statuta, ad majorem regulae puritatem servandam ab Ordine ordinata, Religiosus nullatenus tenetur, imo ne potest quidem, obedire suo Superiori, nisi hic legitimam habeat facultatem a regula dispensandi, simulque ad hoc justa adsit causa; nam eo in casu, si Praelatus aliquid contra Regulam praecipiat, praesumi debet in regula dispensare, ac proinde non amplius praecipit ea, quae sunt contra regulam, sed ea quae jam sunt secundum regulam.

Si vero praecipiantur quae sunt *supra Regulam*, non tenetur Religiosus obedire suo Superiori, ex puro nimirum zelo majoris perfectionis praecipienti. Ratio est, quia Religiosus *vi voti obedientiae* ad illud solum tenetur, ad quod per votum se obligavit; atqui per votum se non obligavit nisi ad obediendum in eis quae praecipiuntur secundum regulam. Ceterum Superior nullum habet jus ad aliquid praecipiendum, ex vi solius voti obedientiae, quod sit supra regulam.

Haec tamen sunt intelligenda de his quae sunt *absolute et simpliciter supra Regulam*, nulla alia causa interveniente; nam per accidens, et aliunde justa interveniente causa, jure merito praecipere poterit Superior ea, quae sunt supra regulam, ac proinde tenetur subditus ea adimplere, puta a) si fiat in poenam delicti, vel ad cautelam ne quis delinquat; b) si Praelatus ob gravem necessitatem publicam suis subditis quasdam austeritates, uti jejunia, flagellationes imponeret, esto id alicui in particulari imponere non valeret; vel c) si bonum maximi momenti Communitatis id postularet, v. g. assistentia Fratribus peste vel alio morbo contagioso laborantibus; quo tamen in casu obedientia non praecise oriretur ex vi solius voti, sed potius ex vi legis naturalis, quatenus lex naturalis praecipit, ut omnis societas, quae legitimam habet existentiam, instructa sit iis juribus, quae ad suam conservationem sunt necessaria.

Si autem praecipiantur quae sunt *infra* vel *praeter Regulam*,

non possunt quidem praecipi *per se et ratione sui*; quia obedientia non promittitur nisi *secundum Regulam*; sed bene praecipi possunt *per accidens*, seu *reductive*, quatenus ex causa aliqua rationabili, ut dicunt Salm., (de qua ipse Superior imprimis judicare debet) reducuntur ad Regulam, puta ratione uniformitatis habendae. Quo in casu, uniformitas est procul dubio secundum regulam, cum ad actus communes disciplinae regularis sit omnino necessaria. Quinimo, juxta S. Alphonsum sufficeret sola ratio obedientiae exercendae, quae ratio est secundum regulam.

Ex his luculenter patet quam periculosum sit, et a recta ratione alienum, non obedire Superiori aliquid praecipienti sub praetextu quod praeceptum sit *infra* vel *praeter Regulam*. Nam quomodo subdito constare posset Praelatum suum talia praecipere, quae ad bonum commune non reducantur? Et in supposito quod ad bonum commune reducantur, jam tunc praecipit secundum regulam, quatenus haec implicite saltem in ipsa regula continentur.

Haec quidem dicta sint de iis, quae *certo* sunt *contra, supra, infra* vel *praeter Regulam*; nam quoad ea quae *dubie* talia sunt, seu quoad ea de quibus serium movetur dubium, utrum implicite saltem in regula contineantur, Superior ipse, etiam localis, de consilio prudentum, nedum *doctrinaliter* quod per se patet, sed etiam *authentice et definitive* pro occurrentia decidere poterit, salva tamen semper auctoritate altiori in casu recursus, obedientia interim praestita.

Dicitur 4.º: *Praecipiuntur*: nam Religiosus nullatenus tenetur, nequidem sub peccato levi, facere voluntatem sui Superioris, etiam sibi significatam circa agenda, nisi per praeceptum ab ipso Superiore obligetur. Ratio est, quia in professione sua non promisit executioni mandare omnem quamcumque voluntatem Superioris, sed solummodo praeceptis ipsius obtemperare.

151.—Q. *An moniales teneantur ex vi voti obedientiae, Episcopo praecipienti obedire?*

R. *Affirmative* si Episcopo sint subjectae, alias non, quia nullam jurisdictionem habet in eas, nisi in casibus in jure expressis (can. 500, § 2).

152.—Q. *An Superiorissa possit suis Monialibus imponere praecepta ex voto obedientiae obligantia?*

R. Quod Superiorissae in casibus particularibus et determinatis personis sub gravi vel sub levi praecipere possunt, quae ad spiritualem monialium profectum vel regularem disciplinam juxta regulam et constitutiones ordinis pertinent, *non vi juris-*

dictionis, quam non habent neque accipere possunt, *sed vi voti obedientiae*, quod moniales professae emittunt, *et vi potestatis dominativae*, quae jure naturali convenit omnibus Superioribus cujuslibet communitatis. Vi hujus potestatis, etiam novitiis, quae votum obedientiae non emiserunt, praecipere possunt. Ita P. Noldin, I, n. 131 a.)

153.—Q. *An Religiosus teneatur, vi voti obedientiae, obtemperare Officialibus aliquid relate ad suum officium praecipientibus?*

R. Negative, quia Officiales non sunt illi legitimi Superiores, quibus Religiosus in sua professione promissit obedientiam. Illis tamen tenetur obedire ex virtute obedientiae, quatenus participant de potestate Superioris iis in rebus, quae spectant ad suum officium.

154.—Q. *An votum obedientiae, in professione emissum, sit unum idemque in omnibus Religionibus?*

R. 1.º Distinguendum est: 1.º *Ratione obligationis*, seu *formaliter* sumptum, affirmandum est.

2.º *Ratione objecti* ad quod extenditur, negandum est: nam obedientia promittitur *secundum Regulam*; Regula autem plura continet praecepta in una Religione, pauciora in altera.

3.º *Ratione effectuum*, controvertitur. Alii censent voto simplici obedientiae obligationem, quam subditi ex aliquo contractu, absque Superioris consensu, suscipiunt, reddi illicitam, invalidam autem voto sollemni.

Alii vero docent votum sollemne obedientiae a simplici in Religioso non distingui, nisi *subjectionis promissae et acceptatae majore firmitate ex utraque parte*. Juridicus autem effectus inhabilitatis non habetur, qui prae simplici, sollemni voto inhaereat; nam professus etiam votorum sollemnium sese sine consensu Superioris obligans ad aliquid, non invalide se obligat, at *firmiter* se obligare nequit: id est, in Superioris potestate est hanc obligationem, si velit, rescindere; quod nisi fecerit, obligatio professi manet. (Cfr. Lehm., I, n. 534).

ARTICULUS II

DE MATERIA SEU OBJECTO VOTI OBEDIENTIAE

155.—Q. *Quaenam sit materia propria voti obedientiae?*

R. Controvertitur: alii censent materiam propriam voti obedientiae esse solummodo praeceptum et voluntatem Superioris. Ratio est, quia in professione obedientia Superiori promitti-

tur: porro ei obeditur, cum ejus voluntas fit; Regula autem non refert ejus voluntatem, sed potius Institutoris aut confirmatoris Instituti; ipse enim Superior, non secus ac alii, Regulae subest. Regula sane se habet ad modum legis, ejusque oblitio non ex voto, sed ex voluntate oritur legislatoris, et ex eo quod quis alicui Communitati se tradit; quapropter in professione votum obedientiae his vel similibus verbis emittitur: *promitto obedientiam secundum Regulam*, quibus determinantur limites intra quos Praelatus praecipere potest, et subditus se obligat ad obediendum.

Alii vero communius docent materiam propriam voti obedientiae esse, non solum praecepta voluntate Superioris manifestata, sed etiam praecepta Regula et Constitutionibus expressa. Ratio est, quia Praelatus non solum praecipit ex se seu personali praecepto, sed etiam praecipit per Regulam et Constitutiones, quarum executionem exigit et urget. Si igitur Regula praecipit sub gravi, Religiosus vi voti se obligat ad illam servandam sub gravi; si vero praecipit sub levi, quaecumque sit materia, se obligat tantum sub levi; si solum imponit obligationem subeundi poenam, ad id tantum ex voto tenetur.

156.—Q. *Quandonam Religiosus graviter peccet contra votum obedientiae?*

R. Peccat graviter in sequentibus casibus, scilicet: 1.º quando recusat obedire in materia gravi Superiori aliquid praecipienti *in virtute sanctae obedientiae*, vel *in nomine Jesu Christi*, aut his similibus formulis.

2.º Quando Superiori praecipienti respondet: *nolo obedire, nolo facere, non faciam*, aut aliud simile, quod formalem Superioris praecipientis redoleat contemptum; quod etiam valet pro casu, quo materia praecepti in se spectata non fuerit gravis. Si autem subditus praeceptum Superioris *secundum quid* tantum contemnat, v. gr. quia res praecepta ipsi videtur inanis, absona, superflua, contemptus non esset formalis, ac proinde peccatum veniale non excederet.

3.º Quando inobedientia grave causat damnum aut scandalum Communitati, tunc quidem peccat graviter; verum gravitas peccati, eo in casu, non oritur ex violatione voti obedientiae, sed ex violatione legis naturalis.

In ceteris casibus inobedientia non solet peccatum veniale excedere. Cum autem praedicti casus peccati mortalis raro contingant, communiter peccata a Religiosis contra obedientiam commissa, ut venialia reputanda sunt.

Quoad modum praecipiendi, haec habent animadversiones S. C. Si Superiorissa velit aliquam sororem obligare ad aliquid peragendum vel omittendum sub peccato gravi, praeceptum hoc, non verbaliter tantum, sed *in scriptis* dandum erit

(15 Febr. 1870). Raro et non sine gravissimis rationibus utendum erit formula praecipiendi in virtute S. Obedientiae, imo opportunius erit ab illa formula omnino abstinendum. (21 Dec. 1888, apud Battandier, p. 115).

157.—Q. *Quot peccata committat Religiosus agendo contra praeceptum obedientiae?*

R. Controvertitur: alii docent unum tantum haberi peccatum, scilicet contra Religionem et fidelitatem erga Deum, cui principaliter factum est votum.

Alii autem docent praeter malitiam peccati contra Religionem, etiam haberi malitiam contra justitiam ob promissionem et traditionem Praelato factam. Utraque sententia est solide probabilis.

Si quid praecipiatur per *potestatem jurisdictionis*, certum est violationem accipere speciem a virtute, ad quam spectat res praecepta: et sic omissio jejunii ita praescripti erit peccatum contra virtutem temperantiae. Censendus est autem Superior praecipere *vi jurisdictionis*, quoties praecepto addit poenam, quam ex illa potestate tantum injungere possit, puta suspensionem. In isto autem casu, probabiliter opinantur plures auctores, Superiorem nolle simul urgere obligationem ex voto, ne frustra multiplicentur vincula. Verius tamen videtur repugnare, quod Praelatus subdito suo imponat praeceptum strictum, quin eum ex voto obedientiae obliget. Nam per hoc votum promisit Religiosus Deo se non esse transgressurum Praelati praeceptum; ac proinde repugnat, ut violet Praelati praeceptum, quin simul violet votum obedientiae. (Cfr. Genicot II, n. 104).

158.—Q. *An casu, quo Regula ad primitivum rigorem redacta est, ad illius rigoris observantiam obligentur etiam illi, qui ante reformationem professi sunt?*

R. Ad hanc quaestionem satis implicatam sic respondet Lehm. (I, n. 538). 1.º Qui invenerunt observantiam relaxatam, per se ad primaevum rigorem non tenentur.

2.º Nihilominus, si quae necessaria sunt, ut substantia religiosi Ordinis, i. e. observantia votorum, vel peculiaris finis hujus Instituti in tuto collocetur, rigor augeri potest, atque collapsa disciplina reformari. Nam qui vota emisit, in omni casu ea implicite promisit, quae ad ea servanda sunt necessaria: quare quaecumque querelae de errore in professione audiendae non essent, sed ad summum error accidentalis putari deberet. Extra hanc necessitatem, a S. Alph. lib. 5, n. 44 recte tenetur, solius majoris perfectionis causa arctiorem disciplinam praecipi non posse reluctantibus; sed nihil relinqui, nisi ut ii, qui de novo admittuntur, ad strictiorem Regulam obligentur.

3.º Verum claritatis causa puto distinctione opus esse: Si agatur de obligationibus imponendis, ut jejunandi, vigilandi etc., recte tenetur, quod dictum est hactenus. At si agatur de *licentiis retrahendis*, quae in usu quidem plane erant, sed quae *ex natura sua* arbitrio Superioris debebunt esse subjectae, id ubique fieri posse dubitari nequit. Quare reformatio collapsae disciplinae tali modo semper perfici atque sub gravi omnibus imponi potest. Ut exemplum afferam, peculium in quolibet Ordine religioso plane auferri potest, modo alia via necessitatibus Religiosorum provideatur.

Quae dicta sunt de Praelatorum potestate in adstringenda disciplina, etiam de R. Pontifice valent: at facilius ipse de necessitate judicans ex suprema potestate jurisdictionis praecipere atque dubium dirimere potest. Quod si existimet non expedire per praecepta nimis rigorose procedere, poterit Ordinem, interdicta facultate novitios recipiendi, morti devovere, vel statim, urgentibus causis concurrentibus, eum supprimere.

Quod si relaxatio aliqua in disciplina regulari mala consuetudine introducta fuerit, tenentur Religiosi reformationi postea factae sese accomodare, modo reformatio facta fuerit legitima auctoritate; nam illa consuetudo, etsi nunc videatur legitima nullatenus privavit R. Pontificem, Praelatum aut Capitulum generale potestate Regulam collapsam rigori primitivo restituendi, si ipsi viderint id expedire ad bonum commune. Sic C. Trid. (Sess. 25, c. 21, de Regul.) «Praecipit: ut omnes Regulares, tam viri quam mulieres, ad Regulae, quam professi sunt, praescriptum vitam instituant et componant».

Et Codex J. C., can. 593, ait: «Omnes et singuli religiosi, Superiores aeque ac subditi, debent... secundum regulas et constitutiones propriae religionis vitam componere atque ita ad perfectionem sui status contendere».

159.—Q. *An Religiosus teneatur obedire suo Superiori actus mere internos praecipienti?*

R. Controvertitur: 1.º Alii affirmant. Imprimis affirmant omnes illi, qui docent Ecclesiae competere potestatem praecipiendi actus mere internos. Praeterea multi ex illis, qui Ecclesiae denegant hanc potestatem, eam tamen concedunt Praelato Regulari. Ratio est, quia Religiosus in sua professione per votum obedientiae sese tradidit suo Superiori ad observanda ea omnia, quae pertinent ad regularem observantiam: atqui ad regularem observantiam spectare possunt actus mere internos, uti est meditatio, examen conscientiae et his similia.

2.º Alii autem negant. Existimant nimirum patroni hujus sententiae talem potestatem Ecclesiae non competere; repugnat enim ut leges ferantur de quibus judex judicare non potest; judex autem humanus non potest judicare de actibus

mere internis. Quae ratio non est convincens, nam bene valet Ecclesia praecipere et saepe praecipit sine externa sanctione, et consequenter sine judicii adnexione, relinquendo delinquentes propriae conscientiae et judicio Dei.

Ceterum, quidquid sit de illa controversia, Superior potest absque dubio praecipere ea omnia, quae necessaria sunt ad actus hujusmodi ex alia obligatione, vel quae cum illis conjuncta sunt. Sic v. g. potest imponere *celebrationem Missae ad suam intentionem*, permanentiam in choro tempore orationis mentalis et his similia. Quod possit Superior imponere celebrationem Missae ad suam intentionem patet ex sequenti responso S. Congr. de Relig., 3 maji 1914: an Superiores religiosi praecipere possint subditis suis etiam in virtute s. obedientiae, ut ipsi celebrent secundum intentionem a constitutionibus praescriptam, vel ab ipsis Superioribus statutam, salvis exceptionibus a constitutionibus vel a legitima consuetudine sancitis? Affirmative (Acta A. S., VI, 231).

160.—Q. *An Religiosus teneatur ex obedientia poenas subire?*

R. Distinguendum est: 1.º Si poenae juste sint inflictae, affirmandum omnino est; nam dari nequit in Superiore potestas poenas imponendi, quin simul detur in subdito obligatio eas subeundi. Si Superior procedat *vi jurisdictionis*, qua gaudet delinquentes corrigendi, Religiosus tenebitur quidem *ex obedientia* subire poenas, sed non *ratione voti obedientiae*.

2.º Si poena sit manifeste injusta, eam subire per se non tenebitur ex obedientia. Utrum quandoque per accidens ex alio capite ad hoc teneretur, v. g. ratione pacis et caritatis servandae, id pendet a variis circumstantiis. Quidquid sit, semper consultius erit humiliter poenam subire.

3.º Si manifeste quidem sit injusta, sed, servato ordine juris inflicta, Religiosus eam subire tenebitur, si in publico facienda sit; si vero privatim subeunda sit poena, ad eam faciendam non tenebitur, modo exinde nullum sequi possit damnum regulari disciplinae aut scandalum aliorum.

161.—Q. *An Religiosus teneatur obedire suo Superiori praecipienti revelationem delinquentis occulti?*

R. Distinguendum est: 1.º Si Superior procedat *tanquam judex*. Religiosus tenetur revelare delinquentem occultum, modo infamia delinquentis praecesserit; quia tunc Superior *juste et juridice* interrogat. Si vero illa infamia non praecesserit, generatim non debet, imo nec potest hujusmodi revelationem facere.

Dicitur: *generatim*; si enim peccatum sit quidem occul-

tum, tamen cedat in damnum Communitatis, et periculum sit in mora, neque spes ulla sit illud correctione fraterna impediendi, tunc revelandum est Superiori, ut efficaciter delinquentem corrigat, et malum a Communitate avertat.

2.º Si Superior procedat *tanquam Pater*, non tenetur in casu, quo sufficienter et commode speratur emendatio delinquentis per privatam correctionem fraternam, seu admonitionem. Ratio est, quia eo in casu praeceptum Superioris obligare non potest contra praeceptum de modo corripiendi ab ipso Domino factum.

Neque tenetur, si delinquens per secretam admonitionem jam sufficienter sit emendatus, etiamsi speretur, ut Superior melius eum corrigat et delictum praecaveat in futurum.

Si vero delinquens non sit emendatus, aut mox sese emendaturum non speretur, tunc tenetur Religiosus suo Superiori obedire. Ratio est, quia ob justam causam, et sub debitis conditionibus, licet verum alterius crimen manifestare. Jus enim famae in ignorantia veri criminis fundatum elidi potest a jure potiori, cum, nempe, justa seu proportionata causa revelationem criminis exigit; neque infamatus rationabiliter invitus esse potest. Jamvero eo in casu bonum spirituale delinquentis procurandum est causa justa, et debitae conditiones servantur, cum crimen non manifestetur nisi Superiori tanquam patri, cum bona intentione corrigendi delinquentem.

162.—Q. *An Religiosus teneatur obedire suo Superiori praecipienti, in dubio de potestate Superioris, vel de liceitate rei praeceptae?*

R. 1.º Si dubium sit de *legitimitate Superioris*, tenetur obedire, Superior enim possidet jus praecipiendi quousque illo non fuerit privatus; ast ob tale dubium suo jure non privatur. Hoc exigit ipsa lex naturalis. Etenim lex naturalis praecipit observanda esse ea omnia quae sunt necessaria ad conservationem regularis observantiae in Religione; porro si Religiosus eo in casu posset se subtrahere obedientiae erga suum Superiorem, cuinam tunc subjiceretur? Nonne hoc vergeret in grave damnum observantiae regularis?

2.º Si dubitetur utrum *res praecepta sit licita, necne*, tunc in primis certa ab incertis discernenda sunt. In dubio *stricte* dicto, seu *negativo*, subditus tenetur semper obedire suo Superiori praecipienti. Praeterea in casu quo res praecepta, esset quidem dubie *illicita*, sed solum jure positivo, et Superior haberet potestatem dispensandi, et, justa interveniente causa, juberet Religiosum dispensatione uti, tunc subditus tenetur obedire.

In dubio autem *positivo*, seu dum habetur, re in se spectata, vera et solida vel etiam major probabilitas pro sub-

dito, tenetur nihilominus obedire juxta sententiam communem. Sententia autem opposita vocatur a Rotario (II-158) *singularis* et *paucorum*. Priorem autem sententiam amplectitur S. Alph. (l. 5, n. 47) cum hac limitatione: nisi res sit valde difficilis, vel subditum aut tertium periculo gravis damni exponat. (Cfr. Konings n. 1173, Ball. t. II, n. 170. Salm. XV, n. 67 de statu relig.).

Et re quidem vera, subditus eo in casu habet quidem veram probabilitatem *speculativam* et forsan majorem in sui favorem, et inspecto solummodo usu probabilismi, vi cujus sequi licet opinionem solide *probabilem*, non teneretur, stricte loquendo, obedire suo Superiori. Sed hic subintrat principium altioris ordinis, vi cujus opinio quantumcumque *speculative* probabilis, non manet practice probabilis. Principium vero illud altioris ordinis, est finis necessario obtinendus in Religione, seu est observantia regularis et pax in Religione servanda. Omnis itaque usus opinionis utcumque probabilis, quo admisso, magna ex parte subverteretur obedientia Superioribus debita, quae est basis et fundamentum totius regularis disciplinae et observantiae, in praxi non potest remanere probabilis.

Hinc infertur cum S. Alphonso, l. c.: a) quod si diversae adsint opiniones circa rem praeceptam num sit licita, vel non, subditus tenetur obedire. b) Si vero subditus non habeat nisi unicam tantum opinionem probabilem, quod res praecepta sit illicita, et nulla sibi appareat probabilitas de illius honestate, adhuc tenetur obedire. Ratio est, quia, dum non constat de de turpitudine actionis, Praelatus habet jus praecipiendi omnia quae ipsi licita videntur, quamvis subdito illicita appareant, cum Praelatus, ut diximus, non sit exspoliandus suo jure imperandi, nisi constet quod res praecepta sit illicita.

Excipi tamen possunt duo casus, nempe: 1.º Si res praecepta sit admodum difficilis et molesta, quia ex una parte, operis difficultas una cum opinione probabili, quod praeceptum illicitum sit vel potestatem Superioris excedat, praevalet illius possesio; et ex alia parte, casus illi admodum raro contingunt, in quibus proinde principium altioris ordinis non censeatur subintrare. Imo, cum tale praeceptum superet vires communes etiam Religiosi morigerati, non praesumitur Superior velle *rationabiliter* praeceptum urgere.

2.º Si subditus obtemperando, seipsum vel alium exponeret periculo gravis damni, quia tunc et ipse Superior tenetur contribuere ad hoc, quod periculum illud pro posse vitetur.

163.—Q. *An Religiosus teneatur obedire suo Superiori dignitatem vel officium ipsi imponenti?*

R. Affirmative, si agatur de dignitate vel officii intra Ordinem, etiamsi de sua sufficientia dubitet. Ratio est, quia hoc

est necessarium ad bonum commune, et ad rectum Religionis regimen necessario pertinet. Et sane, si subditus quilibet ad id praecepto cogi non posset, neque ipse obedire in eo teneretur, tunc et omnes possent sese ab hoc munere libere eximere, ac proinde non satis esset provisum disciplinae regulari.

Si vero agatur de dignitate extra Ordinem v. g. de Episcopatu, R. Pontifex potest Regularem quemcumque obligare ad acceptandum Episcopatum, vi voti obedientiae, ut patet ex canone 499, § 1.

ARTICULUS III

DE OBEDIENTIA IN ORDINE NOSTRO PRAESTANDA

164.—Q. *Quaenam sint partes hujus obedientiae et quomodo obligent?*

R. Ad 1.um) «Sunt Regula, Constitutiones, Ordinarium, Manuale, Instructiones et mandata Superiorum. (Const. n. 3).

R. Ad 2.um) Regula quippe, exceptis votis et Officio divino ibi contentis, ad culpam tantum venialem obligat. Constitutiones autem, Ordinarium, Manuale, Instructiones et mandata Superiorum, non ad culpam, sed ad poenam impositam, vel a Superiore imponendam obligant; nisi contemptus adsit, aut contrarium ejus, quod statuitur, ex natura sua, aut aliunde culpa sit. (l. c. n. 4).

Sola trium votorum Religionis, et quarti de non ambiendo gravis transgressio, et divini Officii a Choristis sollemniter professis omissio mortalis est» (l. c. n. 5).

165.—Q. *Quandonam Religiosus noster transgrediatur votum obedientiae?*

R. «Obedientiae autem votum tunc solummodo Religiosus noster transgreditur, et quidem graviter, cum ea quae per scriptum sub formali praecepto vel censura, his verbis: *In virtute sanctae obedientiae et sub praecepto vel sub poena excommunicationis latae sententiae* jubentur, non observat» (Const. n. 5).

Decernimus nullam seu Constitutionem seu Ordinationem seu Praelatorum praecepta obligare ad ullam culpam, nisi scripta sub hac verborum formula: *In virtute sanctae obedientiae et sub praecepto, vel sub poena excommunicationis latae sententiae.* (Constit. n. 405).

166.—Q. *Quomodo praeceptum sit imponendum?*

R. 1.º Superior, qui vult dare praeceptum, tenetur illud scribere sub forma indicata, et sic scriptum intimare subditis, sub poena nullitatis. Constitutiones nostrae exhibent formam

in visitatione regulari (n. 637) et in Capitulo Generali (n. 383) et Provinciali (n. 493) adhibendam.

Aliquando tamen praeceptum in virtute S. Obedientiae per ipsas Constitutiones imponitur, prout legitur (n. 368) de Secretariis externis in electionibus adhibendis. Quibus a secretis Fratribus in aulam vocatis, Praeses praecipiat in virtute sanctae obedientiae, ut nemo illorum unquam dicat quisnam electorum talia nomina postulaverit, aut etiam talia non petierit. Praeceptum autem illud in scriptis imponi non debet, prout constat ex Instr. de Cap. (p. 86 et 136) ubi legitur: «Omnibus in ordine suo sedentibus, vocantur duo Fratres electi ad scribendas schedulas, quibus in medio genuflectentibus, exponit Praeses officium, quo functuri sunt, eisque indicit *praeceptum* nostrarum Constitutionum, n. 368, *ut nemo illorum*, etc. Illi, genuflexi, praecepto se obtemperaturos demostrent inclinatione capitis».

167. – Q. *Quinam Superiores in Ordine nostro imponere possint praecepta, quibusnam, et quamdiu durent?*

R. Hac de re haec habent Constitutiones nostrae: «Praelati autem, amore potius boni quam poena timore subditos ad legum observationem inducentes, raro admodum ejusmodi praeceptis aut censuris utantur. Quod ut rarius et prudentius fiat, decernimus, ut Praepositus praeceptum hujusmodi aut censuram toti Ordini imponere nequeat, nisi una cum Capitulo Generali, re prius tam in Capitulo quam in Definitorio respective collata, et per suffragia decisa; ac ita, si major pars suffragiorum praeceptum aut censuram ferri debere, censeat, ferantur» (n. 406).

168. «Praecepta quoque a Capitulo vel Definitorio imposita, quae in corpus Constitutionum relata non sunt, nisi in sequenti Capitulo ordinario vel Definitorio immediate post dictum Capitulum faciendo respective confirmentur, usque ad publicationem actuum Capituli illius seu Definitorii, in quo confirmari deberent, tantum perdurent. Similiter, praecepta alia quorumque Superiorum, parti cuilibet Ordinis, Provinciae aut Conventui vel alicui Religioso imposita, usque ad publicationem Actuum proximi Capituli Provincialis vel Generalis respective perdurent; Provincialis quidem, si a Superioribus Provinciae imposita sint, Generalis vero, si a Praeposito Generali vel Vicario Generali imponantur. Decreta vero Definitorii Generalis, nisi confirmentur in Definitorio immediate sequenti post Capitulum sexennale, et Ordinationes Definitorii Provincialis approbatae a Definitorio Generali, nisi confirmentur in Definitorio immediate sequenti post Capitulum Provinciale triennale, expirent. Decreta vero Capituli Provincialis semel approbata a

Definitorio Generali durent usque ad sequens Capitulum Provinciale triennale» (n. 407).

169. «Poterit Praepositus vel Provincialis, et quilibet Visitator ab eis delegatus, aliqua statuta salutaria condere, et praeceptum toti Conventui imponere, quae, si a Visitatore delegato condita et imposita fuerint, obligabunt tantum quousque Praepositus vel Provincialis, certior factus, aliud decernat. Acta itaque et praecepta, si quae remanserint, in arca communi serventur, et tantum perdurent de una Visitatione in aliam, a Superiore ejusdem auctoritatis faciendam, ubi de novo non approbata expirent. Et quilibet Visitator diligenter inquirat inspiciatque omnia acta, mandata, praecepta, aut censuras sui antecessoris, ut de eorum observantia integraque adimpletione, et quid circa ea confirmare aut revocare expediat, exactius judicare possit. Volumus autem, ut expiret praeceptum in proximo Capitulo Generali ordinario, si praeceptum a Visitatore Generali fuerit impositum, vel in proximo Capitulo Provinciali ordinario, si impositum fuerit a Visitatore Provinciali, post publicationem actuum eorumdem Capitulorum, quamvis res praecepta usque ad aliam Visitationem ut simplex mandatum vim habeat, nisi aliter Praeposito Generali vel Provinciali expedire videbitur» (n. 645).

«Prior toti Conventui praeceptum imponere sine Discretorum consensu non poterit» (n. 585).

170.—Q. *An Religiosus noster teneatur subire poenam impositam, si recursum habeat ad Superiores Majores?*

R. *Affirmative*, ut patet ex nostris Constitutionibus, n. 662, his verbis: «Si qua poena, usque ad gravem inclusive, imposita fuerit, non retardetur ejusdem executio, quamvis illi quibus imponitur recursum fecerint ad Superiores Majores, et si subditus in contumacia perseveraverit, nolens poenam impositam subire, augeatur poena pro qualitate contumaciae vel contemptus aliarumque circumstantiarum. Insuper poena reum ubique terrarum tenet, etiam resoluto jure Superioris, nisi aliud expresse caveatur, aut ejus successor aliter provideat».

171.—Q. *An Religiosus noster teneatur obedire suis immediatis Superioribus in casu, quo aliquam habeat licentiam a Superioribus Majoribus in contrarium?*

R. Haec habent Constitutiones nostrae: «Religiosi nostri suis Praelatis immediatis in omnibus obediant, neque ulla ratione ab obedientia praestanda excusentur; quod si quis facere noluerit praetextu alicujus licentiae habitae a Superiore, nisi illam

habeat in scriptis, Superiorique manifestet, nulla ei fides adhibeatur; quod totum intelligendum est respective de Priore respectu Suppriorum» (n. 451).

172. – Q. *An et quomodo Praelati inferiores debeant obedire Praelatis suis Superioribus?*

R. Haec habent Constitutiones nostrae: «Animadvertant autem diligenter Praelati Superiores propter bonum pacis, ne inferiorum Praelatorum officiis se ingerant: nam, etsi Superioribus ea, quae inferiorum sunt, ministeria subjacere non dubitamus, simili tamen potestate eos uti non oportet, nisi ob inferiorum defectum, sive alias cum prudentiae ratio, vel bonum regimen in casu aliquo particulari id postulaverit. Caveant tamen inferiores omnes tam subditi, quam Praelati Superioribus, quocumque modo aliquid praecipientibus, contentiose aut irreverenter se opponere; sed tamen si opus fuerit, maxime in re gravi, de hoc cum omni reverentia et humilitate eis suas rationes exponant, statim vero teneantur Superiorum mandata, nulla interposita mora, exequi. Poterunt tamen, negotio id exigente, Superioribus factum denuntiare, ut ipsi de remedio provideant. Si quis vero inferiorum Praelatorum in hoc deliquisse videatur, graviter pro culpae modo puniatur» (n. 451).

«Omnibus Religiosis nostris, tam Praelatis quam Subditis, prohibemus, ne quis divisionem Ordinis nostri, vel separationem ab Ordine alicujus Provinciae vel Conventus quoquo pacto praetendat aut procuret» (Const. n. 485).

Itaque Praelati inferiores debent obedire suis Superioribus. Si tamen legis alicujus vel mandati executioni, propter peculiares loci circumstantias, graves alicubi obstent difficultates, possunt imo et debent inferiores ad suos Superiores recurrere, et interea temporis obligatio legis suspenditur ex benigna interpretatione voluntatis Superioris. Hanc etiam praxim in Ordine nostro sequi possumus ut innuitur in Instr. Prioris. «Efficiet autem, ut Suppriori et sibi Officiales prompte obtemperent; nec minus ipse obsequenter suis Praelatis obtemperabit, nihil aut faciens, aut fieri sinens contra eorum mandata. *Si quod vero inconveniens timeri* posse videatur ex his, quae Superiores praeceperint, re perhumiliter indicata, quod ii postmodum jusserint, indiscusse penitus exequatur, prout etiam Constitutiones decernunt» (n. 18).

173. – Q. *Quomodo Religiosi nostri observare teneantur obedientiam Superiori promissam?*

R. 1.° Juxta Regulam nostram: «Illud in primis statuimus, ut unum ex vobis habeatis Priorem, cui obedientiam promittat quilibet aliorum et promissam *studeat operis veritate* servare. Cellula Prioris sit juxta introitum loci, ut venientibus ad

eumdem locum primus occurrat, *et de arbitrio et dispositione ipsius postmodum quae agenda sunt cuncta procedant.* Nullus Fratrum sibi aliquid proprium esse dicat; sed sint *vobis omnia communia, et distribuantur unicuique per manum Prioris, vel per Fratrem ab eodem ad idem officium deputatum prout cuique opus erit.* Fratres, Priorem vestrum honorate humiliter, Christum potius cogitantes, quam ipsum, qui posuit ipsum super capita vestra, et Ecclesiarum Praepositis ait: qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit, ut non veniatis in judicium de contemptu, sed de obedientia mereamini vitae aeternae mercedem».

174. Cfr. dicenda n. 468.

175. — Q. *Quaenam poenae infligantur obedientiae transgressoribus?*

R. 1.º Poena gravis imponetur ei, qui obedientiam Superiori praestare expresse renuerit, aut contra ejusdem personam, vel mandata publice arroganter se gesserit. (Const. n. 669).

2.º Poena gravior inferetur ei qui in Ordine praecepto formali, sibi vel omnibus imposito, non obedierit. (Const. n. 675).

3.º Si quis (quod Deus avertat) graviter et externe contra aliquod professionis suae votum deliquerit cum scandalo saecularium, vel etiam Fratrum tantum, poena gravissima punietur, nempe: voce, si ea gaudeat, per annum, vel etiam ad longius tempus privetur, semel per singulas hebdomadas in pane et aqua jejunet; quod si non se emendaverit, procedatur ad illius dimissionem, servatis de juris servandis. (Const. n. 681).

CAPUT III

DE VOTO CASTITATIS

Praesens caput in duos dividitur articulos, quorum primus erit de virtute castitatis et virginitatis; secundus, de voto castitatis.

ARTICULUS I

DE VIRTUTE CASTITATIS ET VIRGINITATIS

176. — Q. *Quid sit castitas et quotuplex?*

R. Est virtus, quae affectum usumque venereorum excludit, vel debite moderatur. Est triplex: *conjugalis*, quae proponit abstinere a delectationibus illicitis, et utitur moderate licitis in matrimonio; vidualis, quae post usum matrimonii, quo virginitas corporalis ablata est, proponit abstinere in posterum

ab omnibus actibus venereis; *virginalis,* quae ab omnibus actibus venereis voluntarie abstinuit et proponit ab eis abstinere in perpetuum; et hoc dicitur *virtus virginitatis.*

177. – Q. *An virginitas sit vera virtus a castitate distincta et quomodo amittatur?*

R. Ad 1.um. Affirmant communiter auctores. Ubi enim specialis materia est, boni specialem habens excellentiam, ibi invenitur specialis virtutis ratio. Atqui se perpetuo immunem conservare ab experimento venereae delectationis, specialem habet boni rationem.

R. Ad 2.um. Virtus virginitatis secundum suum formale conceptum, non amittitur in anima, quamvis integritas corporis per copulam violentam, aut alium actuum involuntarium tollatur, neque aureola virginitatis ob id subtrahetur in caelo.

1.º Amittitur *irreparabiliter* per copulam voluntariam, et etiam per voluntariam pollutionem, tam in feminis quam in viris, cum haec ceterorum actuum libidinosorum sit finis et complementum.

2.º Amittitur autem *reparabiliter,* tum per voluntatem nubendi, tum per quodvis peccatum mortale non consummatum contra castitatem: cum in his casibus permaneat incorruptio carnis, per reassumptionem propositi ac poenitentiam, virtus virginitatis recuperatur.

Utrum vero per tactus impudicos voluntarios, habitos absque claustri virginalis violatione, aut absque seminis resolutione, virtus virginitatis, praesertim in puberibus amittatur tantum reparabiliter, an etiam irreparabiliter, non conveniunt auctores. Videtur dicendum per dictos tactus virtutem virginitatis non amitti irreparabiliter, quia non tollitur corporis integritas; nisi tactus taliter sint libidinosi, ut per se et natura sua procurarent claustri virginalis violationem, aut pollutionem. (Cfr. Dens de Relig., n. 176).

ARTICULUS II

DE VOTO CASTITATIS

178. – Q. *Quid sit votum castitatis?*

R. Est promissio a Religioso facta Deo de abstinentia perpetua ab omni delectatione venerea non tantum illicita, sed etiam licita, quae haberi posset in usu matrimonii.

Duo itaque complectitur ejus objectum, nempe: ea quae de jure naturali et divino jam prohibita sunt; et ea quae in legitimo matrimonio licite fieri possent. Haec igitur est voti castitatis efficacia, ut quod alioquin licitum esse posset, Religioso illicitum fiat: ea vero quae omnibus sunt prohibita,

ipse evitare debeat ex duplici obligatione, castitatis scilicet et Religionis.

Peccata luxuriae etiam mere interna voto castitatis adversantur. Ratio est, quia Religiosus promittit simpliciter Deo, se abstensurum ab omni delectatione venerea absque ulla distinctione. Et quamvis votum castitatis non respiciat nisi renuntiationem voluptati corporali, delectatio tamen interna per illud votum prohibetur; quia respectum habet ad corpus et in corpore terminatur. Praeterea ex eo etiam constat quod semper et ubique illud votum eo in sensu communiter intellectum fuerit et adhuc intelligatur. Non sunt itaque audiendi quidam auctores, qui censent votum castitatis solis peccatis externis luxuriae violari, quia, aiunt, Religiosus Deo dicat tantum corpus, cujus voluptatibus renuntiat per votum castitatis.

179.—Q. *Quotuplex sit votum castitatis?*

R. Est duplex, scilicet *simplex* et *solemne*. Votum *simplex* castitatis impedimentum matrimonii impediens tantum constituit. (c. 1058). Unde si Religiosus, non obstante hoc voto, contraheret matrimonium, unum dumtaxat peccatum, nempe contra Religionem, in petitione debiti conjugalis committeret. Votum autem solemne constituit impedimentum matrimonium dirimens. (c. 1073). Si vero hujusmodi Religiosus attentaret matrimonium, in usu conjugii duplex committeret peccatum, unum scilicet contra Religionem, alterum vero contra castitatem.

Utrum autem peccata contra votum solemne commissa specie differant ab eis, quae contra votum simplex castitatis committuntur, inter auctores disputatur. Omnes quidem docent in violatione voti, sive simplicis, sive solemnis, semper committi duplex peccatum, unum scilicet contra castitatem, alterum vero contra Religionem; sed in hoc non conveniunt, utrum peccatum contra Religionem sit sacrilegium proprie dictum, necne. Alii censent non committi sacrilegium proprie dictum, nisi in violatione voti solemnis castitatis. Ratio est, quia sacrilegium est violatio *personae sacrae*; porro solummodo personae illae sacrae dicuntur, quae ad castitatem servandam publica auctoritate Deo consecrantur, sive in *receptione Ordinis sacri*, sive in admissione ad *statum religiosum* per vota solemnia. Alii autem docent sacrilegium etiam haberi in violatione voti simplicis castitatis. Quidquid sit, Religiosus qui violaverit votum castitatis, non tenetur in confessione exprimere utrum votum ipsius sit solemne an simplex. Imo, etiamsi sit Sacerdos, rigorose loquendo, non teneretur exprimere circumstantiam sacerdotii.

180.—Q. *Quaenam sit gravitas peccatorum contra votum castitatis commissorum?*

R. Haec regula generalis statuenda est: eadem prorsus est gravitas peccati contra votum castitatis ac contra virtutem castitatis, scilicet peccatum est mortale aut veniale contra Religionem, prout est mortale aut veniale contra castitatem. Parvitas autem materiae *ratione objecti* admittenda non est in peccatis luxuriae *directe* quaesitae aut admissae; dari tamen potest *ratione subjecti* ex imperfectione nimirum actus, vel etiam quando delectatio est tantum *indirecte* volita.

181.—Q. *An et quaenam sit differentia inter virtutem et votum castitatis?*

R. 1.º *Ratione objecti,* nulla datur differentia, cum votum tam late pateat, quam ipsa virtus.

2.º Virtus castitatis praeter obligationes, quas imponit, mera quoque consilia ad majorem perfectionem ducentia suadet; dum votum solam materiam obligationis afficit.

182.—Q. *Quaenam praecautiones praescribantur a Legibus nostris in custodiam castitatis?*

R. Hae quae sequuntur: «Beatissimae Virginis filios singulari decet castitate nitere: quae, licet in corde sedem habeat, externam sensuum custodiam quoque requirit.

Quamobrem Fratres nostri et motus internos, et sensus externos, oculos praesertim, ita moderentur, ut nihil non castum patiantur aut praeseferant.

Familiaritatem mulierum, etiam pudicarum vitent, cumque Dei oculis omnia nuda, et aperta sint, eas allocuturi, ita modeste se gerant, ac si in Ecclesia ipsa cum populi frequentia versarentur.

Ut autem ab omni specie mali hujus abstineant, praecipimus, ut foras prodeuntes, bini, ac individui, quantum fieri poterit, procedant. Curent itidem Superiores, ut accurate observentur quae sive circa egressum subditorum e claustro, sive circa excipiendos vel adeundos extraneos, in propriis locis praescriptae sunt.

Cum vero mulieres foris alloquuntur, ostium loci ita pateat, ut facile videre possint.

Si quis autem (quod Deus avertat) quidpiam parum castum commiserit, si occultum sit et spes emendationis adsit, statim socius illum secreto corripiat.

Si tamen facta correptione, videat se non profuisse, aut ante factam, re prudenter expensa, non credat se profuturum, revelet culpam alicui, quem profuturum existimet; quo deficiente, revelet Superiori pio ac prudenti, cujus consilia efficaciora sunt.

Si tamen saepe, aut semel tantum labentem, sed uno lapsu bono Religionis nomini nocentem videt; Superiori tamquam Patri, aut pro qualitate culpae, Superiori quasi judici deferat, ut subditi lapsi salutem quaerat et bonum Religionis nomen sublatum restituat» (Const. n. 10-17).

In Instructionibus autem variis in locis nobis instanter commendatur, ut nimia familiaritas cum mulieribus, etiam pudicis sedulo ac prudenter vitetur. Ita dicitur in Instr. a) Confessarii: (n. 5). «Confitentes citra necessitatem, haud prolixius remoretur, nec peculiariter moram trahat *cum mulieribus*, maxime quae Sacramentum frequentant; b) Procuratoris: (n. 13). Saecularium, et cum primis *mulierum familiaritatem*, quae rerum facile temporaliuin quotidiano usu, commercioque contrahitur, indesinenter devitet; c) Sacristae: (n. 34): Erit in Ecclesia modestiae custos pertinax, et exactor; *mulieresque* percusso cymbalo aliquid exposcentes caute audiat, brevissimeque dimittat. d) Janitoris: (n. 7). Antequam fores aperiat, per ostiolum modeste dispiciat, *et mulieres ostio clauso cito dimittat*. e) Quaestoris (n. 2). Multiloquium, praesertim *cum mulieribus* caveat; et n. 14): Neque cum saecularibus, *maxime mulieribus*, moram trahant.

183.—Q. *Quaedam poenae statutae sunt contra religiosos violantes votum castitatis?*

R. «Clerici religiosi in sacris ordinibus constituti, si sunt concubinarii, monitione inutiliter praemissa, cogantur ab illicito contubernio recedere et scandalum reparare suspensione a divinis» (can. 2359, § 1).

«Si delictum admiserint contra sextum decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum, vel adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium; incestum cum consanguineis aut affinibus in primo gradu exercuerint, suspendantur, infames declarentur, quolibet officio, beneficio, dignitate, munere, si quod habeant, priventur, et in casibus gravioribus deponantur» (ib. § 2).

«Si aliter contra sextum decalogi praeceptum deliquerint, congruis poenis secundum casus gravitatem coerceantur, non excepta officii vel beneficii privatione, maxime si curam animarum gerant» (ib. § 3)

Irregularitatem incurrunt omnes religiosi, etiam simpliciter professi temporarii, qui matrimonium etiam civile attentaverunt et illi, qui cum muliere religiosa etiam simpliciter professa hujusmodi matrimonium attentaverunt (can. 985, 3.°).

Regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter re-

servatam. Quod si sint professi votorum simplicium perpetuorum tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis, omnes, ut supra excommunicatio tenet latae sententiae Ordinario reservata (can. 2388).

Poena gravior imponetur ei qui aliquod ex votis externe violaverit, postquam fuerit convictus aut confessus. (Const. n. 675).

Poena gravissima, ut supra, n. 175 de obedientia, 3.º.

Poena privationis officii. Privetur... officio quicumque Superior qui delictum contra aliquod ex votis suae religiosae professionis palam commisserit... pariterque amovendus est ab officio, qui de aliquo delicto contra vota sua religiosa sit vehementer suspectus. (Constit. n. 691).

CAPUT IV

DE VOTO PAUPERTATIS

Hoc caput in tres dividitur articulos, quorum primus erit de voto paupertatis in communi; secundus, de voto paupertatis quoad Religiosos votorum sollemnium; tertius, de voto paupertatis a Religiosis Ordinis nostri servando, seu de administratione bonorum in Ordine nostro.

ARTICULUS I

DE VOTO PAUPERTATIS IN COMMUNI

184.—Q. *Quid sit paupertas quatenus est virtus?*

R. Est virtus moralis inclinans hominem ad resecandum omnem appetitum immoderatum bonorum temporalium, id est, immoderatum amorem, curam et sollicitudinem ea acquirendi, conservandi et augendi. Haec autem virtus non consistit in abdicatione bonorum temporalium, sed in extirpatione concupiscentiae seu cupiditatis, qua divitiae terrenae inordinate appetuntur.

185.—Q. *In quo consistat votum paupertatis?*

R. Votum paupertatis consistit in quadam abdicatione dominii, sive radicalis, sive tantum utilis, in bona temporalia.

Haec autem abdicatio quadruplici modo fieri potest, scilicet: primo, abdicatur solummodo usus rerum superfluarum; secundo, usus liber et independens rerum temporalium; tertio, harum rerum dominium; quarto denique, ipsius dominii capacitas.

Ad essentiam vero voti paupertatis in statu religioso proprie dicto, non sufficit primus modus, qui potius ad virtutem paupertatis pertinet; sed requiritur et sufficit secundus mo-

dus, ut constat ex praxi Ecclesiae in approbandis variis Institutis religiosis.

In omni autem voto, sive solemni, sive simplici, essentiale est, ut *liberum* et *independentem* bonorum auferat usum; nec potest proinde vovens absque Superioris consensu ulla re uti, vel de ulla re, etsi ad proprium usum sibi concessa, disponere.

186.—Q. *Quomodo inter se differant votum et virtus paupertatis?*

R. Differunt multiplici modo, videlicet: 1.º Virtus extenditur ad omnia, quae lege divina prohibita sunt in *materia avaritiae*; votum autem solummodo extenditur ad ea, quae ratione religiosae paupertatis promissa sunt.

2.º Omnis transgressio *virtutis*, non est violatio voti; e contra omnis violatio voti est simul transgressio virtutis.

3.º Virtus extenditur non solum ad ea, quae sunt obligatoria; sed etiam ad ea, quae pertinent ad *consilium* et *perfectionem*; e contra votum restringitur ad ea, quae cadunt sub praecepto.

4.º Objectum immediatum et directum virtutis est affectus ad bona temporalia moderari, ea ex affectu contemnere, et iis tantum uti ad necessitatem, non vero ad delicias fruendas. Votum autem respicit renuntiationem effectivam bonis temporalibus. Ex quibus patet objectum virtutis latius patere, quam objectum voti paupertatis.

187.—Q. *Quaenam sit materia voti paupertatis?*

R. 1.º *Materia remota*, sunt omnia bona externa temporalia, tum immobilia, tum mobilia, pretio seu pecunia aestimabilia; non autem caetera jura, v. gr. ad honorem et ad bonam famam. Honor enim et fama non sunt in eo, qui honoratur et laudatur, sed in aliis; et eatenus ille posset his juribus renuntiare, si agatur de honore et fama virtuti debita, quatenus virtuti renuntiaret, quae in ejus est potestate: id vero non competit Religioso. Honori vero, qui exhibetur excellentiae mundanae, abrenuntiant Religiosi ex hoc ipso, quod saecularem vitam derelinquant. Unde ad hoc non requiritur speciale votum. (Cfr. S. Th., 2, 2, q. 186, a. 7 ad 4).

2.º *Materia proxima* sunt usus et actus proprietarii circa hujusmodi bona temporalia. Itaque Religiosus agit contra votum pautertatis, quoties se gerit circa illa bona animo veri proprietarii, vel quoslibet actus exercet, qui dispositionem proprio marte factam continent.

Votum tamen non laeditur actibus internis, nisi cum actum externum pro objecto habeant, qui ex se voto paupertatis pro-

hibeatur. Sic voluntas et desiderium committendi quod sit contra votum paupertatis, hoc voto prohibentur.

Affectus ad res temporales, quamdiu manet voluntas efficax servandi votum, laedit tantum virtutem paupertatis. Si quis vero tantam foveat voluntariam affectionem ad res temporales, ut graves contra votum ac vocationem tentationes sibi excitet, utique *indirecte contra votum* jam delinquit.

Affectio *conditionata* ad actus, qui voto paupertatis interdicti sunt, ex se nondum est mala, sed videndum est, qualis sit affectio et motivum; unde hujusmodi affectus boni aut mali esse possunt, ut v. g. bona est affectio ejusmodi conditionatum desiderium habendi, unde quis possit pauperi angustiis presso subvenire. Neque omnes isti affectus conditione, *si liceret*, statim periculosi sunt, ut re ipsa sunt de iis rebus, quae ex natura sua praesens secum ferunt periculum. Cfr. Lehm. I, n. 529).

188.—Q. *An Reliquiae sint materia voti paupertatis?*

R. Negative, ratio est, quia non sunt pretio aestimabiles, etsi magni sint valoris, provenientis ex re spirituali. Attamen non possunt asservari in thecis pretiosis; nam eo in casu essent objectum voti paupertatis.

Quae vero dicta sunt de Reliquiis, applicari non debent nec possunt medaliis, imaginibus, crucibus, rosariis et aliis similibus, quae absque Praelati licentia accipi, emi, retineri et distribui nequeunt: quia haec omnia sunt pretio aestimabilia. Nota tamen quod licentia res hujusmodi accipiendi quandoque praesumi potest, et licentia ad eas accipiendas concessa, saepius tacitus censetur consensus ad eas distribuendas, dummodo distributio fiat cum discretione et prudentia, inspectis adjunctis personarum et circumstantiarum.

189.—Q. *An manuscripta sint materia voti paupertatis?*

R. Veteres auctores satis communiter docebant manuscripta non cadere sub voto paupertatis. Etiam S. Alphonsus, l. 5, n. 14, hanc sententiam probabiliorem tenet. Verum S. Congr. de Rel. 11 julii 1913, ad quaestionem: «An religiosi tum votorum sollemnium tum votorum simplicium, qui aliquod manuscriptum durantibus votis exaraverunt, ejusdem dominium habeant, ita ut illud donare aut quocumque titulo alienare valeant? R. Negative. (Acta A. S., V. 366).

Quam quidem responsionem Pius X ratam habuit et confirmavit die 13 julii 1913. Ratio hujus responsionis potest esse, quia ista manuscripta sunt res, quae habent valorem materialem; quidquid vero valoris materialis acquirit religiosus professus, non cadit sub ejus libero dominio.

Non obstante responsione S. Congregationis modo citata,

videtur, ait P. Prümmer, M. J. C. q. 223, adhuc probabilis sententia Passerini docentis: Religiosum habere dominium propriorum manuscriptorum ad suum usum, non autem ad eorundem *alienationem*, proindeque posse libere secum asportare sua manuscripta, si mittitur ab una in aliam domum, vel si elevetur ad episcopatum. Ratio hujus est, quia manuscripta sunt quasi effectus scientiae, quam quis multo labore acquisivit, et quia sunt optima adminicula memoriae, a qua scientia dependet magna ex parte. Porro homo quilibet habet jus naturale conservandi suam scientiam, eaque omnia, quae conducunt ad hoc, neque per votum paupertatis spoliatur hoc jure. Hinc e. gr. religiosus professus secum asportans sermones a seipso confectos et manuscripta minime videtur laedere votum paupertatis. Religiosus professus, qui morti proximus sua scripta, quae ipse satis erudita putat, comburit aut destruit, ne post mortem sui honorificam relinquat memoriam, male agit et objective peccat. Insuper satis ingratum se gerit erga propriam matrem religionem, quae illum aluit et enutrivit in studiis.

190.—Q. *An sculptura vel pictura a Religioso facta, sit materia voti paupertatis?*

R. Controvertitur, et a variis varie distinguitur: 1.º Si Religiosus pro seipso eam fecerit, aut ipsum monasterium telam et colores praebuerit, ea certo pertinet ad monasterium.

2.º Si vero tela et colores ab extraneo tradita fuerint, ea conditione, ut pictura ad ipsum pertineat; tunc pertinebit ad extraneum saltem in casu, quo Religiosus pictor sit Chorista. Si autem esset Conversus, pictura, juxta sententiam communiorem, pertineret ad monasterium. Ratio est, quia omnia opera Conversi monasterio debentur, cum ad ea facienda in Religione admissus fuerit. Excipitur tamen casus, in quo pro extraneo laboraret illis tantum horis, quibus non tenetur monasterio labores impendere. Quo in casu jure merito aequiparari posset Choristis.

Hanc autem distinctionem inter Choristas et Conversos rejiciunt plures auctores, quia Conversus opera sua monasterio impendere non debet *ratione voti paupertatis*, aut *ex stricta justitia commutativa*, sed tantum *ratione voti obedientiae*. Unde si opera sua alteri praestet contra praeceptum obedientiae, peccat quidem contra obedientiam, non vero contra votum paupertatis.

Quidquid sit de illa controversia, Religiosus, qui hujusmodi opera praestaret contra praeceptum Superioris, peccaret leviter vel graviter contra obedientiam secundum quod Superior censetur plus minusve invitus.

191.—Q. *Quid intelligatur per peculium?*

R. Per peculium intelligitur quidquid ex bonis stabilibus, vel mobilibus, puta ex livellis seu annuis censibus, eleemosynis, concionibus, stipendiis Missarum Religioso conceditur.

Peculium dicitur juris *perfecti*, si Religioso daretur facultas de eo libere et independenter a voluntate Superioris disponendi tanquam de re sibi propria. De peculio autem hujusmodi hic non agitur, cum illud aperte repugnet voto paupertatis.

Peculium dicitur juris *imperfecti*, quum solummodo Religioso conceditur ad usum a voluntate Superioris dependentem, ad cujus arbitrium restringi, revocari et omnino auferri potest. De tali peculio hic agitur (1).

192.—Q. *Quaenam a jure statuta sint quoad usum peculii?*

R. Ante Concilium Tridentinum usus peculii de licentia Superioris non fuit, ut videtur, de jure communi prohibitus. Refertur quidem aliqua prohibitio hujusmodi, his verbis: (c. 2, de Statu Monach.) «Monachi non pretio recipiantur in monasterio, nec *peculium permittantur habere*». Sed hoc est intelligendum de peculio, cujus acceptio et usus sit independens a voluntate Praelati, cum statim addaur: «Qui vero peculium habuerit, nisi ab Abbate ei fuerit pro injuncta administratione *permissum*, a communione removeatur altaris».

Sed a Concilio Tridentino statutum est (Sess. 25, c. 2, de Regul.) ut «Nemini Regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria aut etiam nomine Conventus possidere vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum ,vel usum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum manasteriorum, seu conventuum ad solos Officiales eorumdem, ad nutum Superiorum amovibiles, pertineat. Mobilium vero usum ita Superiores permittant, ut eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat; nihilque superflui in ea sit, nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur».

193. Illud Decretum Tridentinum tres continet partes, videlicet: 1.º Interdicit, ne professi teneant vel possideant bona immobilia aut mobilia cujuscumque qualitatis sint, et etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine conventus; sed injungit, ut statim ea Superiori tradan-

(1) Peculio Codex minime favet, sed vitam communem saepius et rigurose urget, ut infra n. 195 dicetur.

tur et Communitati incorporentur. Quae est antiqua regula, ut nemo proprietarius reputetur, sed universa proprietas ad monasterium pertineat, eique incorporetur.

2.º Distinguit deinde inter bona *stabilia* et *mobilia*: et de bonis stabilibus praecipit non licere Superiori ea concedere alicui Regulari, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem aut commendam; sed quod administratio bonorum monasteriorum ad solos Officiales eorumdem, ad nutum Superiorum amovibiles, pertineat.

Haec est limitatio antiquae regulae, quae Superioribus permittebat concedere Religiosis administrationem quoque rerum immobilium ad monasterium spectantium.

3.º Superioribus autem permittitur, ut mobilium rerum usum ita professis permittere valeant, quatenus eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat.

194.—Q. *An licitum sit Superioribus usum peculii introducere in Monasteria, ubi viget vita communis?*

R. Negative, et si hoc agerent a gravi peccato excusari non possent, non quidem ob voti *laesionem*, sed ob voti et Regulae *relaxationem*, cui hac concessione procul dubio locum dabunt. Ex usu enim peculii illud primum consequitur, quod inter Religiosos alii minus, alii plus habent. Inde facile nascuntur, invidia, aemulationes, inordinatus ad temporalia affectus, et alia similia vitia, quibus disciplina regularis collabitur, quemadmodum in confesso est apud omnes, et plus nimium experientia demonstrat. Ordines proinde in quibus peculium admittitur, a primo fervore descivisse dicendi sunt.

Eo in sensu scite observat S. Alphonsus: «In praxi, omnes Praelati tanquam certum sibi persuadeant, quod si usum peculii in monasteriis de novo introducant, vix nomen paupertatis ibi supererit, et ex hoc innumera mala Communitati quoad observantiam supervenient» (l. 5, n. 15).

195.—Q. *Quaenam statuta sint ad vitam communem in monasteriis introducendam et conservandam?*

Praenotandum est duplicem distingui posse vitam communem: alia enim est *perfecte* communis; alia vero minus rigorosa. Vita perfecte communis in eo consistit, quod bona quaecumque omnino sint communia, et impendantur ad usum Communitatis, adeo ut omnes victum, vestitum, aliaque necessaria a conventu in communi recipiant, Superiores nihil, quod sit necessarium religiosis denegent, et Religiosi nihil quod sit superfluum exigant.

Vita autem communis minus rigorosa, est ea, in qua quidem omnia essentialia voti paupertatis servantur, deflectit tamen a vita perfecte communi, ex eo quod admittat usum peculii, vel quid aliud ratione voti paupertatis minus perfectum.

R. Codex J. C. sequentia statuit hac super re: «In quavis religione vita communis accurate ab omnibus servetur etiam in iis, quae ad victum, ad vestitum, et ad suppellectilem pertinent» (can. 594, § 1): et alibi: «Religiosi legem vitae communis constitutionibus praescriptae in re notabili violantes graviter moneantur et, emendatione non secuta, puniantur etiam privatione vocis activae et passivae, et, si Superiores sint, etiam officii» (can. 2389).

«In studiorum domo vigeat perfecta vita communis, secus studentes ad ordines promoveri nequeunt» (can. 587, § 2).

Cfr. Decretum Ven. Capituli N. Generalis, 10 julii 1889. Appendice III, ad calcem hujus operis.

196.—Q. *Cuinam acquirat Religiosus, beneficium paroeciale habens, fructus hujus beneficii?*

R. Ad normam can. 630, § 3, «bona quae ipsi obveniunt intuitu paroeciae cui praeficitur, ipsi paroeciae acquirit; cetera acquirit ad instar aliorum religiosorum»: nempe Monasterio ob notum effatum: «Quidquid monachus acquirit, monasterio acquirit.»

«Non obstante voto paupertatis eidem licet eleemosynas in bonum paroecianorum, vel pro scholis catholicis aut locis piis paroeciae conjunctis, quovis modo oblatas accipere aut colligere et acceptas sive collectas administrare, itemque, servata offerentium voluntate, pro prudenti suo arbitrio, erogare, salva semper vigilantia sui Superioris; sed eleemosynas pro ecclesia paroeciali aedificanda, conservanda, instauranda, exornanda accipere, apud se retinere, colligere aut administrare pertinet ad Superiores, si ecclesia sit communitatis religiosae; secus ad loci Ordinarium» (ib. § 4).

Insuper ex praescripto can. 533, § 1, n. 4.º, pro pecuniae collocatione, praevium consensum Ordinarii loci obtinere tenetur: «Religiosus quilibet, etsi Ordinis regularis alumnus, si pecunia data sit paroeciae vel missioni, aut religiosis intuitu paroeciae vel missionis: «quod valet pro parochis religiosis ratione legatorum, in favorem ecclesiae paroecialis factorum: ita Com. Pont. 25 jul. 1926. A. A. S. 18, 393.

197.—Q. *Quotuplici modo peccare possit Religiosus contra votum paupertatis?*

R. Multiplici modo, videlicet: 1.º Si rem aliquam absque licentia debita Superioris accipiat, retineat, absumat, licet sint comestibilia tantum; 2.º si rem aliquam donet, alienet, di-

stribuat, vel si ex iis, quae ipsi ad usum proprium permissa sunt, aut ex aliis monasterii rebus, mutuo aut commendato det alteri; 3.º si rem monasterii sine licentia Superioris, sibi usurpet, aut ea aliter utatur quam ad usus a Superiore ipsi concessos; si aliquid abscondat, aut liberae Superioris dispositioni subducat; 4.º si res ipsi ad usum concessas, per culpam aut negligentiam *latam*, quae dolo aequiparatur, amittat vel destruat; 5.º si procurator, vel alius ad hoc deputatus, quidquam expendat contra statuta vel consuetudinem Ordinis, vel contra voluntatem Superioris; 6.º si iter agens divertat ad alia loca extra viam rectam, ad res curiosas invisendas. Item dicendum si absque licentia Superioris, saltem rationabiliter praesumpta, quidquam emat etiam in favorem Communitatis.

198.—Q. *An peccet contra votum paupertatis Religiosus, qui absque Superioris licentia acceptat ab extraneo pecuniam in pauperes vel in usus pios impendendam?*

R. Ut huic quaestioni recte respondeatur, tres faciendae sunt hypotheses, nempe: 1.º Si pecuniam accipiat *nomine proprio*, et postea eam distribuat pauperibus, vel impendat in usus pios: eo in casu certe peccat contra votum paupertatis, et quidem duplici modo: accipiendo scilicet hanc pecuniam, eamque postea impendendo; quia in utroque casu exercet actum proprietarium.

2.º Si pecuniam accipiat non pro seipso, sed ut *nomine donatoris* eam impendat ad usum a donatore determinatum et taxatum: tunc, ut communiter dicunt auctores, non peccat Religiosus contra votum paupertatis, quia nullum exercet actum proprietarium; sed peccare potest contra obedientiam, imo plerumque aget contra obedientiam.

3.º Si vero pecuniam accipiat, ut nomine dantis, eam impendat in pauperes pro libitu eligendos, vel in usus pios pro arbitrio suo determinandos et taxandos: utrum eo in casu Religiosus peccet contra votum paupertatis, inter auctores disputatur. Prima sententia affirmat, quia *sola administratio* pecuniae *independenter* a suo Superiore adversatur voto paupertatis; quod tamen applicandum non videtur juxta plerosque auctores hujus sententiae, casui quo Religioso datur pecunia iis pauperibus distribuenda, quos ipse magis indigentes existimaverit.

Secunda autem sententia negat, quia tunc Religiosus nullum exercet actum proprietarium. Et re quidem vera, in hac dispensatione pecuniae, quatuor haec tantum inveniuntur, nempe: a) *acceptio pecuniae*; b) *facultas eligendi pauperes*; c) *ipsorum electio*; d) *distributio pecuniae inter illos*. Atqui nihil horum est exercitium actus proprietarii, ac proinde non est pec-

catum contra votum paupertatis. Et verum *acceptio pecuniae* non est peccatum contra votum paupertatis, quia illam accipit non pro seipso, sed pro pauperibus; neque facultas eligendi pauperes; quae nihil aliud est quam jus nominandi paueres; neque *ipsa electio pauperum,* quia si jus eligendi non adversatur voto paupertatis, nec ipsa electio, siquidem est exercitium illius juris; neque demum *ipsa pecuniae in pauperes distributio actualis* quia Religiosus eam non distribuit *nomine proprio,* sed nomine donatoris. Itaque non quaecumque possesio et administratio pecuniae adversantur voto paupertatis, sed solummodo quando sunt quid juris, seu quando nomine proprio Religiosus eam possidet ac administrat. (Cfr. Ball., p. IV-76).

Haec dicta sint inspecto solummodo paupertatis voto; nam quaenam licita ac permissa sint, ratione obedientiae suis Superioribus debitae, discat Religiosus a legibus sui Ordinis. Cum talis praxis generatim nullo modo conducat ad profectum observantiae regularis; e contra saepius sit ipsi nociva, Religiosus zelo regularis observantiae incensus, magnopere abhorreat ab ab hujusmodi praxi, et curam providendi necessitatibus pauperum relinquat suis Superioribus. Constitutiones nostrae, n. 25, id prohibent absque expressa Superioris Majoris venia.

199.—Q. *An Religiosus retinens apud se notabilem pecuniae quantitatem inscio suo Superiore, peccet contra votum paupertatis?*

R. *Negative*, modo eam non expendat absque licentia Superioris, quia retentio illa reputatur merum depositum, cujus dominium pertinet ad depositorem, et absque usu illius pecuniae non exercetur actus proprietarius; sed peccare potest contra obedientiam. Item dicendum de deposito, modo absque ulla obligatione ex parte depositarii custodiatur. Absque licencentia Superioris Majoris id etiam prohibent nostrae Constitutiones n. 25.

200.—Q. *An Religiosus, qui usum alicujus rei a suo immediato Superiore obtinuit, peccare posset contra votum paupertatis, eam Majori Praelato vel Visitatori occultando?*

R. *Affirmative*, et quidem graviter, si materia sit gravis, modo tamen rem occultet, ne auferatur; secus, si eam occultet prae verecundia, et paratus sit eam Superiori reclamanti tradere.

Pari modo peccare etiam posset Religiosus, qui librum magni momenti e communi bibliotheca auferret et per notabile tempus occultaret, aliis id graviter ferentibus. Non autem peccaret, qui rem de licentia Provincialis retinens, occultaret Priori, ne forte ipse id aegre ferat, ab eoque eam auferendam curet.

201.—Q. *An Religiosus possit expendere in usus pios ea, quae parcius vivendo ex itinere sibi reservavit?*

R. Negative *per se loquendo*. Ratio est, quia nullum ipsi jus conceditur in res, quarum usus ipsi permittitur, sed solummodo *usus facti*.

Dicitur *per se loquendo*, nam secus esset dicendum, si hujusmodi viaticum datum fuerit taxatum pro quolibet die, adeo ut non teneatur rationem reddere de expensis; tunc enim praesumi posset consensus Superioris.

In omni tamen hypothesi praesumi potest consensus Superioris, ut aliquid esculenti vel poculenti pauperibus tribuatur. (Cfr. S. Alph., l. 5, n. 23).

202.—Q. *An Religiosus habens licentiam expendendi pecuniam ad usus honestos, possit eam ludo exponere?*

R. Affirmative *per se*, dummodo ludus sit honestus et non indecens Religiosum; hic enim pertinet ad honestam recreationem, quae ponitur inter actus virtutis.

Dicitur: *per se*; nam in aliquibus Ordinibus reformatis non censeretur honesta recreatio *pecuniam ludo exponere*; quia est contra morem et observantiam horum Ordinum.

203.—Q. *An peccet contra votum paupertatis Religiosus, qui ea recusat, quae sibi ab extraneo offeruntur in favorem monasterii?*

R. 1.º Negative, si agatur de meris donationibus, ad quas monasterium jus non habet. Ratio est, quia votum paupertatis non obligat ad recipienda ea, quae nondum acquisivit, seu ad quae jus strictum neque ipse, neque monasterium habet. Attamen si nullam habeat rationem recusandi, peccat contra caritatem impediendo bonum suo monasterio.

2.º Secus, si agatur de rebus jam acquisitis v. g. de legatis, de mercede Religiosi laboribus debita, vel de donis jam acceptatis. Ratio est, quia horum jus monasterium immediate acquirit juxta axioma: *Quidquid Monachus acquirit, non sibi sed Monasterio acquirit.*

Hactenus locuti sumus de actibus, qui fiunt contra votum paupertatis, quia ad eos ponendos nulla habetur licentia Superioris; nunc inquirendum est de requisitis ad debitam licentiam.

204.—Q. *Qualis licentia Superioris requiratur ad licitum usum rerum?*

R. Haec licentia debet esse: 1.º *Spontanea*, seu voluntaria, i. e. neque metu, neque dolo aut fraude extorta. 2.º *Justa*, tum ex parte concedentis, talis scilicet qualem Superior concedere potest, tum ex parte petentis, ut nimirum causa allegata revera existat et sit sufficiens. 3.º Expressa, si haberi possit, vel saltem *tacita* in sequentibus casibus, nempe: a) quando id, de cujus licentia agitur, in expresso est contentum, aut cum eo connexum, vel ipsi accessorium; b) quando id consuetudine legitima concessum est; c) quando Religiosus utitur re temporali, videnter et non contradicente Superiore, qui facile contradicere possit.

205.—Q. *An sufficiat licentia praesumpta?*

R. Distinguendum est: 1.º Certum est eam sufficere, cum res commode differri et Superior adiri nequit; quia tunc approbatio Superioris *rationabiliter* praesumitur, tam quoad substantiam quam quoad modum. Eo tamen casu postmodum, sublato impedimento, si res accepta consumpta non sit, tenetur subditus referre Superiori propter retentionem; si vero sit consumpta, expedit saltem, ut Superior expresse ratum habeat, atque dijudicet num quid minus recte fuerit actum; et sic melius noscatur in futurum voluntas Superioris pro similibus occasionibus.

2.º Usus licentiae praesumptae, quando subditus credit Superiorem esse invitum *quoad substantiam*, est peccatum proprietatis contra votum: quia tunc Religiosus propria auctoritate operatur, cum revera nulla adsit licentia.

3.º Usus licentiae praesumptae, quando subditus prudenter judicat Superiorem esse solum invitum *quoad modum*, est tantum peccatum veniale contra regularem disciplinam; quia tunc Superior non reprobat actum, sed solum rationem agendi; subditus vero non operatur propria auctoritate, sed cum dependentia a voluntate Superioris: quod sufficit ad vitandum peccatum proprietatis.

Superior autem est invitus *quoad substantiam*, quando ipsa actio illi displicet, adeo ut, si rogatus fuisset, licentiam negasset. Est tantum invitus *quoad modum*, quando approbat actionem, et solum aegre fert modum agendi seu aversionem, quam habet subditus, a petenda licentia.

Si tamen Religiosus suum Superiorem adire non auderet ob nimiam timiditatem, possetque praesumere eum non esse absolute invitum, neque illum modum ei displicere, tunc forsan non peccaret, nequidem venialiter. At hujusmodi casus nonnisi raro contingere possunt.

206.—Q. *An licentia debita, sed injuste a Superiore negata, excusaret a transgressione voti paupertatis?*

R. Negative, nisi periculum *gravis damni* esset in mora; quo in casu praesumitur adesse consensus Superioris Majoris; et si iste etiam licentiam negaret, posset tunc prudenter judicari votum in tanto discrimine non obligare.

Circa praedicta notandum superest: 1.º licentiae non sunt facile praesumendae, nisi habeatur certitudo quaedam moralis; imo non suffragatur licentia praesumpta in rebus magni momenti, cum praxis hujusmodi vergeret in grave detrimentum disciplinae regularis.

2.º Non omnia, quae a Praelatis non prohibentur, ab ipsis tacite approbantur; cum saepe, ob timorem gravioris mali, cogantur tolerare plura, quae ipsis displicent.

3.º In his, quae ad votum paupertatis spectant, habenda est ratio disciplinae uniuscujusque Ordinis: quod enim in uno permittitur, in alio reprobatur.

4.º Quando Praelatus dat uni licentiam dandi, quamvis in rigore juris requiratur etiam in recipiente licentia accipiendi, reapse tamen eam quoque subdito suo dare censetur.

5.º Licentia ab uno Superiore concessa perseverat sub ejus successore, nisi ab hoc expresse vel tacite fuerit revocata; quia gratia non exspirat mortuo vel amoto concedente. (Cfr. Aertn, l. 5, n. 17).

207. Q. *Quaenam materia censenda sit gravis in violatione voti paupertatis?*

R. In peccatis, quae sunt simul contra Religionem et contra justitiam, generatim loquendo ea habenda est ut gravis materia, quae peccatum mortale in furto constituit. (Cfr. S. Alph., l. 4, n. 24).

Quidam tamen auctores dicunt, eam tantum materiam gravem esse, quae censetur gravis in furtis filiorum-familias, nempe materiam circiter duplo majorem ac in furtis adversus extraneos; nam licet dispar sit conditio Religiosi ac filii, in illo tamen aliquid simile inest, quod bona monasterii in subditorum bonum possideantur, non vero in Superioris commodum.

Haec autem sententia posset forsan in praxi admitti, si eo in casu ageretur solummodo de peccato *contra justitiam*; sed hic etiam ac praesertim quidem agitur de observantia disciplinae regularis servanda; ac proinde Praelatus regularis in hoc est magis invitus quam paterfamilias. Praeterea filii jus habent ad haereditatem paternam, et sunt dominii capaces; sub quo respectu etiam Religiosi aequiparari nequeunt filiis familias.

Ceterum, ut judicetur de gravitate materiae in hujusmodi furtis, advertendum est, monasteria mediocriter opulenta communiter dominis privatis sat opulentis aequiparari. Hinc eadem ac pro illis mensura generatim materiam gravem constituit. Si autem sint valde opulenta, major quantitas requiritur. Major etiam requirenda est, si Religiosus res monasterii in usum proprium usurpet, vel aliis ejusdem Communitatis donet, quam si in extraneos easdem erogaret, quia tum ea domi remanent. Major etiam in furtis minutis, quae insuper interposito notabili intervallo in gravem materiam non coalescunt.

Religio, ait P. Prümmer, M. J. C., q. 225, utpote persona moralis, in hoc casu posset considerari tamquam dives, ideoque ea materia est gravis, quae, si ablata est homini diviti, constituit grave peccatum, sc. juxta praesentem valorem pecuniae, valor 30-40 francorum. Si igitur religiosus tradit ex bonis religionis extraneo sine debita licentia e. gr. 100 francos, duplex peccatum grave committit, sc. contra votum paupertatis et contra justitiam et insuper ad restitutionem tenetur, in quantum hoc est possibile. Ceterum cum sit ita incertum, quaenam accurate sit materia gravis in his transgressionibus, nemo est condemnandus peccati mortalis, nisi omnino certo constet. Grandem namque influxum exercent consuetudines diversarum religionum: quod enim in una permittitur, in alia reprobatur.

2.° In peccatis autem contra solam Religionem, seu contra solum votum commissis, crescit difficultas, et major est auctorum dissensus. Communius tamen haec sumitur regula generalis; ea quantitas, quae, ex se et seclusis peculiaribus circumnstantiis, sufficit in furto ad constituendum peccatum mortale contra justitiam, sufficit etiam ad constituendum peccatum contra Religionem, seu contra votum. Sicut enim in furto res usurpatur invito domino, ita in peccato proprietatis res usurpatur invito Superiore, cui, per votum paupertatis, omnem rerum temporalium usum et administrationem Religiosus subjecit. Ratio autem cur ad peculiares circumstantias non sit attendendum, est, quia peccatum proprietatis inducitur non ratione damni illati, sed *ratione actus dominii*, qui idem est, sive res sit pauperis, sive divitis, monasterii vel extranei, etc. Plures assignant summam decem francorum uti materiam gravem, quae sententia certe non est ut rigorosa habenda.

Quo imperfectior est actus dominii, eo major quantitas pro gravi materia requiritur. Hac de re docent auctores, valorem majorem requiri ad graviter peccandum, quando dona accipiuntur ab extraneis in alios eroganda; quia tunc multo minor est proprietatis actus quam si haec in proprium usum retinerentur. Imo plures eo in casu ad graviter peccandum requirunt sexaginta argenteos, seu valorem circiter triginta francorum (Cfr. S. Alph. l. 5, n. 24).

Haec autem opinio, ut jure merito animadvertit Gury-P., (I, n. 1116) multum difficultatis prae se ferre videtur. Nam vel intelligitur de pecuniis a Religioso accipiendis et erogandis *nomine proprio*; et sic, cum duplex ponatur actus proprietatis, voto paupertatis contrarius, laxius merito videbitur ad gravitatem culpae exigere sexaginta argenteos. Vel intelligitur de pecuniis acceptis et erogandis *nomine alieno*; et sic licebit existimare nullam intervenire culpam contra votum paupertatis, etsi de majori summa agatur, ut superius n. 198 dictum est.

Quoad res mutuo seu commodato acceptas vel traditas sine Praelati licentia, generatim loquendo Religiosus non peccabit graviter contra votum paupertatis, modo sit certus de iis recuperandis, nec grave damnum propterea inferat Communitati, quae idcirco v. gr. careat usu rei graviter hic et nunc necessariae. Multo minus graviter peccabit, si res ad usum sibi concessas mutuet seu commodet aliis Religiosis ejusdem monasterii.

208.—Q. *A quonam, cui et quantum sit restituendo, in casu, quo Religiosus, absque debita licentia, aliquid extraneo tribuat?*

R. 1.º Extraneus, qui *bona fide* acceperit, tenetur monasterio restituere cujus res erat, id quod apud se adhuc retinet in se, vel in aequivalenti, seu in quo factus est ditior. Si vero *mala fide* acceperit, debet restituere quidquid accepit, etsi jam consumpserit.

2.º Extraneo autem non restituente, ipse Religiosus, qui dedit, tenebitur monasterio restituere omnia damna, quae illud passum est. Quo in casu debet quidem damna illa resarcire convertendo in utilitatem monasterii tantumdem ex iis bonis, de quibus ipse licite posset ad alios usus disponere; vel subtrahendo sibi de cibo vel potu, aut recusando alias expensas, quas licite posset e bonis monasterii facere. Aliquando autem ipse non tenebitur restituere, quando nimirum id, quod donavit, erat ex iis, quae ipse in alios usus convertere poterat, nec ideo monasterium damnum aliquod sentit. Quinimo, cum Praelatus possit Religioso suo condonare, justa interveniente causa, restitutionem faciendam, illa condonatio poterit quandoque in praxi praesumi, ita ut Religiosus non teneatur restituere.

209.—Q. *An peccata levia in laesione voti paupertatis coalescere possint in unum peccatum grave?*

R. 1.º *In ratione sacrilegii*, negative, quia sub hoc respetu nulla datur connexio inter haec peccata levia.

2.º *In ratione injustitiae*, affirmative, sicut in aliis furtulis. Sed tunc major quantitas certe requiritur ad constituendum peccatum mortale. Advertunt autem auctores, quoad esculenta et poculenta, quae modica quidem singulis vicibus Religiosus surri-

piat in commodum proprium, leves transgressiones in his multo rarius pervenire posse ad peccatum mortale.

210. — Q. *Quid praescriptum sit circa debita contracta a religiosis?*

R. Prae oculis habendum quod personae morales religiosae sunt capaces proprietatis, et ideo ipsae debent quoque satisfacere debitis et obligationibus contractis. Non ergo ille, Superior major vel alius, qui dedit licentiam ad debitum contrahendum, sed ipsa domus religiosa, quae debitum contraxit, illud solvere debet (can. 536, § 1). Si tamen, ex jure particulari alicujus religionis, sola religio tota est capax proprietatis, huic juri particulari standum est.

«Si contraxerit regularis cum licentia Superiorum, respondedere debet persona moralis, cujus Superior licentiam dedit; si religiosus votorum simplicium, ipse respondere debet, nisi de Superioris licentia negotium religionis gesserit» (ib., § 2).

«Si contraxerit religiosus sine ulla Superioris licentia, ipsemet respondere debet, non autem religio vel provincia vel domus» (ib., § 3).

«Firmum tamen semper esto, contra eum, in cujus rem aliquid ex inito contractum versum est, semper posse actionem institui» (ib. § 4).

«Caveant Superiores religiosi ne debita contrahenda permittant, nisi certo constet ex consuetis reditibus posse debiti foenus solvi et intra tempus non nimis longum per legitimam *amortizationem* reddi summam capitalem» (ib. § 5).

211. — Q. *An Religiosis licitum sit munera largiri?*

R. «Largitiones ex bonis domus, provinciae, religionis non permittuntur, nisi ratione eleemosynae vel alia justa de causa, de venia Superioris et ad normam constitutionum» (can. 537).

Poenae vero latae sententiae de jure communi inflictae religiosis donantibus illicite munera abrogatae sunt.

A Constitutionibus Pontificiis non imminuitur aut prohibetur laudabilis et apostolica sacrisque canonibus commendata, hospitalitas, praesertim erga pauperes et peregrinos. Nec illicita sunt convivia in excipiendis praesertim benefactoribus vel Ordinariis honorifice et laute, modo decentiae status regularis non adversentur; nec etiam prohibentur leviora esculenta et poculenta.

212. — Q. *Quid requiritur ut Religiosi bona immobilia vel mobilia pretiosa alienare possint?*

R. Ad bona immobilia et mobilia pretiosa alienanda requiritur Beneplacitum Apostolicum.

Alienationis vocabulum latissime hic sumitur pro quovis

contractu quo vel dominium transfertur vel aliquod jus reale ab Ecclesia vel Monasterio decedit, vel onus reale rebus imponitur, v. gr. donatio, venditio, permutatio, cessio juris quaesiti, feudum, emphyteusis, pignus, hypotheca, locatio ultra novennium, mutuum, servitus, et quilibet contractus his similis. Sed alienatio debet esse perfecta, quae in aliquibus Codicibus non censetur talis nisi post rei traditionem; in aliis vero solo contrahentium consensu perficitur.

Inter diversa bona quae Codex J. C., can. 1497, enumerat, alia sunt *temporalia* vel *corporalia,* quae sunt objecta sensuum tactus, visus, etc., ut ecclesia, pecunia, ager, etc.; alia sunt *incorporalia,* quae in aliquo jure, ut usus, servitus, consistunt; alia sunt *immobilia,* quae natura sua de loco in locum transferri non possunt, ut domus, etc.; alia sunt *mobilia* quae transferri possunt, salva eorum substantia, ut libri, etc.; alia sunt *sacra,* quae consecratione vel benedictione ad divinum cultum destinata sunt; alia sunt *pretiosa,* quibus notabilis valor sit, artis vel historiae vel materiae causa.

213. *Bona ecclesiastica* dicuntur: 1.º quae sunt in patrimonio alicujus ecclesiae vel monasterii; 2.º beneficia ecclesiastica et Capellaniae, etiam mere laicales; 3.º demum bona quorumvis locorum piorum, dummodo auctoritate ecclesiastica haec sint erecta. Nec refert, quod Status hunc characterem iisdem bonis non agnoscat, ut fit in plerisque regionibus pro bonis Communitatum religiosarum; characterem enim illum habent ab auctoritate plane independenti Ecclesiae.

Non omnia bona ecclesiastica prohibentur sine Beneplacito Apostolico alienari, sed sola sequentia, videlicet: 1.º *Bona* vel res, quae valore excedunt summam 30.000 franc. Nihil refert, utrum ista bona sint immobilia aut mobilia. 2.º *Res pretiosae* ad normam can. 1497, § 2, ut vasa sacra aurea vel argentea, ornamenta, quae antiquitate vel artificio praestant, vestes pretiosae, pictura famosa, etc.. Rebus pretiosis aequiparantur *insignes reliquiae* aut *imagines pretiosae,* et aliae reliquiae aut imagines quae in aliqua ecclesia magna populi veneratione honorantur, quae nequeunt valide alienari neque in aliam ecclesiam perpetuo transferri sine Apostolicae Sedis permissa (can. 1281, § 1). Idem dicendum de *donariis votivis* ex auro vel argento vel gemmis, quibus fideles altaria vel sacras imagines exornare solent, quae ut amoveantur et in alios usus convertantur, S. Sedis licentia praecedere debet. S. C. Concilii 12 jul. 1919 (Acta A. S. XI, 416), et iterum 14 jan. 1922 (A. A. S. XIV, 160). Pro S. Sedis licentia adeunda est S. C. Conc. ad normam can. 250, § 2; religiosi autem ad S. C. de Relig. recurrant (can. 251, § 1). Ad S. Congr. de Prop. Fide, in terris missionum, pro alienandis bonis ad missionem spectantibus (can. 252, § 5).

214. 3.º *Si agitur de locatione,* cujus valor excedit 30.000 francorum et cujus duratio est ultra novennium, requiritur beneplacitum apostolicum; si locatio non sit ultra novennium, servari debet praescriptum canonis 1532, § 3; hoc in casu sufficit loci Ordinarii licentia, dummodo accesserit consensus tum Capituli cathedralis, tum Consilii administrationis, tum eorum quorum interest. In rebus minimi momenti, cujus pretium 225 francos non superat, Episcopus a consensu vel consilio aliorum non dependet (can. 1532, § 2).

Ad normam can. 1539, § 2: «Administratores possunt *titulos* ad latorem, quos vocant, commuare in alios titulos magis vel saltem aeque tutos ac frugiferos, exclusa qualibet commercii vel negotiationis specie, ac de consensu Ordinarii, dioecesani Consilii administrationis aliorumque quorum intersit». Pro religiosis «requiritur et sufficit licentia, in scriptis data, Superioris ad normam constitutionum cum consensu sui Capituli seu Consilii per secreta suffragia manifestato, si agitur de bonis ecclesiasticis alienandis, quae neque habent valorem 30.000 franc., neque sunt pretiosa neque sunt debita vel obligationes 30.000 franc., neque sunt locatio valoris, 30.000 franc., vel si locatio est ad tempus novennio minus; sed si agatur de monialibus aut sororibus juris dioecesani, accedat necesse est consensus, in scriptis praestitus, Ordinarii loci, necnon Superioris regularis, si monialium monasterium eidem subjectum sit» (can. 534, § 1).

«In precibus pro obtinendo consensu ad contrahenda debita vel obligationes, exprimi debent alia debita vel obligationes, quibus ipsa persona moralis, religio vel provincia vel domus, ad eum diem gravatur; secus obtenta venia invalida est». (ib., § 2).

215.—Q. *An sine beneplacito Apostolico fieri possint alienationes inter monasteria ejusdem Ordinis?*

R. Negative, quia leges de bonorum alienatione nullam exceptionem admittunt, ita ut obligent etiam in casu, quo alienationes inter monasteria ejusdem Ordinis fieri debeant; ideo probabilius praedictae alienationes comprehenduntur censura de qua infra n. 218. Contrarium tamen tenent Noldin, *De poenis*, n. 100; Génicot, n. 612.

216.—Q. *An pro repudiatione legati requirantur illae juris solemnitates?*

R. Alii affirmant, quia hujusmodi repudiatio mera non est in acquirendo negligentia; sed est vera juris jam quaesiti et pretio aestimabilis abdicatio.

Alii vero docent valere repudiationem factam absque juris

solemnitatibus, etiam rei immobilis, quamvis *illicita* sit; et dicunt in repudiatione legati ecclesiae facti, non intervenire veram alienationem, quia legatum ante acceptationem nondum fuit ecclesiae; et aliud esse alienare, quod *suum* est, aliud, vero non acquirere, quod est *alienum*; verum cum ex hereditate vel legato revera enascatur Ecclesiae jus quaesitum, videtur quod pro repudiatione legati requirantur eaedem juris sollemnitates ac pro alienatione.

217.—Q. *Quaenam sollemnitates servandae sint in alienatione bonorum ecclesiasticorum?*

R. «Salvo praescripto can. 1281, § 1 ad alienandas res ecclesiasticas immobiles aut mobiles, quae servando servari possunt, requiritur:

1.º Aestimatio rei a probis peritis scripto facta;

2.º Justa causa, idest urgens necessitas, vel evidens utilitas Ecclesiae, vel pietas;

3.º Licentia legitimi Superioris, sine qua alienatio invalida est» (can. 1530, § 1).

«Res alienari minore pretio non debet quam quod in aestimatione indicatur» (can. 1531, § 1).

«Alienatio fiat per publicam licitationem aut saltem nota reddatur, nisi aliud circumstantiae suadeant; et res ei concedatur qui, omnibus perpensis, plus obtulerit» (ib. § 2).

«Pecunia ex alienatione percepta caute, tuto et utiliter in commodum Ecclesiae collocetur» (ib. § 3). Si vero pecunia sit necessaria pro extraordinaria refectione domus paroecialis, vel ad comparandam sacram supellectilem, etc., in hoc impendi potest juxta responsum Card. Gasparri ad Episcopum Aurien-sem, 17 febr. 1920.

218.—Q. *Quas poenas incurrant alienantes illegitime bona ecclesiastica?*

«Omnes quovis modo reos (in illegitima alienatione bonorum ecclesiasticorum pretiosorum) sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo manet excommunicatio latae sententiae nemini reservata» (can. 2347, n. 3.º) Aliae vero sunt sequentes ex jure communi: 1.º Nullitas actus et obligatio gravis (etiam per censuram urgenda) restituendi bona illegitime acquisita ac reparandi damna forte illata. Haec poena fertur in ipsos alienantes et recipientes atque in eos, qui illegitime consensum praebuerunt, e. gr. in consiliarios (can. 2347).

Praedicta excommunicatio attingit:

1.º Dantes bona ecclesiastica:

2.º Recipientes eadem bona:

3.º Consensum praebentes in alienationem (ib. n. 3.º). Ab hac excommunicatione excusat quaelibet imputabilitatis immi-

nutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis: ob verba can. 2347, n. 3.º *scienter.*

4.º Privatio officii proprii et habilitatis ad cetera officia. Hac poena (aliisque ex jure particulari infligendis) puniuntur Superior vel aeconomus religiosus (ib. n. 2.º).

5.º Solutio dupli valoris rei alienatae, qua poena plectuntur Ordinarius loci aliique clerici, qui officium, beneficium, dignitatem, munus in Ecclesia obtinent. Quod quidem duplum solvendum est in favorem Ecclesiae vel causae piae laesae (ib.);

6.º Suspensio ad tempus ab ordinario definiendum ceteris clericis inflicta (ib). Si agatur de re cujus pretium non excedit mille libellas, congruis poenis a legitimo Superiore ecclesiastico puniatur (can. 2347, n. 1.º).

ARTICULUS II

DE VOTO PAUPERTATIS QUOAD RELIGIOSOS VOTORUM SOLLEMNIUM

219.—Q. ***Quid importet votum paupertatis sollemne?***

R. De jure communi ex dispositione Concilii Trid., et Codicis J. C. importat abdicationem omnis dominii, proprietatis, ususque, independenter a Superioris voluntate, cujuslibet rei temporalis pretio aestimabilis. Religiosus ille ergo est omnino inhabilis ad quemlibet actum proprietatis exercendum. In *communi* tamen, Regulares possunt possidere bona temporalia, exceptis domibus Fratrum S. Francisci Capuccinorum et eorum, qui Minores de Observantia vocantur. (Cfr. Sess. 25, c, 2·3 de Regul. et can. 579 et 581, § 1).

Ex iis quae jam diximus, clare intelligitur quaenam secundum Regulas ecclesiasticas, debeat esse observatio voti paupertatis a Religiosis votorum solemnium servanda. Sed aliquando occurrunt difficultates, quae impediunt, quominus hujumodi voti observantia in praxim deduci possit.

Difficultates illae praesertim proveniunt a plerisque gubernis civilibus, quae, dum Communitatibus Religiosorum denegant jura proprietatis et possessionis, haec eadem jura concedunt Religiosis individuis; ac proinde religiosas personas respiciunt tamquam proprietatis capaces. Ut, contra dispositiones istorum guberniorum, Ecclesia tueretur jus possidendi *in communi* harum Religionum, et votum solemne Religiosorum, constituit, ut proprietates entium moralium inscriberentur in publicis tabulis, sub nomine duorum vel trium Religiosorum, qui realiter non sunt nisi *fiduciarii,* quique sibi substituerent, qui loco ipsorum, eveniente morte, succederent in eadem inscriptione. Hac autem agendi ratione, etsi cum gravibus expensis facta, hucusque tamen salva servatur haec possessio ab unguibus fisci. Insuper

Ecclesia debuit permittere, ut Religiosi vi voti solemnis incapaces proprietatis, aliquos tamen actus ponere possent coram gubernio civili, qui nonnisi a veris proprietariis poni valent; et proinde *civiliter* tamquam proprietarii apparerent; quos actus annuente S. Pontifice, salvis votis edere possunt, quod et Codex J. C., can. 581, § 1 confirmat.

Quinimo aliquando Ecclesia, pro certis regionibus, Religiosos votorum solemnium ad actus proprietarios ponendos omnimodo habilitandos existimavit, ne proprietatas monasteriorum caderet in manus gubernii. Hinc habetur unum genus dispositionum a Sede Apostolica statutum relate ad Religiosos votorum solemnium pro Religiosis in Belgio, et Hollandia. (Cfr. De Ang., III-167).

220. In canonibus 581 et 582, insinuatur esse indulta peculiaria S. Sedis quae capacitatem professis restituunt. Tale indultum a saeculo in usu esse in Belgio et in Hollandia, passim notum est. Vi talis indulti, sublata incapacitate, licet sollemniter professis, dependenter tamen a Superioribus suis, bona sua retinere, administrare, alia acquirere, et de iis disponere. Mens autem S. Sedis est ut usus talis indulti non sit generalis, sed a Superioribus ad casus extraordinarios restringatur, praesertim ad civiles difficultates in possesione bonorum praecavendas vel vitandas. Ita P. Vermeersch, Epit. J. C., 1. n. 587.

221.—Q. *Quaenam statuta sint pro Religiosis in Belgio degentibus?*

R. Haec quae sequuntur a S. Pontifice Leone XIII, die 31 Julii, 1878, statuta sunt:

Emus. ac Rmus. D. Cardinalis Victor Augustus Isidorus, Archipiscopus Mechliniensis, una cum suis suffragantibus a SSmo. D. N. expostularunt, ut ad removenda quaecumque dubia, explicare et declarare dignaretur utrum rescriptum diei 1 Dec. 1820, quo S. Poenitentiaria Auctoritate Apostolica concessit Regularibus Belgii utriusque sexus etiam solemniter professis, ut bona acquirere, retinere et administrare, deque iis disponere possent, non obstante solemni paupertatis voto, etiam nunc in integro robore permaneat.

SS. D. N. Leo divina Providentia Papa XIII, referente me infrascripto Secretario S. C. pro Negotiis Eccl. extraordinariis proposita, audita prius nonnullorum Em. Patrum sententia, respondendum esse mandavit: *affirmative*; ac praesentium tenore declarare dignatus est, quatenus opus sit, omnes singulosque Belgii Regulares utriusque sexus, etiam qui vota solemnia nuncuparunt, praedictos omnes actus valide et licite exercuisse et exercere, ac proinde potuisse et posse tuta conscientia etiam cum jurejurando asserere se voluisse ad normam legum civilium verum dominium bonorum a se possessorum acquirere una cum

jure de iis disponendi. Super quibus Sanctitas sua mandavit hoc edi Decretum, et in acta superius memoratae Congr. referri. Contrariis quibuscumque minime obfuturis. (Cfr. N. R. T., 10-610).

Vi hujus Decreti omnes Religiosi utriusque sexus, etiam votorum solemnium, possunt acquirere, non obstante voto solemni paupertatis, dominium bonorum temporalium, ea possidere, de iisque valide et licite disponere, dependenter tamen a suis Superioribus, et ad casus extraordinarios, ut cum Vermeersch, supra dictum est. Superior, juxta varios casus, potest esse vel Provincialis vel Prior aut Vicarius.

Ut sensus illius Decreti melius intelligatur, referri debet ad illud Decretum a S. Poenitentiaria die 1 Dec. 1820 emanatum, quod juxta responsum SS. D. N. Leonis Papa XIII, in suo vigore permanet, et quatenus opus est confirmatur. En tenorem illius Decreti: «S. Poenitentiaria intelligens velle omnino gubernium, (Regis Hollandiae) ut vetus illud Decretum 18 Februarii 1809 a Regularibus Belgii observaretur, quo proprietas, possessio et administratio bonorum, quae ad eos pervenerunt, singulis Religiosis vel Monialibus vindicetur, concedit de expressa auctoritate Apostolica Regularibus utriusque sexus jam solemniter professis, ut ea bona acquirere, retinere et administrare, deque iis in pios honestosque usus disponere possint, non obstante paupertatis voto, dummodo *cum debita a Superioribus legitimis dependentia hoc faciant*».

En tenorem Decreti 18 Febr. 1809. «Art. 9. Chaque hospitaliére conservera l'entiére propriété de ses biens et revenus, et le droit de l'administer et d'en disposer conformément au *Code* Napoleón».

Cum Superior qui licentiam dare debet, in specie non designetur, consulat unusquisque Constitutiones suas, aut consuetudines laudabiles in suo Instituto vigentes (1).

222. Illud Decretum extendit S. C. Ep. et R. die 23 Januarii 1880, ad omnes Ordinis Capuccinorum subditos, in Galliis commorantes. Praeterea, die 7 Maii 1883 eadem S. Congr. enunciatum Indultum ad omnes Ordinis Minorum Capulatorum Provincias extendit, iisdem dumtaxat adjunctis perdurantibus, ea tamen sub expressa lege et conditione, ut omnes Religiosi ad quamcumque dicti Ordinis Provinciam pertinentes, qui a Superioribus tamquam veri proprietarii immobilium ad normam legum civilium deputati fuerint, in foro conscientiae se, *non nomine proprio,* sed tantum *nomine S. Sedis,* possidere sciant,

(1) Ex declaratione S. Congr. pro Relig., die 3 febr. 1921, pro monialibus sufficit *consensus Antistitae ad peragendum actus legales seu civiles;* pari ergo ratione sufficiens erit, pro religiosis, licentia proprii Superioris religiosi, etiam localis, salvis constitutionibus. Cfr. *Commentarium pro Religiosis,* vol. 5. pag. 376.

ita ut de immobilibus, quorum legalem et pure civilem proprietatem habent, minime disponere valeant, sub poenis contra Regulares votum solemne paupertatis violantes a Jure statutis».

ARTICULUS III

DE VOTO PAUPERTATIS A RELIGIOSIS ORDINIS NOSTRI SERVANDA, SEU DE ADMINISTRATIONE BONORUM IN ORDINE NOSTRO.

223.—Q. *Quaenam regulae servandae sint circa administrationem bonorum in Ordine nostro?*

R. Distinguendum est: Aliae servandae sunt a Superioribus localibus; aliae ab Officialibus qui dependent a Superioribus localibus; aliae a Superioribus Majoribus. Quibus omnibus aliae quaedam regulae generales adduntur.

224. *Regulae servandae a Superioribus localibus*:

Superiores Regularium non minus ac subditi professi obligantur voto paupertatis. Ideoque Prior non est dominus bonorum Communitatis ,sed tantum administrator, qui, juxta potestatem a lege sibi attributam, de illis disponere debet tamquam fidelis et prudens dispensator. Substituitur ergo loco totius Communitatis, ut ea faciat, expendat ac disponat, quae Communitas ipsa faceret, expenderet ac disponeret, si prudenter et fideliter se gereret. Superior localis ad immediatam bonorum Communitatis administrationem utitur Procuratore, cujus electio hoc pacto fiet secundum nostras Constitutiones: «In unoquoque Prioratu eligatur a Priore et Discretis Procurator Conventus, qui bona Communitatis administret. In Vicariatibus etiam et in Residentiis habeatur Religiosus, a Superiore et a Consiliariis aut Patribus antiquioribus constitutus ad bona Domus administranda; si tamen necessitas a Definitorio Provinciali approbanda id exigat, ipse Superior in his Domibus illud munus exercere poterit. Procuratores omnes sub Directione Superiorum suo munere fungentur, ad normam juris et Constitutionum» (n. 618).

Ad bona autem Communitatis licite, imo et multis in casibus, valide expendenda, duo omnino requiruntur, scilicet: *legitima potestas*, et *justa causa*; legitima potestas, ad normam juris et nostrarum Constitutionum residet vel penes Priorem solum, vel penes ipsum una cum Discretis, vel etiam simul cum Capitulo conventuali; quinimo quandoque insimul praeterea requiritur major potestas, juxta quantitatem et qualitatem expensarum faciendarum.

225. Praeter legitimam potestatem in Superiore locali ad expendenda bona Communitatis, requiritur *justa causa*. Porro justa causa aderit, quum bona Communitatis expenduntur juxta

statum et conditionem paupertatis, quam Religiosi profitentur, inspectis occurrentibus necessitatibus, sive ipsius Communitatis, sive singulorum ejus membrorum, et legibus hospitalitatis religiosae et caritatis erga pauperes, praesertim Religiosos. Attendatur etiam ad ea, quae supra n. 211 dicta sunt de largitione munerum. Itaque bona Communitatis ita expendantur, ut ipsa Communitas non sit rationabiliter invita.

226. Superiores propria bona suae Communitatis administrare debent ad normam juris et nostrarum Constitutionum, in quibus, n. 621, sequentia statuuntur: «Quare Superior localis, etsi ad ordinarios sumptus victus, vestitus, Bibliothecae, Sacristiae, ad sarta tectaque domus vel Ecclesiae servanda, et ad alia similia, qui quingentarum libellarum (libella subauditur aurea) quantitatem pro uno onere non excedunt, consensum Discretorum vel Consiliariorum petere non obligentur, dummodo non sit necesse debita contrahere; si tamen eam excedunt, eorum consensum exquirere debet».

Notandum est, quod in Conventibus, ubi non fit electio Discretorum, substituuntur a Constitutionibus nostris Consiliarii, qui officio Discretorum funguntur (n. 348 et 354).

In Eremo, aiunt nostrae Constitutiones, n. 332, Discretorum electio non fiat, sed Prior simul cum Suppriore et Procuratore singulis duobus mensibus computum de acceptis et expensis faciat; sitque communis arca, in qua libri de rebus et sumptibus Monasterii, ut in Constitutionibus decernitur, et etiam eleemosynae reponantur; cujus unam clavem habebit Prior, et alteram Supprior. Quod si aliquid occurrat ibi suffragiis decidendum, praesertim quoad expensas magni momenti, non a Patribus, sed a Provinciale ac domus Priore decidatur; pro victu tamen et vestitu Religiosorum Prior ordinarias expensas facere poterit.

227. — Q. *Quaenam veniant nomine expensarum ordinariarum?*

R. Nomine expensarum ordinariarum, juxta leges nostras, certe veniunt sumptus victus, vestitus, bibliothecae et sacristiae. Quibus addendae sunt expensae factae pro reparationibus conservatoriis domus, ut colligitur ex Const. n. 621.

228. — Q. *An refectio necessaria partis alicujus aedificii v. g. tecti, spectet ad sumptus ordinarios, an vero ad extraordinarios?*

R. Ven. Def. N. Gen. die 2 Dec. 1879, respondit, quod distinguendum sit inter expensas, quae parvae sunt et regulariter occurrunt pro necessaria reparatione alicujus partis domus vel ecclesiae etc. (haec enim bona administratio domus exigit) et

inter illas expensas, quae magnae sunt et raro eveniunt, ut v. gr. propter reintegrationem totius tecti conventus vel ecclesiae: primae ex communi praxi reputantur ordinariae, secundae vero extraordinariae.

229. — Q. *Quomodo intelligenda sint illa verba: pro uno onere?*

R. Solutio hujus quaestionis in Legibus nostris, nullibi, ni fallor, reperitur. Circumstantiae et adjuncta rerum et personarum sunt adeo diversa, ut moraliter sit impossibile regulas fixas et determinatas statuere. Maxime attendendum est ad justam causam, quam Prior habere debet in expendendis Communitatis bonis, et ad hoc, quod expensae non fiant in *fraudem regis*, ita ut expensae, quae pro uno eodemque negotio factae excederent potestatem Prioris, solverentur per partes, quarum singulae non excederent ejus potestatem.

Praeterea hac de re recurrere possumus et debemus ad doctrinam, ab auctoribus traditam de quantitate pecuniae, quam Praelatus Regularis expendere possit in usus pios et licitos. «Loquimur, aiunt Salm. (de Test. c. V, p. VII, n. 91) de donationibus liberalibus, nam de remuneratoriis postea dicemus. Corduba hac de re 12 ducata pro singulis annis assignat. Alii vero singulis annis ad 12 aut 15 aureos id extendunt. Pro ditissimis monasteriis Fagundez concedit ter in anno 20 aut 30 aureos. Azor per singulos menses 2 vel 3 aureos admittit. Sed melius est dicere quod quantitas, de qua agimus, nonnisi prudentis arbitrio definiri debet, attentis opibus monasterii, dignitate Praelati, vicibus occurrentibus, earumque numero, qualitate personarum, quibus donandum est, abundantia aut penuria regionis, Ordinis consuetudine. Provincialibus autem liberalior manus est concedenda, utpote qui habent digniorem praelaturam, et Generalibus adhuc extensior, ut patet ex Constitutionibus n. 624.

Praeter hoc possunt donationes remuneratorias facere; non solum possunt expendere in iis quantum satis est ad satisfaciendum obsequiis, sed aliquid ultra nimirum excessum in quarta parte. Hinc, si famulus pro certo salario inservit Monasterio cum fidelitate et obsequio, ultra salarium debitum potest ei a Praelato dari aliquid amplius.

Ex his sumatur regula practica pro expensis faciendis. Notet tamen Prior, quod, inspecta lege nostra, in qua multis in casibus coarctatur hac in re potestas Prioris, melius sit restringere limites suae potestatis quam eos extendere.

230. «Ad extraordinarios autem sumptus excedentes quinquaginta libellas, sed non excedentes mille, Superior localis consensum Discretorum vel Consiliariorum petere debet. Si hanc summam superent, sed non excedant quinque millia libellarum, requiritur consensus Capituli Conventualis; si hanc quoque su-

perent, sed non excedant decem millia ,sufficit consensus Capituli et licentia Provincialis; si vero et hanc superent quantitatem, requiritur licentia Definitorii Provincialis. Qui autem praescriptum modum in sumptibus faciendis excesserit, secundum culpae gravitatem punietur, usque ad suspensionem ab officio per annum (n. 622).

«Quantitas quam Praeses Residentiae expendere poterit sine aut cum consensu sui Consilii, si agatur de sumptibus ordinariis, eadem est ac ea, quam Prior expendere potest pro iisdem sumptibus in suo Conventu; si autem agatur de sumptibus extraordinariis, dimidia tantum erit ac ea Prioribus supra assignata» (Const. n. 623).

«Superior localis poterit de consensu Discretorum, aut eorum qui vices gerunt, pecuniam collocare, vel titulos, *ad latorem* quos vocant, commutare in alios titulos magis aut saltem aeque tutos ac frugiferos, exclusa qualibet commercii vel negotiationis specie; si tamen pecunia collocanda aut valor titulorum summam quinque millium libellarum excedat, consensus insuper Superioris Provincialis exquirendus est» (n. 628).

231. «Ne Fratres nostri pia opera contemnere videantur, quasi conscientia coacti, ratione hereditarii juris, legatorum, aut rerum testamento aut alio quovis modo nobis advenientium, possint litem movere de consensu Capituli Conventualis ac de licentia Definitorii Provincialis, et semper per saecularem procuratorem. Quod si gravis urgeat necessitas et periculum sit in mora, tunc sufficiat licentia Superioris Provincialis; in quo casu, si rei gravitas id exigat, Provincialis statim Definitorium convocet et in eo rem totam pertractet, ac juxta ipsius Definitorii decretum ulterius in lite procedatur, vel ab ea desistatur. Similiter, quando lis ab aliis movetur, jus Religionis, ut obligationi satisfaciant, Fratres nostri modeste poterunt defendere» (n. 634).

232. «Prior vineam, silvam, vel quid simile conserere aut evellere sine consensu Capituli Conventus et venia Provincialis non valeat, sub poena pro culpae modo imponenda; at vero ad res minoris momenti, sufficiat consensus Discretorum» (n. 609).

«Si Conventui alicui legata vel donata fuerint aliqua bona immobilia, reditusve aut annui census, Prior ac Discreti nequeant illa alienare sine consensu Superiorum respective, de quibus n. 625, pro casuum discrimine seu bonorum valore, et salva donatorum voluntate; quod si Conventus, cui ea bona obvenerunt, reditibus non indigeat ob alia bona, quae ei jam certo sufficiant, pretium ex alienatione redactum Superiores Majores inter Conventus Provinciae distribuent, aut uni ex eis tribuant, prout eis expedire videbitur, juxta privilegia Ordinis nostri» (n. 610).

«Prior, etsi Discreti consentiant, Conventus libros vendere vel alio quovis modo e Conventu alienare non possit; at si

nonnulli fuerint duplices aut inutiles, vendi poterunt, ita tamen ut, redacta ex eis pecunia, libri alii utiles emantur. Item, quoties liber aliquis omnino dandus esset, alius ematur» (n. 611).

«Nostrae Bibliothecae selectis libris Sacrae Scripturae, Sanctorum Patrum, Doctorum Scholasticorum, ac Philosophorum, Jurisprudentium ac Litterarum humanarum Magistrorum instruantur; et quidquid ad pietatem conferre potest ad Bibliothecas ornandas comparetur. Ab uno autem Conventu nullus liber Bibliothecae in alium deferatur, sub poena gravi latori inferenda; quam etiam ferat Prior in cujus Conventu defertur, nisi eum ad Conventum proprium ferri faciat; at Fratribus permitti poterit, ut Biblia Sacra et aliquos libros, ipsis ad usum jam concessos, secum ferant, quando ab uno Conventu ad alium migrant». (n. 612).

«Commodari poterunt a Priore libri nostri honestis personis, si necessitas urgeat, cautione praestita ne pereant; at ne commodentur sine consensu primi discreti aut inscio custode librorum, qui eorum curam gerit» (n. 613).

«Cetera Conventus bona, in communibus officinis asserventur; et si qua fuerit pecunia pro ordinariis expensis non necessaria, in arca communi servabitur, cujus clavem unam Prior, alias vero duas primus et secundus Discretus habebunt. Ex ea vero arca pecunia quaevis insumenda accipiatur coram aliquo ex Discretis, et numerata Procuratori tradatur, qui eam quomodo insumpserit eisdem Priori et Discretis singulis mensibus rationem reddet. Summam vero totius, peculiari libro expressam et a praedictis subscriptam, in praefata communi arca reponi volumus, sub poena gravi» (n. 614).

233.—Q. *Quale discrimen habeatur inter consensum petere et consilium petere?*

Quando agitur de sumptibus sive ordinariis sive extraordinariis, dicitur in Constitutionibus nostris, nn. 621 et 622, quod Superior localis consensum Discretorum vel Consiliariorum exquirere debet, quando ad sumptus ordinarios excedit summam quingentarum libellarum, et ad extraordinarios quinquaginta libellarum, et n. 608..., quoties Prior trium Discretorum consensum aut consilium... exquirere debet, eos convocet. Ideo quaeritur quale discrimen habeatur inter consensum petere et consilium petere.

R. Quando *consensus* Capituli ad actum aliquem ponendum requiritur, tunc ad validitatem actus major requiritur pars suffragiorum Capituli, et Capitulares tunc dicuntur habere votum *decisivum*; quando autem solummodo *consilium* Capituli petitur, tunc satis est ad valide agendum ut Superior eos legitime convocatos audiat, quin teneatur ad eorum votum, etsi concors, accedendi (can. 105, n. 1.º), et in hoc casu Capitulares

habere dicuntur votum *consultativum*. Ita etiam Constitutiones nostrae, n. 365.

234.—Q *Quaenam regulae servandae sint ab Officialibus, qui dependent a Superioribus localibus?*

R. Imprimis attendant ad illud Regulae nostrae: «Nullius Fratrum sibi aliquid proprium esse dicat: sed sint vobis omnia communia et distribuantur unicuique per manum Prioris, vel per Fratrem ab eodem ad idem officium deputatum, prout cuique opus erit, inspectis aetatibus et necessitatibus singulorum».

Praeterea ad illa verba Instructionum nostrarum: «rerum sibi comissarum noverint se administratores esse, non dominos; et ut veri paupertatis cultores, nihil aut in alienum usum distribuant, aut in suum assumant, nisi Superioris accepta licentia». (Instr. Off. in genere, n. 13, p. 101).

«Demum meminerit Procurator, se Prioris esse administrum, atque omnem officii sui rationem, executionemque pro illius moderetur arbitrio; ne secus faciens grave subeat exercendae proprietatis discrimen. (Instr. Procurat., n. 15).

Similia habentur praesertim in Instr. Proc. n. 4, 8, 9 et 14... Emptoris n. 2, 4, 5, 7 et 8. Ministri Vestiarii, n. 7, 9 et 10... Hortulani, n. 2 et 6.

Quibus consideratis licet inferre Officiales quoscumque in sui officii administratione omnimodam habere a voluntate Superioris localis dependentiam, et omnino teneri expendere bona Communitatis, quorum distributio ipsis committitur, juxta arbitrium et Superioris dispositionem.

335.—Q. *Quaenam regulae servandae sint a Superioribus Majoribus?*

R. In Constitutionibus nostris sequentia praescribuntur:

«Quamvis Superiores..., propria bona adminittrare et de eis disponere valeant, non tamen possunt id absolute, sed tantum ad normam juris et nostrarum Constitutionum» (n. 621).

Ad *Procuratorem Generalem* «pertinet gestionem habere de iis quae concernunt proprium officium, necnon de Missarum stipendiis, ac de bonis quibuslibet quorum administratio est penes Definitorium Generale, iis exceptis quae Domus Generalitiae sunt propria. De temporali autem gestione, sexto quoque mense eidem Definitorio Generali rationem reddat; at ratio Missarum in fine cujuslibet mensis reddenda est» (n. 476).

«Superior Provincialis sumptus triplo majores quam Prior facere poterit, et Praepositus Generalis quintuplo majores; pro expensis vero praenotatam mensuram excedentibus, uterque indiget consensu Definitorii vel Consilii respectivi. Superior autem Provincialis, ut in exercitio sui muneris sibi providere queat, stipendium saltem suae ipsius Missae retinere possit» (n. 624).

Provinciae singulae, sicut et Ordo capaces sunt acquirendi et possidendi bona temporalia... «Quapropter in unaquaque Provincia eligatur a Definitorio Provinciali Procurator Provinciae, qui esse non possit unus ex Definitoribus Provincialibus, nisi de consensu Definitorii Generalis; hic autem bona temporalia Provinciae administret» (n. 618).

236.—Q. *Quaenam alia a Constitutionibus nostris statuta sunt pro fideli administratione bonorum?*

R. «Non solum in alienatione proprie dicta rerum pretiosarum aliorumve bonorum immobilium aut mobilium, quae servando servari possunt et quorum reditibus Fratres sustentantur, sed etiam in quolibet contractu, quo conditio domus seu Provinciae pejor fieri possit, et quorum valor superet triginta millia libellarum, sicut etiam in contrahendis debitis et obligationibus ultra indicatam summam, contractus vi caret, nisi praecesserit beneplacitum Apostolicum; secus requiritur et sufficit consensus in scriptis datus respective ut sequitur: a Capitulo seu Consilio Communitatis in Vicariatibus et Residentiis, si summa excedat quinquaginta libellas et continetur intra quingentas, cum approbatione Superioris Provincialis; in Prioratibus vero, a Capitulo Conventuali, cum approbatione Superioris Provincialis, si summa excedit quinquaginta libellas et continetur intra mille; in quacumque Domo, a Definitorio vel Consilio Provinciali, si summa excedit mille libellas et continetur intra decem millia; denique a Definitorio Generali, si summa excedit decem millia libellarum et continetur intra triginta millia; expressis in quocumque casu, si agatur de alienanda re divisibili, partibus antea alienatis; et si agatur de contrahendis debitis vel obligationibus, expressis aliis debitis quibus ad eum diem Domus gravatur; secus consensus est invalidus. Caveant tamen Superiores Majores, ne debita contrahenda permittant, nisi certo constet ex consuetis reditibus posse debiti foenus solvi, et intra tempus non nimis longum per legitimam amortizationem reddi summam capitalem». (n. 625).

«Pro consensu obtinendo, de quo in numero praecedente, mitti debet a Superiore Domus actus Capitularis, subscriptus ab eodem Superiore et a Capituli Secretario cum sigillo domus, ad respectivum Definitorium vel Consilium; at si recurrendum sit ad Definitorium Generale, actus Capitularis sit insuper confirmatus et subscriptus a Superiore Provinciali cum sigillo sui officii» (n. 626).

«Largitiones ex bonis Domus, Provinciae, Ordinis non permittuntur, nisi ratione eleemosynae vel alia justa de causa et de venia Superioris. Praelati etiam donationes, praeterquam parvas

et modicas secundum legitimam loci consuetudinem, facere ne praesumant, nisi justa interveniente causa remunerationis aut pietatis aut christianae caritatis intra limites facultatum, quae ipsis competunt; secus donatio a successoribus revocari poterit» (n. 627).

«Conventus nostri omnes, pro Missis aliisve functionibus piis, annuos reditus, de consensu Superioris Majoris in scriptis dato, recipere possint; Superior autem consensum ne praebeat, antequam legitime compererit Conventum illum tum novo oneri suscipiendo, tum antiquis iam susceptis satisfacere posse; maximeque curet, ut reditus omnino respondeant oneribus adjunctis» (n. 631).

«Pecunia et bona mobilia, dotationis nomine assignata, statim in loco tuto ab eodem Superiore Majore designando deponantur, ad eum finem ut custodiantur; et quamprimum caute et utiliter, secundum prudens ejusdem arbitrium, auditis et iis quorum interest et illius Consilio, collocentur in commodum ejusdem fundationis, cum expressa et individua oneris mentione. Si autem fructus integre non percipiantur sine culpa ex parte nostra, pro rata solummodo Missas dicere teneamur, et ad nihilum, si nihil percipiatur; qua de re benefactores moneantur» (n. 632).

«Superiores omnes diligenter observent, et a suis subditis observari faciant, quae a Sacris Canonibus praescripta sunt de stipendiis Missarum earumdemque satisfactione, sive agatur de Missis fundatis sive de aliis; graviterque onerata maneat eorum conscientia, si in re tanti momenti contrafecerint. Stipendia autem Missarum in capsa propria asserventur, cujus una clavis sit apud Superiorem domus, altera vero apud Procuratorem Missarum a Superiore designatum» (n. 633).

237.—Q. *Ubinam pecunia Provinciae et Conventus servanda sit?*

R. «Pecunia et omnia documenta et instrumenta, quibus jura in bona temporalia nituntur, in arca communi tribus clavibus obserata reponantur. Arcae communis ad Provinciam pertinentis unam clavem habebit Provincialis, alteram Definitor Provincialis, si ibi degat, secus Superior localis, tertiam Procurator Provinciae. Arcae vero communis pertinentis ad Conventum Superior localis unam clavem habeat, ceteras teneant duo primi Discreti in Prioratibus, vel duo Consiliarii aut duo Patres antiquiores in Vicariatibus et Residentiis respective» (n. 619). «Si qua fuerit pecunia pro ordinariis expensis non necessaria, in arca communi servabitur, cujus clavem unam Prior, alias vero duas primus et secundus Discretus habebunt» (n. 614).

Procurator vero, «pecunias, quas exegerit numeratas, in arca trium clavium condat coram aliquo ex Discretis». (Instr. Pr. n. 5).

Quaestor elemosynarum «domum reversus, omnem pecuniam quaestando coactam, in arca trium clavium usque ad quadrantem reponat» (Instr. Quaest., n. 7).

«Religiosi nostri, cujuscumque conditionis sint, exceptis Procuratore aliisque officialibus ad ea quae propriis officiis sunt necessaria, nullo modo pecuniam apud se retineant, nec Praelati ad id veniam impertiantur; sed pecuniae ex arca trium clavium accipiantur et in usus Conventus per ministros expendantur» (Const. n. 26).

238.—Q. *Quid statuunt Constitutiones nostrae circa eleemosynas, legata, deposita et alia similia distribuenda vel retinenda a Fratribus nostris?*

R. «Prohibemus Religiosis nostris, sine expressa Superioris Majoris venia eleemosynam quamlibet, bona incerta, restitutiones, legata quaecumque et similia omnia, ut aliis quibuscumque certis vel incertis personis ea donent vel distribuant, petere, aut eadem sponte oblata sine ejusdem expressa licentia, aut praeter modum in tali distributione ab ipso Superiore praescribendum, distribuere, servata quoad modum distributionis donantium vel relinquentium voluntate; aut denique deposita quaecumque pecuniae, seu alterius rei, apud se, vel in conventu seu extra, nisi re prius manifestata Superiori Majori et ab ipso impetrata licentia, retinenda acceptare, sub poena gravi» (n. 25).

239.—Q. *Quinam secundum Constitutiones nostras possint habere capsam obseratam?*

R. «Praepositus autem, Definitores Generales, Procurator Generalis, Superiores Provinciales et locales, ad functionum suarum scripta, Procuratores seu Oeconomi ad communium expensarum nummos servandos, itemque alii, quibus ratione officii, Superiores Majores id concesserint, capsam obseratam habere possint. Alii vero Religiosi capsas obseratas habere prohibentur et sub nullo praetextu, etiam pio, pecuniam ullam, puta, ut eam restituant aut in eleemosynas distribuant, apud se retinere possint; sed eam in arca trium clavium asservandam deponant, vel Superiori provisorie servandam tradant, excluso quocumque privato peculio; res item alias sibi creditas in communibus officinis custodiendas deponant» (n. 24).

CAPUT V

DE VOTIS SPECIALIBUS IN ORDINE NOSTRO FACTIS

Cum triplex votum speciale in Ordine nostro emittatur, hoc caput complectitur tres articulos. In primo agetur de voto non ambiendi a Choristis facto; in secundo, de voto humilitatis a Conversis emisso; in tertio, de voto eundi ad Missiones facto a Seminaristis.

ARTICULUS I

DE VOTO NON AMBIENDI A FRATRIBUS CHORISTIS FACTO

240.—Q. *Sub qua forma emittatur illud votum?*

R. Sub hac forma: «Insuper promitto me nunquam directe vel indirecte, per me aut per alium, intra Ordinem, ullam praelationem aut officium per Constitutiones prohibitum praetensurum; et pariter extra Ordinem, neque directe neque indirecte, per me aut per alium, ullam praelationem praetensurum, vel oblatam acceptaturum, nisi adstringar praecepto ejus, qui de jure praecipere possit» (Vid. Const. n. 272).

241.—Q. *An illud votum solemne sit censendum?*

R. Affirmative et probatur: 1.º ex communi sensu Ordinis nostri. (Pelliz. I, 468). 2.º Ex Const. Greg. XIII, in qua votum PP. Societatis Jesu specialis obedientiae S. Pontifici circa missiones praestandae, esse votum solemne declaratur. Ergo et similia vota in aliis Religionibus. 3.º Praeterea etiam ex eo probatur quod fiat conjunctim cum professione trium votorum solemnium, et supra n. 9 vidimus unum votum non posse esse simplex, dum alia sunt solemnia.

242.—Q. *Ad quem finem emittatur illud votum?*

R. Emittitur ad ambitionem omnino ablegandam a Religione, spiritumque religiosae humilitatis in ea conservandum: unde et tale votum communiter vocatur votum humilitatis.

243.—Q. *Quaenam sit materia hujus voti?*

R. Materia est veluti duplex: prima est, non praetendere dignitates sive intra, sive extra Ordinem. Secunda autem, non acceptare ullam praelationem extra Ordinem, nisi interveniente praecepto ejus, qui possit id praecipere.

244.—Q. *Ad quaenam officia extendatur illud votum tam intra quam extra Ordinem?*

R. «Ad officia Praepositi Generalis et Definitoris ac Procuratoris Generalis, Superioris Provincialis, ejusque Definitoris vel

Consiliarii, Visitatoris, Prioris, Vicarii canonice electi, Socii et Procuratoris eorumque Substituti ad Capitulum Generale, et Socii ac Procuratoris ad Capitulum Provinciale. Praelatio vero quae extra Ordinem ambiri nequit, intelligitur praelatura sive honoris sive jurisdictionis ad normam Codicis (can. 110). Ipso autem ambiendi verbo, externi tantum actus ambitionis, ex deliberatione procedentes, comprehenduntur» (Constit. n. 273).

Praeterea «Rectoratus (Seminarii Missionum) habendus est tamquam Praelatura, quae ambiri non potest (n. 338), et rectoratus (Collegii internationalis) habendus est tamquam praelatura, quae ambiri non potest» (n. 2, Appen.)

245.—Q. *An obligatio hujus voti permaneat, etiam in casu quo religiosus noster transeat ad alium Ordinem, aut aliter eximatur a iugo regularis disciplinae?*

R. Negative, amittunt enim, ad normam can. 635, omnia jura et obligationes prioris religionis.

246.—Q. *Quinam actus intelligantur prohibiti per illud votum?*

R. Actus ambitionis externi cum deliberatione procedentes. (Const. n. 273).

Prohibetur igitur quaecumque actio externa, qua Religiosus procuret eligi, aut promoveri ad aliquam praelationem, ita ut actio illa importet aliquem influxum, seu causalitatem circa effectum obtinendi praelationem, et hoc sive fiat directe sive indirecte. Procuratio praelationis censetur facta directe, quando fit expressis signis, aut verbis; indirecte vero, quando fit non ita expresse, sed alio praetextu, alioque simulato colore.

Sic, directe fit si religiosus verbis expressis petat promoveri ad praelaturam aliquam, et indirecte, si ex una parte proponeret Superiori necessitatem alicujus promotionis, et ex alia a partium inductione ostenderet in eo Monasterio aut Provincia non exstare ullum, qui ad eam praelationem sit aeque habilis ac ipse: siquidem hoc est tacite dicere, ut eam praelationem sibi conferat, et non alii. (Pell. I, 430, qu. 7, n. 148).

247.—Q. *An omnis actus externus ex affectu praelationis hoc votum violet?*

R. Aliquid facere ex hoc desiderio, quod solum ordinatur ad majorem capacitatem, vel dignitatem ipsius desiderantis, nondum videtur esse, nequidem indirecte, praetensio, ideoque non videtur consequenter violatio hujus voti; v. gr. studet quis diligenter, ut sit magis capax praelationis intra vel extra Ordinem, et ex ejus desiderio in eo munere laborat. A fortiori, hoc

votum non violatur solo affectu, etsi tale desiderium sit malum et prohibitum, non est tamen contrarium huic voto, quia desiderare, quamdiu in hoc sistitur, non est *praetendere*, aut agere aliquid ad obtinendam dignitatem. (Suarez, 16-879, et Pelliz. I-444).

248.—Q. *An ostentare virtutem cum intentione praelationis sit contra hoc votum?*

R. Affirmandum videtur, juxta Suarez. (16-880). Ratio est, quia votum obligat ad non procurandum directe nec indirecte; quid autem est indirecte procurare, si hoc non foret? Item, quia si hoc non esset contra votum, etiam procurare ex dicta intentione, ut alius me laudet apud Superiorem, seu bonam informationem tribuat, etiam falsam, non esset contra hoc votum, quod plane est absurdum. Ergo per illud votum prohibetur quaecumque praetensio, etiam licita, sicut per votum castitatis prohibetur quicumque usus delectationis venereae, etiam licitae in legitimo matrimonio.

249.—Q. *Quisnam Superior veniat sub iis verbis: nisi adstringar praecepto eius, qui de jure praecipere possit?*

R. Non est Superior in Ordine, nequidem Praepositus Generalis: ille potest solummodo praecipere ea, quae sunt *secundum Regulam*, ut esset praeceptum acceptandi praelationem intra Ordinem; et cum extra Ordinem non habeamus alium Superiorem praeter S. Pontificem, sequitur quod veniat solus S. Pontifex, aut alius ab ipso delegatam potestatem ad id habens. (Pelliz. I-376 et 469). Ita fuit decisum in Cap. Gen. 1737, ut refert libellus super corr. Const. n. I, p .109. «Ulterius declaramus, praeceptum, sine quo nostri non possunt acceptare Praelationes extra Congregationem, debere fieri a Sede Apostolica».

250.—Q. *Quale praeceptum requiratur et sufficiat, ut Religiosi nostri possint aceptare praelationem extra Ordinem?*

R. Ut rite respondeatur huic quaestioni, juvabit facere triplicem hypothesim: 1.º S. Pontifex potest exprimere suum desiderium quo judicaret et declararet melius esse, et magis Dei obsequium acceptare praelationem, quin tamen vellet id praecipere, aut episcopatum imponere. 2.º Potest declarare voluntatem suam, qua exprimeret Religioso, quod teneatur acceptare praelationem. 3.º Potest imponere praeceptum rigorosum, vi cujus Religiosus teneretur illam acceptare. Hinc:

In prima hypothesi, Religiosus non posset acceptare, juxta Pelliz. (I. 448, n. 261 et Suarez 16-888); a fortiori non pos-

set, si judicio prudentum magis expediens foret tum bono publico, tum bono ipsius religiosi. Et sane, quamvis illo in casu, melius esset, secluso voto, recipere praelationem in Ordine ad spiritualem proximorum utilitatem, non est tamen melius in ordine ad acceptantem ob pericula, quibus se exponit recipiendo dignitatem; non tenemur autem cum tanto nostro periculo spirituali procurare bonum commune, nisi praecepto cogente; etiam dato casu, quo prudentum judicio, salubrius esset privato Religioso acceptare dignitatem, ut privatus est, ut tamen pars Communitatis ad cujus bonum principaliter ordinatur illud votum, absolute melius est dignitatem non recipere, et consequenter votum in tali casu obligare, ne in Ordine aperiatur ostium ambiendi praelationes cum gravissimo ejus dispendio; quo pacto etiam Carthusiano spectato ut personae privatae consultius est carnibus vesci in morbo periculoso; quia tamen bono communi Religionis id non expedit, ideo potest licite eas non edere, vitam propriam posthabendo bono communi totius Ordinis. (Pelliz. I-448, n. 262).

Sufficit autem, quod Religiosus versetur in secunda hypothesi; non vero requiritur, juxta tertiam hypothesim praeceptum rigorosum. (Ita Pelliz. I-448, n. 260).

251.—Q. *Quaenam statuta sint a Constitutionibus nostris quoad electiones pro custodia illius voti?*

R. In omnibus electionibus officiorum, ubicumque fiant, quae per votum ambiri non possunt, praecipiunt in virtute S. Obedientiae et sub praecepto, ut unusquisque suffragium ferat pro magis idoneo, (n. 391) declarantes dictum praeceptum de non procurando pro alio, debere intelligi, juxta Const. n. 692); et ut unusquisque illorum neget suffragium ei, quem noverit directe, vel indirecte, per se, vel per alium praetendere ad aliquam praelationem, vel officium promoveri, vel alio modo quartum votum de non ambiendo vel praeceptum de praetendendo pro alio juxta Constitutiones nostras violaverit. (n. 391). Officio privetur Superior quicumque nostri Ordinis, si alicui e nostris Fratribus dignitatem quampiam intra, vel extra Ordinem violenter, puta minis, promissis, precibus importunis, dolo, fraude, aut alio modo simili obtineri per se, vel per alium curaverit. Alii vero Religiosi poena privationis vocis ac loci, arbitrio Definitorii Generalis, puniantur. (Const., n. 692).

ARTICULUS II

DE VOTO HUMILITATIS A FRATRIBUS CONVERSIS EMISSO

252.—Q. *Sub quanam forma emittatur illud votum?*

R. Sub hac forma: «Insuper promitto me numquam praetensurum ascensum ad gradum aliquem altiorem eo ad quem a Deo vocatus sum» (Constit. n. 267).

253.—Q. *Quem ascensum ad gradum altiorem, vi hujus voti, prohibeantur praetendere Fratres Conversi O. N.?*

R. Prohibentur procurare (intellige juxta n. 246, 247) actibus externis cum deliberatione procedentibus, ut ipsi promoveantur ad gradum Choristarum, aliumve similem proprium Clericorum. Ita, (inquit Pelliz. I, 469, n. 377), viri docti ejusdem Ordinis a me per litteras interrogati expresse responderunt ex sensu item communi totius Ordinis.

Quod si quaeras, quomodo licitum et validum esse possit hoc votum quoad istam partem, cum videatur impeditivum melioris boni, utpote arcens a Sacerdotio ac ministeriis propriis sacerdotum; ad hoc respondetur: Votum dicitur esse de meliore bono, non quia fit de re ex genere praestantiori; sed, quia est de re, quae hic et nunc omnibus perpensis sit gratius voventem facere; hoc ipso quod confert ad majorem quietem, ac profectum spiritualem dictorum Fratrum laicorum perseverare in statu humili propriae vocationis, inserviendo Ordini in temporalibus, et alias vacando sibi ac Deo. (Pelliz. I, 469, n. 378).

254.—Q. *An Fratres Consersi, vi hujus voti, prohibeantur procurare, aut acceptare gradum aliquem, aut officium spēciosum extra Ordinem?*

R. Negandum videtur; ratio est, quia obligatio voti non extenditur ultra casus verbis sufficienter expressos, nec ultra intentionem voventis. Nec obstat quod eadem ratio militet pro gradibus et officiis etiam extra Ordinem: id enim probat quidem etiam illos potuisse comprehendi sub hoc voto, si Religio voluisset, et statuisset, non tamen probat de facto comprehendi. (Pelliz. n. 380).

255.—Q. *An Fratres Conversi peccent contra hoc votum, si indirecte vel per alium procurarent, ascensum ad gradum altiorem?*

R. Negandum videtur; et exinde probatur, quod obligatio voti non debet ampliari ultra rigorosam verborum proprieta-

tem ac intentionem voventis; ex formula autem voti, qua utuntur, satis clare colligitur, intentionem ipsorum esse se solum obligare ad non procurandum directe, et per se, cum simpliciter et absolute promittant se numquam praetensuros ascensum ad gradum altiorem, non additis aliis particulis, *directe, vel indirecte, per me, vel per alium,* quas addunt Fratres Clerici in suo voto humilitatis; quod est signum dictos Fratres laicos sub suo voto non comprehendere, nisi procurationem directam, et per se, quae significatur per verbum *praetendere* simpliciter prolatum; alioquin si voluissent comprehendere etiam procurationem indirectam, et per alium, id expressissent, sicut exprimunt Fratres Clerici. (Pelliz. n. 382).

256.—Q. *An votum illud Fratres Conversos, si forte transeant ad alium Ordinem, in quo tale votum non emittitur, adhuc obligaret?*

R. Negative, ut supra, n. 245, dictum est.

ARTICULUS III

DE VOTO EUNDI AD MISSIONES A SEMINARISTIS EMISSO

257.—Q. *Sub quanam forma emittatur illud votum?*

R. Sub hac forma: «Promitto me ad quamlibet Missionem pro conversione infidelium seu haereticorum iturum, cum obedientia id mihi injunxerit»; et votum ipsum a voventibus conscribatur in libro ad hoc designato, qui servabitur in archivio Conventus, et in communi renovatione votorum in posterum idem votum cum aliis renovabunt. (Inst. p. 66, Vid. Const. n. 340).

Pridie, vel ipso saltem sui a Conventu discessus die... votum sequens emittant... Insuper, tacto pectore, juro fidelitatem in his, quae mihi praecipientur a Patre N. Praeposito Generali, sive a Definitorio Generali, quando ille, qui mihi praecipiet, declaraverit juramentum obligare. (Instr. p. 71).

258.—Q. *Quid veniat nomine Missionum?*

R. Regulariter nomine Missionum veniunt excursiones quaedam spirituales ordinatae ad spiritualem profectum animarum, ac fidei christianae propagationem, et factae in terris tam fidelium, quam infidelium, mediis quibusdam spiritualibus ministeriis, docendi, concionandi et audiendi Confessiones et alia Sacramenta administrandi. (Pelliz, I. 438, n. 194).

259.—Q. *An tali voto obstricti, si mittantur ad Missiones, possint afferre excusationem?*

R. Possunt afferre justam excusationem, ac legitimum impedimentum ipsis tunc forte occurrens quoad hoc; sed non pos-

sunt adducere excusationes frivolas, aut falsas. Verum tamen est, quod etiam, quando excusatio videtur rationabilis, non licet nolle absolute parere; sed casu, quo non obstante difficultate proposita, nihilominus urgeret praeceptum Superioris, illi omnino parendum esset, ex vi hujus voti.

260. — Q. *Quid, si quis vanis artibus et praetextibus utatur, ne mittatur ad Missionem difficilem?*

R. Non videtur agere contra hoc votum, si illi praetextus sint veri, quamvis satis frivoli, modo interim animo paratus sit obedire, casu quo a Superiore mittatur. Ratio est, quia votum non obligat ultra intentionem voventis; in nostro autem casu vovens promisit solum se transferre ad Missiones in eventu, quo ad illas destinetur; non autem abstinere a procuranda fuga talis obligationis per media licita. Quod illa media sint licita ex eo patet, quod nullam habeant admixtam falsitatem, nec efficiant, quominus Superior possit hujusmodi professum destinare ad Missiones aeque libere, ac posset, si non fuisset facta dicta procuratio.

261. — Q. *An tali voto obstrictus, vi illius, teneatur permanere in eis Missionibus ad quas missus est?*

R. Inspecta solummodo formula, qua illud votum emittitur, videretur comprehendi solum actus eundi ad missiones, non autem in eis commorandi, vel ab eis redeundi. Nihilominus, quia, moraliter haec considerando, videntur esse, sive ejusdem prorsus rationis, sive ita connexa, ut non possit alterum sine alio promitti, professus hujus voti censendus est teneri, non modo ire ad Missiones, sed etiam in iis commorari.

Insuper tenetur in eis exercere sacrum Ministerium, quia nomine Missionum non intelliguntur solum itinera, aut residentia in aliquibus locis, sed etiam actiones et ministeria, ad quae ordinantur dicta itinera. (Pelliz. I, 437).

SECTIO III

DE OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM QUAE PROVENIUNT E LEGIBUS ECCLESIASTICIS

Tres praecipue obligationes Religiosorum proveniunt e legibus ecclesiasticis, nempe: 1.º obligatio deferendi habitum religiosum; 2.º obligatio recitandi officium divinum; 3.º obligatio servandi clausuram. Hinc praesens Sectio tribus constat capitibus.

CAPUT I

DE OBLIGATIONE HABITUM RELIGIOSUM DEFERENDI

262.—Q. *Quo jure inducta sit obligatio deferendi habitum religiosum?*

R. Tum jure quasi naturali, supposito tali voto et statu, et fine talis habitus; tum jure positivo, ex can. 596, sequentia praescribente: «Religiosi omnes proprium suae religionis habitum deferant tum intra tum extra domum, nisi gravis causa excuset, judicio Superioris majoris aut, urgente necessitate, etiam localis»; quod fundatur non tam in Regula religiosa, quam supponitur ad omnem Regulam; et est velut generale quoddam jus status religiosi, ut unusquisque in sua vocatione, et consequenter in proprio habitu suae vocationis perseveret.

Antiquae poenae, contra dimittentes temere habitum religiosum, abrogatae sunt.

263.—Q. *Quid importet obligatio deferendi habitum religiosum?*

R. Cum in jure dimissio habitus religiosi sit prohibita ad subtrahendam Religiosis ansam vagandi, consequenter obligatio illa hoc importat, quod Religiosus non deponat unquam habitum Ordinis sine justa causa, et animo sese occultandi, ut cognosci non possit, hinc sumens occasionem liberius vagandi: quod esset temere habitum dimittere. Hinc infertur Religiosum, qui habitum dimittit, ut illum purget, vel ad dormiendum, ludendum, aut quid simile faciendum, non censeri transgressorem hujus obligationis; cum in hoc casu non dicatur dimittere habitum ad se occultandum, aut liberius vagandum. (Cfr. Pelliz, I, 582, n. 3).

264.—Q. *An graviter peccet Religiosus, qui temere dimittit habitum?*

R. Alii absolute affirmant, non admittentes ex parte temporis parvitatem materiae, cum dimissio habitus temeraria sub gravi prohibeatur. Alii forte melius distinguunt: vel est ad longus tempus, vel est tantum ad breve tempus. Si prius, v. gr. ad integrum diem naturalem, affirmant: si posterius, subdistinguunt, quo fine dimissus sit habitus: a) si animo apostatandi, certe erit culpa mortalis; b) si ex alio fine graviter peccaminoso, v. gr. ad liberius fornicandum, juxta plures, aliis contradicentibus, dimissio esset peccatum mortale.

265.—Q. *An graviter peccet Religiosus, qui intra claustra se induit veste feminea ad aliquam repraesentationem faciendam?*

R. Aliqui affirmant; alii generatim docent demissionem habitus eo in casu, quantum est ex se et ex sua natura, non esse peccatum mortale. Attamen hoc non videtur congruere cum statu religioso et ex circumstantiis facile posset evadere graviter periculosum; ideoque in praxi nullomodo est admittendum.

266.—Q. *An graviter peccaret Religiosus, qui suum habitum traderet alicui saeculari ad ludum profanum et statui religioso indecorum, v. g. histrioni?*

R. Affirmative, quia utentes habitu regulari ignominiose in ludis profanis mortaliter peccant; ergo et Religiosus, qui huic ludo cooperaretur.

267.—Q. *An Regulares extra claustra exeuntes absque habitu regulari ab Episcopo puniri possint, dum delictum committunt?*

R. «Si extra domum delictum commiserint nec a proprio Superiore praemonito puniantur, a loci Ordinario puniri possunt, etsi e domo legitime exierint et domum reversi fuerint» (can. 616 § 2). Nihil refert utrum habitum dimiserint vel non.

268.—Q. *Quaenam praescriptiones reperiantur in nostris legibus circa habitum religiosum?*

R. 1.º In Constitutionibus nostris, nn. 77-92, exponuntur color, materia et forma singulorum indumentorum pro Choristis, n. 78-87; pro Novitiis, n. 88; *pro Donatis,* n. 89; pro infirmis, n. 90, pro dormientibus, n. 92.

In indumentis nihil immutetur contra rationem Instituti nostri. «Nullus Superior, vestes alias, aut alterius formae, ultra praescriptas permittat: si vero contrafecerit, ipse, ac is cui licentiam concesserit, gravi poena puniantur» (Const. n. 90).

«Foras prodeuntes, omnes Fratres nostri tum Choristae tum Donati galero nigro clericali utantur. Si vero alicubi, propter locorum necessitates, aliud a statutis vestimentis externis requiratur, id a Superiore Provinciali cum suo Definitorio determinetur, et approbationi Definitorii Generalis subjiciatur» (n. 91).

3.º Denique in Instructionibus nostris: «In parandis, reparandisque indumentis, nihil contra Instituti nostri rationem committat, aut novi quidpiam, etsi leve, inducat». (Instr. Vestiarii n. 8).

«Caveatque plurimum, ne forte in iis (sandaliis) parandis

contra Instituti normam, aut Congregationis morem quicquam inducat, quod curiosum, et supervacaneum videatur» (Instr. Calcearii, n. 1).

CAPUT II

DE OBLIGATIONE RECITANDI OFFICIUM DIVINUM

Sub duplici respectu considerari potest haec obligatio, nempe: quoad recitationem in choro, et quoad recitationem privatam; et quidem sub primo respectu considerari potest: quatenus respicit Regulares in communi, vel quatenus respicit in particulari Religiosos O. N. Hinc praesens caput in tres dividitur articulos, quorum primus erit de recitatione Officii divini in choro pro Regularibus in communi; secundus, de recitatione Officii divini in choro quoad nos; tertius, de privata recitatione Officii divini.

ARTICULUS I

DE RECITATIONE OFFICII DIVINI IN CHORO PRO REGULARIBUS IN COMMUNI

269.—Q. *An et quo jure Regulares teneantur ad recitationem Officii divini in choro?*

R. Ad 1.um. affirmative; regulares enim tenentur, vi universalis consuetudinis, qua tale onus sic acceperunt, sub gravi quotidie horas canonicas *in choro* recitare, ut communiter docent auctores, ut videri potest in Directorio Reg. P. Antonii a Spiritu S., parte II, Tract. III, n. 1584: hujus obligationis origo non oritur, ut aliqui auctores autumant, ex cap. I. *Gravi* de celebr. Miss. in Clement., cum hic textus, sicut et Codex J. C., can. 610, § 1, non tam imponant quam supponant praedictam obligationem. (Cfr. Fanfani, De Jure Relig., n. 265 et Vermeersch, Epit. J. C. ,1, n. 603).

Ad 2.um. Jure ecclesiastico ex tali consuetudine orto.

270.—Q. *Qualis et quanta sit illa obligatio?*

R. Ad 1.um: 1.º Est certe obligatio localis, ipsam Communitatem respiciens, ita tamen ut primario incumbat Superiori, et in defectu Superioris, secundario subditis. 2.º Utrum sit etiam obligatio personalis, inter auctores disputatur. Plures negant, quia lex illa non directe singulos Religiosos, sed ipsam Communitatem afficit. Alii vero affirmant, quibus favere videtur Constitutio, *Redemptor noster,* Benedicti XII, in qua legitur: «Omnes, quos causa rationabilis non excusat, ad chorum conveniant». Item Decretum, *Nullus omnino,* Clementis VIII, ubi dicitur: «Nullus omnino praetextu cujuscumque privilegii, vel

Superioritatis etiam Generalatus, a servitio chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus». Alii tandem docent omnes Regulares teneri *radicaliter,* sed non singulos *actualiter. Radicaliter,* quia obligatio quae Communitatem adstringit ad habendum chorum, omnes Communitatem constituentes afficere debet; alias inanis esset Communitatis obligatio, quam afferri nequeat ratio ligandi aliquos potius quam ceteros. *Actualiter* autem singuli non tenentur, quia ita consuetudine receptum est.

Attamen quidquid sit de ista controversia, juxta omnes, illa obligatio singulos afficit, in sequentibus casibus: a) si Superior Communitatis deficiat muneri suo; b) si ex Regula vel praecepto Superioris Religiosus aliquis ad hoc obligetur; c) si eorum praesentia sit necessaria ad habendum chorum; d) si ex sua negligentia Religiosus scandalum aliis ingereret, et pravo suo exemplo alios a choro removeret; e) tandem si fundator conventus hanc conditionem adjecerit.

Ad 2um: Obligatio, quae Communitati incumbit, est gravis: ita communiter auctores. Ideoque Superior peccabit graviter, si ex sua negligentia Officium omittatur vel indebite persolvatur; et Superiore suo muneri deficiente, subditi peccabunt etiam graviter, si ex negligentia officium praetermittatur, aut modo indebito persolvatur. Obligatio autem, quae singulis incumbit, non est gravis, teste S. Alphonso, qui asserit, quod nullus Religiosus aut Monialis tenetur sub gravi horas dicere in choro. (l. 4, n. 143).

271.—Q. *Quot requirantur ad constituendum chorum?*

R. Ex praedicto canone 610, § 1, quatuor saltem, et etiam pauciores, si ita ferant constitutiones; aliquibus, ut P. Vermeersch, Epitome J. C., 1, n. 603, et P. Fanafni, n. 266, videtur quod duo religiosi possint satisfacere obligationi chorali.

«In singulis domibus, dicitur in Constitutionibus nostris, n. 35, ubi quatuor saltem sint Religiosi choro obligati et actu legitime non impediti, debet quotidie divinum Officium communiter persolvi. Et etiam in unaquaque domo nostra, ubi tres vel duo tantum inveniantur expediti, illud semper in communi recitare satagant» (Cfr. can. 610, § 1). Communiter autem docent auctores obligationi chori satisfieri, per solos novitios nam licet nondum sint Religioni incorporati, aliquo tamen modo sunt pars illius Communitatis, et omnibus gratiis et privilegiis Communitatis gaudent, et in favorabilibus dicuntur Religiosi. Quapropter possunt Communitatis obligationem adimplere.

272.—Q. *Quaenam causae ab hac obligatione excusent?*

R. Duplex datur causa, una scilicet impotentia vel physica vel moralis: *physica,* v. gr. si Religiosus est absens a conventu, vel impotens chorum adire; *moralis,* vero, si infirmitas vel gra-

ves nimiae occupationes, vel necessitas ad concionem sese praeparandi assitentiam choro impediunt; altera vero legitima dispensatio.

273.—Q. *Quisnam possit hujusmodi dispensationem concedere?*

R. 1.º In sequentibus casibus Superiores possunt dispensare cum suis subditis ,nempe: 1.º cum iis qui in proprii officii munere actu occupati sunt; 2.º cum Lectoribus et Praedicatoribus, sed iis tantum diebus, quibus eos legere aut praedicare contigerit; 3.º idem quoque praestare valent cum aegrotis et studiorum causa legitime impeditis.

Studiorum causa impeditorum nomine veniunt etiam, juxa auctores, illi qui imprimendis libris Religionis vel Ecclesiae bono ,occupantur.

2.º Haec habent Constitutiones nostrae: «Ut autem Fratres ad conciones opportune se praeparare valeant, Superior tempus, quod in Domino necessarium arbitrabitur, eis ad studium ab aliis actibus immune concedat; orationi tamen mentali communi intererunt (n. 182).

De praelectoribus vero: «Ut lectiones opportune praemeditari valeant, Praelaectores ab officio Chori sint dispensati, si tamen quatuor saltem lectiones in hebdomada habeant, secus diebus a lectione liberis officio Chori interesse teneantur». (Const. n. 295).

274.—Q. *An Religiosus, qui occupatus ministerio chori non recitat partem suam, vel non percipit partem adversi chori, satisfaciat obligationi chori?*

R. Affirmative, ac proinde non tenetur supplere quod ipse non dicit, aut ab aliis dictum non percepit; quia dum occupatur in re ad officii celebrationem pertinente, totus chorus pro eo supplet. Eo in sensu communiter interpretantur auctores praeceptum Ecclesiae, adeo ut ipsa probet obligationi a se impositae recitationis officii satisfieri ab iis, qui in hujusmodi rebus occupantur, dum chorus, cujus ipsi pars sunt, psallit. Idem dicendum de illo, qui egreditur e choro, et pro rebus ad chorum spectantibus, nonnisi post psalmum integrum redit.

275.—Q. *An Religiosus, qui in Officio divino pulsat organum, satisfaciat obligationi chori, quin tamen ullam partem recitet?*

R. Pro illo casu duplex datur sententia: una docet illum satisfacere, quia organum pulsando fit pars chori psallentium, iisque associatur, ideoque censetur et ipse cum illis officium

persolvere. Altera autem negat talem satisfacere, quia ipse revera neque *cantat,* neque *recitat* officium divinum: sed pulsat solummodo organum: quod neque cantare, neque recitare est divinum officium. (Cfr. S. Alph. l. 4, n. 143).

276. — Q. *An ille, qui tardius venit ad chorum, teneatur supplere ea, quae jam dicta sunt?*

R. Affirmative, nisi tantum pars modica recitata fuerit, puta per unum aut duos Psalmos in Matutinis; omissio namque modica in hac materia parvi aestimari solet, adeo ut, ob societatis vinculum, alii chori censeantur defectum socii supplere. Intellige tamen de illo, qui ob probatam causam tardius venit. (Ita Salm., n. 12).

277. — Q. *An Religiosus recitans in choro teneatur repetere ea, quae non satis percipit ob strepitum, vel ob defectum chori, aut ob surditatem?*

R. 1.º *Quoad strepitum,* negant communiter auctores. *Quoad defectum chori,* auctores in duas abeunt partes: alii affirmant, modo pars non audita sit notabilis; ratio est, quia recitans in choro non potest communicare in iis quae non percipit.

Alii autem negant, modo attendat quantum potest; ratio est, quia tunc per societatem ipsam, et simul per illam suam applicationem censetur moraliter communicare orationi, dum intendit Deo exhibere omnes laudes et preces, quas chorus profert. (Cfr. S. Alph., l. 4, n. 163, qu. 2). Hic notat Ballerini Palm. (IV-294, n. 229), mirum esse quod detur dissensio, dum non datur, quando agitur de strepitu, cum in utroque tamen casu pari modo nihil percipiat, quin ipse sit in culpa.

2.º *Quoad surditatem,* distinguendum est: surdaster, qui aliquomodo potest audire, et praestat attentionem in quantum potest, non tenetur repetere ea, quae non audivit. Utrum vero surdus, qui partem suam recitat, teneatur repetere alteram partem, inter auctores disputatur: Alii negant; ratio est, quia ex una parte tenetur choro assistere, ex alia autem non stat per ipsum quin audiat; unde sufficit, quod praestet assistentiam quam potest, partem nempe suam recitando. Alii autem docent ipsum teneri partem alterius chori submissa voce dicere, quia ob suam surditatem non potest communicare cum altero choro. (S. Alph. l. IV, n. 163). (Lehm. 2, n. 797). Quidam auctores, ait P. Prümmer, Man. 7, Mor. 2, n. 374, sunt benigniores, si surdus choro assistat, in hoc casu surdus officio satisfacit, etiamsi nihil audiat ex altero choro. Cfr. Comp. Salm. reformatum n. 1687.

278.—Q. *An Religiosus satisfacit obligationi chori, qui submisse recitat partem suam alteram audiendo?*

R. Datur duplex sententia: prima negat, quia non communicat cum aliis canentibus. Secunda autem communior affirmat, quia ad satisfaciendum officio in choro non est necesse, ut quisque audiat omnes voces alterius partis, unaquaeque enim pars cum alia unum corpus constituit et mutuo communicat.) (Cfr. S. Alph., l. 3, n. 675, et l. 4, n. 163, qu. 1).

279.—Q. *An Religiosus canens in choro satisfaciat suae obligationi, si partem suam recitet, quidem, sed non attendat ad partem alterius chori?*

R. Negative, quia sic non concurrit ad totum officium, nam non attendens ad alteram partem, illam non facit suam. Quod si submissa voce partem alterius chori diceret, sed non attenderet ad eam, satisfaceret obligationi privatae recitationis officii divini, non vero publicae recitationis.

280.—Q. *Ubinam implenda sit illa obligatio?* (1)

R. In choro ecclesiae, non vero in sacristia, nisi adsit justa causa, et dummodo sacristia solum communi muro dividatur ab ecclesia: nam tunc haberi potest ut pars ecclesiae; ideo Superior religiosus non potest, propria auctoritate, dispensare, ut ob nimium frigus officium divinum recitetur hyemis tempore, extra chorum in aliquo oratorio privato, nisi tale oratorium sit conjunctum cum ecclesia per aliquam tribunam vel fenestram.

281.—Q. *Quomodo recitandum sit officium in choro?*

R. 1.º *Alternatim*: Qui recitat officium in choro debet integre recitare ea, quae secreto dicuntur; alternis non ternis vicibus hymnos, psalmos, versiculos; at sufficit audire dum alius ea legit, antiphonas, responsoria brevia, capitula et lectiones.

282. 2.º *Vocaliter*: ita ut alio modo horarum penso non satisfiat. Ex hac conditione sequitur organum non posse supplere aliquam partem officii; sed dum adhibetur, et modo festivo pulsat per aliquas partes officii, requiritur, ut saltem unus recitet alta voce illas partes ex praescripto Caerem. Ep. ubi dicitur:

«Si in aliquibus locis consuetum esset organa pulsari etiam inter horas canonicas, aut aliquas earum, ut est hora Tertia... poterit talis consuetudo servari: sed advertendum erit, ut quandocumque per organum figuratur aliquid cantari, seu responderi

(1) Cfr. Decr. auth. S. R. C. n. 3506.

alternatim versiculis hymnorum aut canticorum, ab aliquo de choro *intelligibili voce* pronuntietur id, quod ab organo respondendum est. At laudabile esset, ut aliquis cantor conjunctim cum organo voce clara idem decantaret». (l. 1, c. 28, n. 7).

Ubi haec fiunt, necesse est, ut duo Cantores alta et intelligibili voce ea pronuncient quae non cantantur a Choro; quod semper est perficiendum quoties per organum aliquid suppletur quod revera non canitur. (Ita Ordin. N., n. 102).

283. 3.º *Alta voce* dicenda sunt ea, quae juxta Rubricas submissa voce recitanda non sunt, ita ut altera pars chori, quantum est ex se, verba recitantis audire possit.

284. 4.º *Integre*: id est, nihil omittendo, distincte pronuntiando, nec incipiendo priusquam altera chori pars finierit. Utrum pars, quae est notabilis respectu officii per se sumpti, sit pariter notabilis respectu recitationis publicae, non convenitur inter Auctores. Salm. (p. 120, n. 14-17), rigide loquuntur docentes recitationem solemnem in choro strictius obligare, ita ut omissio unius psalmi non exigui constituat peccatum mortale. Alii autem tenent eamdem materiam requiri in utraque recitatione. Alii majorem materiam requirunt in publica quam in privata recitatione officii, praesertim si non fiat ex consuetudine; nam non apparet magna turpitudo in hac omissione, quoad cultum divinum externum, qui ab Ecclesia per chorum intenditur. (Cfr. Ball. P. IV-253, n. 158).

285. 5.º *Ordinate*: ad quod requiritur: a) ut dicatur officium diei affixum. b) Ut tempore debito recitetur. Antiquitus Matutina dicebantur media nocte. Hodie vero haec hora non amplius servatur, nisi in aliquibus Religionibus. Matutinum autem absque Indulto Pontificio vel rationabili consuetudine, ut in Hispania die praecedenti recitari nequit. (Cfr. Decr. S. R. C., n. 64, 67 et 2331). Attamen Episcopi est permittere recitationem Matutini diei sequentis post Completorium, et lapsam horam tertiam post meridiem. (Bucc. II, n. 153, Adone p. 370, n. 669. Piat., I-300).

Quod attinet ad horam qua incipi potest recitatio Vesperarum ante meridiem, tempore Quadragesimae, regula generalis est, quod Vesperae in choro recitari debent post Missam conventualem et Nonam. Hora autem Missae conventualis a consuetudine locorum pendet. (Cfr. Bucc. II, n. 156). c) Ut Missa conventualis post Matutinum et Tertiam celebretur, nisi iis diebus, quibus post Sextam vel Nonam dicenda est. Gravis est deordinatio illam ante Matutinum celebrare, nisi gravis et publica concurrat causa. Excipienda est prima Missa Nativitatis Domini. d) Ut demum non intervertatur ordo horarum. Per hujusmodi inversionem, juxta probabiliorem sententiam, multis tamen contradicentibus, venialiter tantum peccatur, quia non con-

stat de gravi praecepto super hac re imposito; siquidem illa circumstantia non pertinet ad substantiam praecepti.

286. 6.º *Continue*: id est, sine interruptione. Quamlibet interruptionem, secluso scandalo, veniale tantum esse peccatum communiter docent auctores.

7.º *Rubricas servando*; utrum rubricae illae sint praeceptivae, an tantum directivae, inter auctores disputatur. Attamen talis omissio nunquam culpam venialem excedere potest. (Bucc. n .163).

287. 8.º *Devote et attente*: *Intentio saltem virtualis implicita* requiritur; ratio est, quia officii recitatio est actus humanus, qui sine intentione esse non potest. Quod vero attinet ad *attentionem*, ad satisfaciendum substantialiter praecepto officii, non requiritur alia attentio interna praeter attentionem ad rite omnia pronuntianda et rite observanda, et satis probabiliter sufficit *intentio* recitandi, *cum attentione* externa; quia attentio interna non est de essentia orationis; quare attentio externa, conjuncta cum intentione recitandi, efficit, ut recitatio horarum fiat quoad substantiam vera oratio. (Cfr. Bucc. II, n. 165).

288.—Q. *Quonam Breviario uti debeant Regulares in choro?*

R. Breviario romano a S. Pio V, anno 1568, per Bullam, «Quod a nobis», reformato, cum novo psalterii ordine a Pío X, Kalendis Novembribus 1911, por Bullam «Divino afflatu», inducto. Illa tamen excepit S. Pius V Breviaria, quae ab ipsa prima institutione a Sede Apostolica approbata, ducentis annis in usu jam erant.

Unde distinguendum est inter Religiones, quae Breviarium habebant annis ducentis antiquius, eo momento quo S. Pius V Breviarium Romanum reformavit, et praescripsit, et alias Religiones, quae hujusmodi Breviarum non habebant. Priores poterant suum peculiare Breviarium servare; vel, de consensu Capituli Generalis, Romanum adoptare; semel autem acceptato Breviario Romano, non licet antiquum reassumere. Qui autem antiquum servabant, non poterant in illud deinceps immutationes vel emendationes absque S. Sedis licentia introducere. Posteriores vero tenebantur Breviarium Romanum adoptare, sub poena non satisfaciendi obligationi divini officii.

Ad nos autem quod attinet, «ex antiquissima Religionis nostrae consuetudine a Patribus nostris officium tum Sanctorum nostrorum, tum aliorum solemnitatum et Sanctorum, juxta ritum Jerosolymitanae Ecclesiae et Dominici Sepulchri celebratum esse compertum est. Postmodum vero, justis de causis, de licentia Sixti V Congregatio nostra primaevo suo Breviario relicto, quo tunc temporis utebatur, et in quo festa eadem, quae

sunt in hoc Libro, continebantur, Romanum accepit ac in morem induxit» (Rubr. Generales, O. N.)

289.—Q. *Quonam Kalendario uti debeant Regulares?*

R. Qui proprium habent, eo uti debent; qui vero non habent proprium, uti debent Kalendario dioecesano, cui addere debent officia peculiariter Ordini concessa. S. R. Congr. Kalendarium perpetuum O. N. approbavit die 24 Nov. 1913.

Quod autem attinet ad auctoritatem Kalendarii, huic ita se conformare tenentur in omnibus, ut tunc solummodo illud relinquere possint, cum aliquid continet quod certo rubricis aliisve Ecclesiae legibus adversatur. Die 23 Maii 1835, S. R. C. rescripsit, in casibus dubiis adhaerendum esse Kalendario dioecesano *(seu Regulari)* sive quoad officium publicum et privatum, sive quoad Missam, sive quoad vestium sacrarum colorem, etiamsi quibusdum probabilior videatur sententia Kalendario opposita, quinimo licet certum *alicui videatur* errare Kalendarium.

290.—Q. *An recitandum sit officium B. M. V. Psalmi Poenitentiales, Graduales, et officium Defunctorum? R. Negative.*

Nulla quippe est hodie obligatio recitandi officium B. M. V., nec Psalmos poenitentiales nec graduales nec officium Defunctorum, neque in choro neque privatim ex dispositione Pii X, Rubr. Tit. 8, n. 2.

291.—Q. *An Moniales teneantur Officium recitare in choro?*

R. Affirmative eadem ratione ac religiosi, ut n. 269 dictum est.

Quoad sorores, quae vota tantum simplicia emittunt, non tenentur ad recitandum officium divinum, nisi vi suarum constitutionum.

Ad Breviarium autem quod attinet. Moniales Regularibus subjectae, uti debent Breviario Ordinis, cui subduntur, adeoque Officia Sanctorum proprii Ordinis recitare debent. Moniales autem Regularibus non subjectae, uti possunt Breviario Ordinis, sed ad id non tenentur. Quod *possint* declaravit S. R. C. (24 Jan. 1688, n. 1790; 12 Dec. 1756, n. 2411). Quod non *teneantur,* ejusdem Congr. auctoritate firmatum est. (7 April. 1832, n. 2691).

Si vero proprio Breviario utantur, officia dioecesana addere nequeunt, si autem Breviario Romano utantur, non possunt absque speciali Indulto officium de Sanctis Ordinis facere.

292.—Q. *An Missa conventualis dicenda sit in ecclesia Monialium, quae Officium canonicum habent?*

R. Affirmative, quoad fieri possit (can. 610, § 2). Non adest igitur *stricta obligatio* talem Missam celebrandi.

ARTICULUS II

DE RECITATIONE OFFICII DIVINI IN CHORO QUOAD NOS

293.—Q. *Quinam teneantur vi Regulae ad recitationem Officii in choro?*

R. Omnes Choristae, etiam simpliciter professi, si quando ob aliorum legitimam absentiam, eorum praesentia necessaria sit ad tale onus rite adimplendum a Communitate.

294.—Q. *Quaenam sint puncta circa officium divinum speciali mentione digna?*

R. 1.º «Horae Matutinae semper media nocte dicantur in Eremis, in Novitiatibus et in Domibus Professorum; insuper in aliis conventibus, exceptis Domibus Studiorum et Missionum, ubi decem ad minus Fratres choristae permanenter degunt. (Const. n. 36).

295. «Ab hac regula excipiuntur, ob Ecclesiae et Ordinis nostri consuetudinem, Officia Tenebrarum in Hebdomada Sancta, Horae Matutinae in aurora Resurrectionis, in Octavariis Corporis Christi et Commemorationis Sollemnis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, itemque diei Commemorationis Omnium Defunctorum. Excipiuntur quoque Horae Matutinae quatuor dierum qui sequuntur Natale Domini, trium qui sequuntur Pascha Resurrectionis et Pentecostes, unius diei insequentis festa Circumcisionis, Epiphaniae, Sancti Patris nostri Joseph ejusque Sollemnitatis, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Sancti Patris nostri Eliae, quando extra Octavarium Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, celebrari contingerit, Assumptionis Beatae Mariae Virginis, Sanctae Matris nostrae Teresiae, Sancti Patris nostri Joannis a Cruce et Inmaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis; item excipiuntur Horae Matutinae diei qui praecedit festum Exaltationis Sanctae Crucis, et eorum qui proxime sequuntur dies recreationis extraordinariae, a Constitutionibus nostris concessos (n. 147). Aliae autem exceptiones nonnisi raro et ex gravi causa admittantur, ac juxta dicenda n. 578» (n. 37)

«Cum vero Horae Matutinae justam ob causam media nocte non dicuntur, ita prorogentur, ut ante horam orationis mane solitam recitentur, vel anticipentur, ita ut ante vel post ora-

tionem vespertinam dicantur; quod obervetur etiam in conventibus, ubi media nocte non surgitur» (n. 38).

296. «Completorium a Paschate usque ad Exaltationem Sanctae Crucis, in conventibus in quibus Horae Matutinae media nocte fiunt, recitabitur immediate post recreationem vespertinam, exceptis diebus in quibus Horae Matutinae anticipentur juxta dicta n. 37; in aliis vero conventibus tempore in horariis statuto recitabitur. Ab Exaltatione autem Santae Crucis usque ad Pascha, Completorium dicatur immediate post orationem vespertinam» (n. 39).

297. «Reliquae Horae Canonicae a Fratribus, loco et tempore modoque in Ordinario et approbato Horario praescriptis, dicentur. Matutinum cum Laudibus regulariter per unam horam, Prima vero et Completorium per quartam horae partem ordinarie perdurent; Vesperae cum Litaniis Beatae Mariae Virginis dimidia fere hora persolvantur; quae tamen Litaniae in Quadragesima post quietem meridianam in choro recitentur; in singulis vero aliis Horis Minoribus sexta circiter pars horae consumetur. Praescriptae autem durationes ab ipso initio Officii divini computandae sunt. In Eremis vero propriae Instructiones serventur» (n. 40).

«In singulis domibus Missa Officio diei respondens, secundum rubricas quotidie celebrari debet» (n. 41). Apud nos vero haec Missa non est conventualis.

298. — Q. *Quaenam sint praescriptiones speciales circa officium divinum relate ad Conventus Studiorum?*

R. *Haec habent Constitutiones nostrae*: «Ut autem studii tempus commodius distribuatur, quatuor Horae minores mane ante vel post orationem mentalem recitari possunt; Vesperae autem, Completorium, Matutinum et Laudes tempore in Horariis stabilito persolvantur. In Feriis secundis non dicentur Vesperae Defunctorum, et pro iis quae canenda sunt, propriae observabuntur Instructiones» (Constit. n .289).

299. — Q. *Quaenam canenda sint in Conventibus nostris?*

R. In omnibus Prioratibus, exceptis Eremis, diebus dominicis et festis de praecepto, in omnibus primae classis festivitatibus Domini, Beatae Mariae Virginis et Sanctorum Ordinis nostri, atque in festo Exaltationis Sanctae Crucis, Missa cantetur. Quoad reliquas Missas cantandas serventur Tabellae a Definitorio Generali approbatae. In Sabbatis vero anni totius, juxta Ordinis privilegia et secundum normas in Ordinario expositas, Missa Beatae Mariae Virginis cantabitur vel recitabitur.

Insuper Antiphona: *Salve Regina*, in Sabbatis et Vigiliis festorum primae et secundae classis Beatae Mariae Virginis sollemniter canenda est» (Constit., n. 42).

ARTICULUS III

DE RECITATIONE PRIVATA OFFICII DIVINI

300. — Q. *An Religiosi sollemniter professi, qui sunt legitime impediti choro interesse, teneantur ad privatam recitationem Officii divini?*

R. Affirmative, ex praescripto Codicis J. C., can. 610, § 3, sequentia statuentis: «In eisdem religionibus sive virorum sive mulierum, sollemniter professi qui a choro abfuerint, debent, exceptis conversis, horas canonicas privatim recitare».

Incipit autem haec obligatio a momento professionis solemnis. Qui autem mane ante professionem jam partim officium persolverit, utrum teneretur partem jam recitatam repetere, inter auctores disputatur. Alii afffirmant, quia obligationi, quae nondum existebat, satisfacere nequibat.

Alii tamen censent illum satisfecisse; quia debiti solutio anticipari potest, quando illud certo moraliter contrahendum est. Quae opinio S. Alphonso (l. 4, n. 140) videtur probabilis.

301. — Q. *An Professi votorum simplicium ad id teneantur?*

R. Vi professionis non tenentur ad privatam recitationem; tenentur tamen interesse choro, sicut solemniter professi. Neque vi Regulae ad id tenentur, etsi Regula sub peccato, etiam mortali, obligaret, ut patet ex responso S. C. Ep. et R., die 24 Mart. 1882, ubi haec leguntur: An professi votorum simplicium in Ordine Minorum *ex vi Regulae* teneantur ad privatam recitationem divini officii, ut solemniter professi? S. C. censuit esse respondendum: Non teneri ad normam Rescripti diei 6 Aug. 1858. Quae tamen Regula *sub gravi* obligat. Idem praescribit Codex J. C., can. 578, 2.º his verbis: «sed, ubi viget chori obligatio, divini officii privatim recitandi lege non obstringuntur, nisi sint in sacris constituti aut aliud constitutiones expresse praescribant».

302. — Q. *An Fratres nostri Donati teneantur suum officium in «Pater Noster» recitare?*

R. 1.º Ex praescripto Regulae sub veniali ad id tenentur Fratres Donati votorum solemnium.

2.º Utrum autem ad id etiam teneantur Fratres Donati votorum simplicium, negandum est: eadem enim valet pro ipsis ratio, quae Clericos simpliciter professos ab onere officii reci-

tandi solvit; siquidem officium in *Pater Noster* Donatis impositum, officio substituitur Clericorum. Si ergo Clerici liberi sint ab onere recitandi officii ante professionem solemnem, et Fratres Donati ab onere sui officii etiam liberi sunt.

303.—Q. *An Moniales teneantur ad privatam recitationem divini officii?*

R. 1.º Moniales sollemniter professae et ad chorum destinatae tenentur sub gravi quotidie recitare officium divinum, ut supra n. 291 dictum est.

2.º Moniales autem simpliciter professae ad id non tenentur.

304.—Q. *An Moniales nostrae teneantur vi Regulae privatim recitare Officium divinum?*

R. 1.º Moniales O. N. votorum sollemnium ad id tenentur sub gravi, sicuti aliae Moniales sollemniter professae, non quidem vi Regulae, sed ex praescripto Codicis J. C., can. 610, § 3 ,ut supra, n. 300 dictum est.

2.º Quoad Moniales votorum simplicium, negandum videtur; quia ex Constitutionibus ipsarum non constat Regulam obligare sub veniali, et vi professionis simplicis non obligantur ad officium divinum.

305.—Q. *An Religiosi sollemniter professi, vi Indulti Pontificii extra claustra degentes, teneantur vi professionis recitare privatim divinum Officium?*

R. Exclaustrati tenentur recitare privatim divinum Officium ad normam can. 639, non vero saecularizati, ut patet ex can. 640, § 1, n. 2.º

306.—Q. *An eidem obligationi maneant subditi Religiosi apostatae et fugitivi?*

R. Affirmative ex praescripto can. 645, haec statuentis: «Apostata et fugitivus ab obligatione regulae et votorum minime solvuntur et debent sine mora ad religionem redire»; alias commodum reportarent ex sua iniquitate.

307.—Q. *Quonam Breviario uti teneatur Religiosus factus Episcopus?*

R .Episcopus religiosus calendarium propriae dioecesis sequi debet, et etiam capellani qui cum eo recitant. Decr. auth. S. R. C. n. 181.

308.—Q. *Quodnam Officium recitare debeat Religiosus in privata recitatione, in sequentibus casibus?*

R. 1.º Transeuntes ad aliud sui Ordinis coenobium, sive ad tempus, sive perpetuo moraturi, in itinere tenentur ad officium Coenobii ex quo discesserunt; cum autem perveniunt ad aliud Coenobium, et quousque in hoc manent tanquam hospites, hujus Kalendarium in choro sequantur, extra chorum vero coenobii a quo discesserunt. Decr. S. R. C., n. 3919, ad 13. Ordin. n. n. 253.

2.º Si ad alium conventum non transeat, sed absit a conventu, v. gr. praedicationis causa, se conformare debet Provinciae Kalendario. (S. R. C. 15 Aug. 1839).

3.º Si parochiae sit praefectus vel addictus, officium quidem Ordinis proprium recitare debet juxta Kalendarium Ordinis cum obligatione celebrandi de Titulari ecclesiae paroecialis.

4.º Qui extra claustra vi Indulti exclaustrationis degit, sequi potest Kalendarium Ordinis.

309.—Q. *Quibusnam privilegiis gaudeant Regulares circa privatam officii recitationem?*

R. I. Allegatur Leonis X concessio, vi cujus Fratres Minores omnino mentaliter officium divinum recitare possunt. En tenorem concessionis: «Placeat Sanctitati Vestrae, ut ne Fratres mutuo se impediant in officio divino, aut aliis fastidiosi, quod illa, quae in ordinario jubentur dici secreto sub silentio, tam in horis canonicis, quam etiam in Missa, non teneantur proferre vocaliter, sed satisfaciant dicendo mentaliter, aut legendo intra se per librum, quia aliqui devotius sic dicunt, et absque impedimento et fastidio aliorum, et eodem modo possit facere, qui solus dicit officium per se, cum prolatio verbalis sit praecipue ut ab aliis intelligatur».

310. *Explanatur*: Circa illud privilegium tria notanda sunt: 1.º Utrum intelligenda sit illa concessio de toto officio, an vero de tota parte, quae secreto dicenda est, inter auctores disputatur. Salm. (Tr. 16, c. 3, n. 54) et alii intelligunt de toto officio, ex his verbis concessionis. «Et eodem modo possit facere, qui solus dicit officium per se, cum prolatio vocalis sit praecipue, ut ab aliis intelligatur», et sic quod concessum fuerat pro recitatione publica et Missa, in his, quae secreto dicenda erant, extenditur quoad totum, ad privatam recitationem ob rationem illam, *quia prolatio vocalis*, etc. Nam cum nihil hujusmodi in privata recitatione dicatur, ut ab aliis intelligi possit, fit inde, quod totum possit dici mentaliter ex vi hujus indulti, sicut ex vi illius dici possunt eodem modo in publica recitatione, quae ab aliis intelligi non est necessarium.

Communiter vero, ait P. Piat. (I. 318), restringitur ad illas partes, quae in officio publico secreto dicuntur: nam petitur pro eo, qui solus Breviarium dicit idem privilegium, quo gaudent publice recitantes; jam autem eorum privilegium limitatur ad ea, quae in ordinario secreto dicuntur. Ergo.

2.º Communiter docent auctores illud privilegium ab aliis Religionibus, vi communicationis privilegiorum, invocari posse, cum nihil hujusmodi communicationi obstare videatur.

3.º Utrum adhuc existat illud privilegium inter auctores disputatur. Alii negant; quia illud privilegium oraculo vivae vocis concessum est; porro hujusmodi privilegia a Gregorio XV et Urbano VIII revocata sunt. Alii autem affirmant; quia hoc privilegium jam suum sortitum erat effectum: porro illa oracula, quae jam suum sortita erant effectum, a praefata revocatione excipiebantur. Praeterea, revocata sunt tantum privilegia per Pontificium Officialem non authenticata. Jamvero de privilegio, de quo agitur, Card. Laurentius Ordinis Protector, die 15 April. 1516, authenticum testimonium dedit. Salm. tenent ultimam sententiam. (Cfr. Tr. 16, c. 3, n. 53).

Addit Piat (I-319): Non obstante hac ratione dubium mihi videtur an adhuc vigeat, an non potius sub Clementis XII revocationem cadat, in qua revocatur privilegium: «officium divinum absque legitima causa non recitandi»; qui enim mentaliter tantum legit, dici nequit recitare. Ceterum, si adsit justa causa, dispensare potest Superior.

311. II. Aliud privilegium Fr. Minoribus concessit Leo X, nempe ut praedicatores et confessores officia longiora anticipare valeant, et breviora reservare pro diebus majoris occupationis.

III. Aliud privilegium concessit Clemens VII, Constit. «Dudum § 2, Superioribus, ut nempe a recitatione officii divini subditos suos occupatos praedicationi verbi Dei, auditioni confessionum, lectioni S. Theologiae aut SS. Canonum, aut studio insistentes, aut saluti animarum, aut servitio infirmorum dispensare valeant, ipsis assignando septem aut sex psalmos, septies Pater Noster et bis Symbolum apostolicum: graviter autem aegrotantes orationem dominicam semel, et salutationem angelicam septies in die recitando septem horis canonicis, et toti divino officio satisfecisse censentur.

Videtur existere, ait P. Prümmer Man. T. M., 3, n. 380, hoc privilegium adhuc nostris diebus, an. 1923.

Cfr. NN. Salm. mor. Tr. XVI, cap. III, puncto VII, n. 55.

Illud privilegium intelligi debet de occupationibus, quae ex se non constituerent causam sufficientem ad excusandum a recitatione; nam tunc privilegium ad nihil reduceretur. (Cfr. Salm. l. c., n. 56).

312. IV .Innocentius IV Monialibus S. Clarae concessit, ut satisfaciant obligationi divini officii officium Conversarum reci-

tando, quotiescumque rationabilem habeant causam. Hujusmodi causa habetur, si Monialis non sit bene instructa, judicio Abbatissae aut confessarii, in officio Choristarum; aut si sit scrupulosa, aut ob labores fatigata, aut occupata rebus utilibus.

De hoc privilegio sequentia notanda sunt: a) illud invocare possunt Ordines, qui cum Monialibus S. Clarae in privilegiis communicant; b) quum in Bulla non requiratur ad privilegii usum Superiorissae licentia, licitus est illius usus absque Superioris licentia; c) quum hoc Privilegium sit per Bullam concessum, jam sequitur illud in revocatione Clementis XII non comprehendi.

313. V. Plures SS. Pontifices per Bullam Regularibus facultatem concesserunt, ex legitima ac justa causa, officium ipsum celebrationi Missae libere et absque conscientiae scrupulo postponere.

314. Clemens XII Monialibus nostris concessit quod horas Matutinas ob somnolentiam cum distractione dictas repetere non debent, cujus concessio est confirmata per Pium VII, die 4 Jul. 1803.

Per Indultum Pii VI, 30 Jan. 1796, et Leonis XIII, 30 Sept. 1878, conceditur confessariis facultas dispensandi commutando divinum officium in alias preces in favorem Religiosarum, O. N., quae legitime sunt impeditae ab assistentia chori, et nonnisi difficulter officium divinum privatim recitare valent: et Pius X, die 24 maii 1914, facultatem concessit substituendi loco Officii divini recitationem 82 Pater noster, quando justis de causis recitationi communi in Choro interesse nequeant; et quando id contingat propter infirmitatem, minui etiam possit proportionaliter numerus praedictae orationis.

315. — Q. *Quodnam beneficium obtineatur per recitationem Or. «Sacrosanctae»?*

R. Ecclesia concessit omnibus Clericis, officii recitationem hac prece absolventibus, «Remissionem omnium defectuum et culparum per humanam fragilitatem commissorum in eo recitando».

Conditiones autem requisitae ad hunc fructum consequendum, sequentes sunt: 1.º Ut haec oratio dicatur cum *Pater* et *Ave*; 2.º *post recitatum* officium, id est, semel in die ad Vesperam, pro diversis officii partibus diverso tempore recitatis; vel potius et tutius, quoties, dicta una aut altera officii parte, interrumpitur ejus recitatio; 3.º *post illud*, quin longa interponatur mora, secus enim deficeret unio moralis, quae requiri videtur inter officium et praefatam orationem: Necesse non est ,ut *immediate* post sacrum officium recitetur; indulgentia acquiritur, etsi temporis aliquod intervallum (complures horae) inter s. officium et hanc orationem intercedat. Ita. P. Noldin, 3, n. 323-8. 4.º

flexis genibus, praeterquam ab iis, *qui legitime impediti fuerint, infirmitatis tantum causa.* (S .C. Indulg.) .

Conceditur omnium defectuum remissio inadvertenter commissorum in recitatione Officii vel Missae auditione, si recitaverint *Pater Noster et Ave Maria*; vel Psalmum *Laudate Dominum omnes gentes*; vel commemorationem fecerint B. Virginis cum Antiphona et oratione; vel *Magnificat*: et qui illas ignorant per unam, *Salve, Regina.* Ex Summario Indulgentiarum, etc. Ordinis Excalc. B. V. de Monte Carmelo, § 4.—Privilegia ,n. 5... h) diei 8 Aprilis 1922.

316.—Q. *Quanam hora liceat incipere privatam recitationem Matutini cum Laudibus?*

R. Matutini et Laudum ex communi sententia est dies naturalis a media nocte ad mediam noctem perdurans; *facultativum* (ita ut non peccet qui hoc tempore Matutinum omittat, quamvis impossibilitatem illud tempore obligatorio recitandi praevideat) pro privata recitatione certo incipit die praecedenti, hora secunda postmeridiana, ut constat ex decreto S. R. C. 12 maji 1905, n. 4158.

Vi Bullae Cruciatae *hispanae,* Ecclesiastici omnes sive clerici saeculares sive regularis, libere possunt, recitatis vesperis et completorio, matutinum cum laudibus officii diei sequentis pridie recitare immediate post meridiem.

CAPUT III

DE OBLIGATIONE SERVANDI CLAUSURAM

Lex clausurae ab Ecclesia viris Regularibus imposita in multis differt a lege clausurae Monialibus imposita: ideoque separatim tractandum est de clausura virorum Regularium, et de clausura Monialium, per sex articulos, quorum primus erit de Religiosorum egressu extra clausuram in communi; secundus, de exitu e claustro quoad nos; tertius, de ingressu mulierum in monasteria virorum; quartus, de violatione clausurae Monialium per ingressum; quintus, de violatione clausurae Monialium per egressum; sextus, de accessu ad Moniales.

ARTICULUS I

DE RELIGIOSORUM EGRESSU EXTRA CLAUSURAM IN COMMUNI

317.—Q. *Quid intelligatur nomine clausurae, e qua Religiosi absque licentia Superioris egredi nequeunt?*

R. «Lege clausurae papalis afficitur tota domus quam communitas regularis inhabitat cum hortis et viridariis accessui religiosorum reservatis; excluso, praeter publicum templum cum

continente sacrario, etiam hospitio pro advenis, si adsit, et collocutorio, quod, quantum fieri potest, prope januam domus constitui debet» (can. 597, § 2).

318.—Q. *An et quo jure servanda sit a regularibus clausura papalis?*

R .Servanda est jure positivo ad normam can: 597, § 1: «In domibus regularium sive virorum sive mulierum canonice constitutis, etiam non formatis, servetur clausura papalis».

319.—Q. *Ad quid obliget sub hoc respectu clausura Regularium?*

R. Cum hic nomine clausurae intelligatur permanentia in loco materiali Monasterii, ad hoc obligat, quod nullus Religiosus e septis Monasterii absque legitima licentia Superioris, et accepta benedictione, exire audeat, sub gravi poena (Const. n. 110).

320.—Q. *Quanta sit obligatio clausurae pro Religiosis, qui ex ea sine licentia egrediuntur?*

R. Per se ex genere suo est obligatio gravis. Probatur: a) quia non tantum ex Regula, sed etiam ex lege ecclesiastica obligat; porro lex ecclesiastica in materia gravi sub gravi obligat; b) quia in violatores clausurae gravis poena infligitur; c) fundamentum autem hujus gravitatis est *jus Superioris ad gubernandum et custodiendum* suum subditum, quod graviter laeditur per hujusmodi exitum; nam subditus ita esse debet sub potestate Superioris, ut ab illo possit gubernari et custodiri vel imperari: a qua subjectione multum subtrahitur per suum discessum a Monasterio, invito vel inscio Praelato.

321.—Q. *Quaenam materia censeatur gravis in violatione hujusmodi clausurae?*

R. Gravitas materiae ex diuturnitate temporis, et maxime colligitur ex circumstantiis. Sic egressus ad longum tempus, etiamsi praecisa omni prava intentione et omni periculo, censetur gravis. Quantum autem spatium temporis censeatur longum, non conveniunt auctores. Alii docent peccatum mortale jam adesse, si egrediens habeat intentionem pernoctandi extra Monasterium. Alii vero requirunt duos vel tres dies, nisi in Religione exstet statutum in contrarium, vel Religioni ex hoc egressu infamiae vel scandali periculum immineat. Egressus autem per januam communem pro brevi tempore non censetur gravis; et hoc adhuc verum est, etsi pluries iteretur exitus, nisi tamen exinde grave nocumentum adduceretur disciplinae regulari.

Ex circumstantiis vero egressus est gravis, si Religiosus tempore nocturno egrediatur; vel si fugiat occulte, aut quasi

violenter, invito Praelato, ad vagandum per aliquod tempus, idque etsi tempus non sit valde diuturnum et vagatio non sit ad peccandum mortaliter; maxime si fiat cum scandalo ac infamia sive Religiosi sive Religionis, quae gigni solent ex tali fuga. Ex dictis patet Religiosum, qui egreditur absque licentia e monasterio, facilius peccare mortaliter, quam illum qui, accepta licentia permanendi extra Monasterium ad certum tempus, maneret extra claustrum ultra tempus assignatum pro reditu.

322.—Q. *An detur casus in quo licet Regularibus Monasterio egredi sine licentia Superioris?*

R. Affirmative, si nempe per breve tempus necesse sit egredi in bonum proximi spirituale aut temporale, et urgente necessitate, obtineri nequeat licentia, eo quod non reperiatur Superior. et sit periculum in mora. Sed postea admoneatur Superior..

323.—Q. *Quaenam requirantur ad licitum egressum?*

R. Haec duo, nempe: 1.º causa probata, et 2.º licentia Superioris. Tres autem sequentes requiruntur conditiones, ut hujusmodi licentia sit justa ,nempe: a) ut data fuerit a legitimo Superiore; b) ut omnino specialis sit singulis vicibus concedenda; c) ut generatim sit expressa.

Circa licentiam notanda: 1.º Cum licentia non sit dispensatio, subditus nunquam peccabit ratione clausurae violatae, si legitimus Superior sponte, etiam absque justa causa, consenserit. At quandoque peccare posset ratione cooperationis vel scandali. E contra, si subditus dolo aut fraude licentiam obtinuerit, tunc certe peccabit contra legem clausurae; 2.º Qui dubitat, utrum causa ab ipso allegata sit justa, stare poterit judicio Superioris; si autem ipsi constaret de insufficientia causae, licentia indebite data, uti non posset. 3.º Cum Superior possit aliis exeundi licentiam concedere, potest et illam sibi assumere: unde ipse, absque justa causa exiens, non praecise peccabit ratione clausurae violatae, sed hujusmodi exitus possunt esse peccaminosi ex alio capite, ratione nimirum scandali, aut nocumenti disciplinae regulari allati ex ipsius pravo exemplo.

324.- Q. *An Praelatus Regularis permittere possit, ut aliquis Religiosus extra Monasterium ad longum tempus maneat?*

R. Negative, sine gravi et justa de causa; pro absentia vero quae sex menses excedat, nisi causa studiorum intercedat, semper Apostolicae Sedis venia requiritur (can. 606, § 2).

325.—Q. *Quisnam Superior licentiam concedere possit subditis Romam petendi?*

R. Praepositus Generalis, ut constat ex Constitutionibus nostris, n. 117: «...pro accessu ad Urbem, requiritur Praepositi

Generalis expressa venia, excepto casu urgenti, in quo tamen Praepositus statim moneatur».

326.—Q. *Quaenam statuta sint pro bona custodia clausurae in Decretis pro reformatione Regularium?*

R. Haec quae sequuntur, statuit Clemens VIII, nempe: 1.º Ut constituatur fidelis clausurae custos, seu Janitor, qui januae custodiendae semper assistat, eamque nemini Fratrum aperiat, nisi socium et exeundi licentiam obtinuerit. 2.º Ut nullus exeat sine licentia. 3.º Ut Superior licentiam non concedat, nisi ex justa causa. 4.º Ut Superior exituro socium adjungat ab ipso designandum. 5.º Ut egrediens in egressu et reditu accipiat benedictionem Superioris. (Comp. Const. Ap. p. 25).

327.—Q. *An Religiosi sine licentia e Monasterio egredientes incurrant aliquam poenam?*

R. *De jure communi* nulla specialis statuitur. Ex jure nostro gravis poena ,in hoc casu, decernitur. (Const. n.—n. 110).

ARTICULUS II

DE EXITU E CLAUSTRO QUOAD RELIGIOSOS ORDINIS NOSTRI

328.—Q. *Quaenam a Constitutionibus nostris praescripta sint circa exitum Religiosorum e claustro?*

R. Sequentia praescripta sunt, videlicet:

1.º Curent Superiores, ut accurate observentur quae sive circa egressum subditorum e claustro, sive circa excipiendos vel adeundos extraneos, in propriis locis praescripta sunt (n. 13). Cfr. nn. 105-109.

2.º «Cum in Regula nostra graviter decretum sit, ut semper in cellis Fratres nostri perseverent, nisi aliis justis occasionibus occupentur, propterea admonemus religiosos nostros, ut legem claustrae stricte observent et parce admodum e claustro exeant, festis praesertim diebus, quibus domi attentius Deo vacandum est» (n. 103).

«Ob justas autem causas Fratres nostri e claustro exire poterunt. Cum vero nulla justior causa sit quam animarum salus procuranda, ad confesiones audiendas, ad verbum Dei praedicandum, ad juvandos morti proximos aliaque similia officia pietatis vocati, Fratres nostri a Superioribus, salva disciplina religiosa, mitti valeant, et tunc ad aliud se divertere non possint, et recessus exactam curam gerant» (n. 105).

3.º «Fratres domo exeuntes, ac redeuntes, coram SS. Sacramento, vel alio ad id designato loco breviter orent, ut Deus illorum exitum introitumque custodiat, et Superioris benedictio-

nem flexis genibus poscant; nullus autem e nostris, etiam hospes, Claustro sine Superioris venia egrediatur, sub gravi poena» (l. c., n. 110).

4.º Extra coenobium prodituri, induti palliis, benedictionem petant a Superiore flexis genibus, dicentes: *Benedicite*; accepta benedictione, ejusque pariter scapulare deosculati, coram SS. Sacramento, vel alio ad id designato loco solitas preces recitabunt. Post reditum vero, consuetis precibus loco solito recitatis, antequam pallia deponant, aut quidvis aliud aggrediantur, benedictionem a Superiore iterum poscant» (Ordin. N. Proem. n. 34).

329.—Q. *Quomodo exitus e claustro variis in casibus Religiosis nostris permittatur?*

R. 1.º Permittitur: *Definitoribus Generalibus*: «Non possint domo exire, nisi de licentia Praepositi, vel Vicarii Generalis, si fuerint in eadem domo» (Const. n. 456).

330. 2.º *Procuratori Generali*: «Domo autem exire non possit, nisi de licentia Praepositi Generalis, vel Vicarii Generalis, si fuerint in eadem domo» (n. 473).

3.º «Examinatores vero synodales, Poenitentiarii, Consultores Sacrarum Congregationum, Visitatores, et qui similia munera publica extra Ordinem, habent, quae sine Praepositi ,vel Provincialis venia a Religiosis nostris non Superioribus acceptari nequeunt, ad sua officia exercenda, petita benedictione, foras exire poterunt» (n. 107).

331. 4.º *Priori*: «Exitus e domo praesertim ad alias civitates, et oppida serio vitet, et Constitutiones, vel Ordinationes ea de re loquentes districte servet, servarique perficiat; compertum est enim, quantum domesticae observantiae, et subditorum profectui assidua Superioris praesentia conferat». (Instr. Prioris, n. 7).

332. 5.º *Definitoribus Provincialibus*: Absente Priore, possunt sine licentia Supprioris aut Vicarii non canonice electi domo exire, sicut Priores hospites; nec Supprior aut iste Vicarius faciet eis signum in actibus communitatis. (n. 552).

333. 6.º *Confessariis*: «Ad confessiones vero ordinarie audiendas non decumbentium, etiam principum et praelatorum, exire non possint, nisi de licentia Provincialis. (n. 105).

334. 7.º *Praedicatoribus*: «Ad loca, ubi conventum non habemus, nullus Frater ad conciones ultra triduanas faciendas mittatur,... sine venia Provincialis, qui concionatoris, extra conventum per notabile tempus permansuri, probitatem consideret» (n. 181).

335. 8.º *Religiosis parentes visitantibus*: «Ubi vero conventus nostri Ordinis non fuerit, Religiosi nostri, ad consanguineos invisendos, si ibi pernoctare debeant, a Superiore locali non mittantur, nisi de Provincialis in scriptis licentia (n. 109).

336. 9.º *Religiosis iter agentibus*: «Superiores omnes, circa licentias exeundi et extra claustra manendi impertiendas, limites sui juris observent. Superior localis nec exire nec subdito exeundi veniam dare possit ultra centum kilometra a conventu, vel extra Provinciam, vel ultra tres dies, absque expressa Provincialis licentia; cujus tamen sufficiat licentia habitualis, si de saepius occurrentibus agatur, praesertim de sacro ministerio exercendo, aut de stipe quaeritanda. Priore vero aut Vicario foras egresso et eodem die reversuro; qui domui praeest nec exire, nec exeundi veniam aliis quam Procuratori ad negotia expedienda, aut praedicatori ad concionandum, et confessariis ad infirmos audiendos egressuris dare poterit. At si necessitas urgeat, ut ipse vel alius exeat, re cum primo Discreto vel antiquiore Patre collata, id fiat» (n. 116).

337. «Superior autem Provincialis nec ipse nec subditis extra Provinciam ultra quingenta kilometra eundi, vel ultra mensem commorandi licentiam concedere valet. Pro exitu vero ultra praedicta terminos et tempus, aut pro accessu ad Urbem, requiritur Praepositi Generalis expressa venia, excepto casu urgenti, in quo tamen Praepositus statim moneatur. Si autem ultra hebdomadam protrahi debet commoratus in alia Provincia, hujus Provincialis de loco et causa commoratus certior fiat; ad concionandum vero in aliam Provinciam inconsulto ejusdem Provinciali nemo mittatur» (n. 117).

338. «Superioribus fas non est permittere, ut subditi extra domum propriae Religionis degant, nisi gravi et justa de causa. Pro absentia vero quae sex menses excedat, semper Apostolicae Sedis venia requiritur, nisi causa studiorum intercedat, quia tunc licentia Praepositi Generalis sufficiet. Nullus tamen extra conventum habitare sinatur, ut alicui etiam Cardinali vel Principi sit a sacris confessionibus» (n. 118).

339. «Nemo e conventu, sub praetextu Superiores suos adeundi, quamvis justa de causa, egrediatur sine venia ejus quem adire voluerit, sub poena pro culpae modo ei imponenda. Qui autem a Praeposito, vel dum Ordo noster Praeposito caret, a Vicario Generali vocantur, nisi infirmitate, vel periculo inevitabili detineantur, absque ulla excusatione venire teneantur, sub poena depositionis ,si fuerint Superiores; si vero subditi, ab eorum immediatis Superioribus et a Provinciali, sub eadem poena et sub privatione vocis activae et passivae per sex men-

ses, omnino mittantur. Non prohibemus autem quempiam eisdem Praeposito vel Vicario Generali justum impedimentum exponere; si tamen ab ipsis non admittatur, sub eadem poena quicumque vocatus venire teneatur» (n. 119).

340. 10.º *Religiosis ambulationem facientibus*:

«Singulis annis quater vel sexies, ut plurimum, omnes conventus Fratres foras exire possint (n. 147). Poterit Superior, sanitatis gratia vel ad animi distractionem, Religiosos alternis saltem hebdomadibus ad deambulandum in agrum mittere (n. 148).

341. 11.º *Superiori locali et Procuratori*:

«Superior localis et Procurator quorum exitu et labore ceteri Fratres intra claustra perseverant, ad expedienda negotia, justa ex causa, egrediantur. Poterit etiam alius, qui Procuratoris vices gerat, exire; ita tamen, ut quando Procurator fuerit extra domum, alius loco Procuratoris exire nequeat. Hortamur autem illos, ut, si fieri possit, negotia omnia in unum, duosve dies hebdomadae conferant, quibus ea prodeuntes expediant». (n. 108).

«Prodeundi licentia ita non abutatur, ut quoad possit, exitu abstineat, et cum prodire necesse fuerit, sit valde in actibus moderatus, atque ad reditum expeditus» (Instr. Proc. n. 12).

342. 12.º *Eleemosynas petentibus*:

«Cum Fratres nostri ex Instituto mendicantes sint, eleemosynas in dioecesi, ubi nostrae domus sunt constitutae, quaerere valeant de sola Superiorum licentia; extra dioecesim vero indigent praeterea licentia scripto data ab Ordinario loci, in quo eleemosynas colligere cupiunt».

«Ubi quaestuationis causa e conventu finitimo unius Provinciae ad territorium, in quo sint conventus alterius Provinciae, consuetudo eundi vigeat, vel rationabilis causa id faciendum suadeat, hoc fiat de consensu utriusque Provincialis» (nn. 120 et 121).

«Non licet Superioribus nostris stipem colligendam committere nisi professis, aetate animoque maturis, numquam autem iis, qui in studia adhuc incumbunt; quaestuatio autem ordinarie Fratribus Donatis committatur. Religiosos quoque Choristas ad eleemosynas petendas extra oppida et civitates in quibus conventus habemus, mitti non prohibemus; sed hoc ne fiat nisi in casu necessitatis et pro rebus a Provinciali determinandis» (n. 122).

«Quod vero attinet ad modum in quaeritanda stipe servandum et ad disciplinam a quaestuantibus custodiendam, Fratres nostri stare debent Instructionibus a Sancta Sede hac de re datis, necnon Instructionibus nostris» (n. 123).

Instructiones emanatae a S. Sede sunt; Decretum S. C.

Episcoporum et Regul. «Singulari» die 27 mart. 1896 pro sororibus religiosis (1), et Decr. S. C. de Relig., 21 nov. 1908 (2).

13.º «Ad mortuos autem sepeliendos et Processiones publicas Fratres nostri non exeant, nisi in terris infidelium vel ubi haereses grassantur, aut quando peculiaris aliqua necessitas id exigat judicio Provincialis (n. 106).

ARTICULUS III

DE INGRESSU MULIERUM IN MONASTERIA VIRORUM

343.—Q. *Quid veniat hic nomine clausurae?*

R. Clausurae nomine venit totum illud spatium, quod intra septa monasterii aut conventus continetur, id est, cellae, officinae, dormitorium, infirmaria, coquina et hujusmodi alia; itemque viridaria seu horti et prata cum conventu et clausura conjuncta; sylvae etiam, si intra septa contineantur sub clausura comprehenduntur. Quae omnia loca muro aliove modo circumscribi ordinarie solent; at si penitus vallata non sint, nihilominus sub clausurae nomine veniunt.

344.—Q. *An Sacristia in clausura contineatur?*

R. Si ad sacristiam non patet ingressus nisi per claustra monasterii, in clausura continetur; si vero ingressus tantum datur per ecclesiam, in clausura non continetur. Quod si duplicem habeat ingressum, unum per claustra et alterum per ecclesiam, non continetur, ut patet ex verbis can. 597, § 2, *cum continente sacrario,* et idem dicendum de choro, si accessus sit ad ipsum per ecclesiam.

345.—Q. *A quonam Superiore designari debeat clausura?*

R. «A Superiore majore vel Capitulo generali secundum constitutiones, aut, si agatur de monasterio monialium, Episcopi erit clausurae fines accurate praescribere aut legitimis de causis mutare» (can. 597, § 3). Potest igitur, ait P. Prümmer, M. J. C. q. 227, e. gr. Superior Provincialis ex rationabili causa mutare clausuram modo transeunti vel etiam permanenti, ita ut aliqua pars domus religiosae sit extra clausuram, cui consonant nostrae Constitutiones, n. 104, ubi dicitur: «Superioris vero Majoris erit clausurae fines accurate praescribere, aut legitimis de causis mutare».

(1) Acta S. S. 27, 555.
(2) A. A. S. 1, 153.

346.—Q. *An Superior Provincialis possit variare vel auferre obligationem clausurae ab aliquo loco monasterii, ad effectum ut mulieres admitti possint in illa loca?*

R. 1.º Non potest quoad clausuram necessariam, ut patet. 2.º Secus vero, dum agitur de clausura arbitraria; sic enim Praelatus, qui potest indicere hujusmodi clausuram, poterit et illam auferre, et variare, justa scilicet interveniente causa, cum res per quas causas nascitur, per eas et dissolvatur; quod tamen non procedit de Superiore, cujus potestas non extenditur ad indicendum dictam clausuram. Quod detur hujusmodi justa causa, Superior non facile praesumat; sed sit valde tenax in conservanda clausura semel stabilita. (Cfr. Pelliz. I-594, n. 29).

347.—Q. *Quonam iure prohibitus sit mulieribus ingressus in clausuram monasterii Religiosorum?*

R. Certum est non obstare jus naturale introductioni mulierum in hujusmodi clausuram, si cum debita decentia et absque ullo scandali periculo fiat; sed introductio mulierum, quae ratione circumstantiarum periculosa esse posset, aut aedificationi contraria, hoc ipso jure naturali prohibita censeri debet. Sed lex ecclesiastica prohibet, ne mulieres admittantur, his verbis: «Intra regularium virorum clausuram ne admittantur mulieres cujusvis aetatis, generis aut conditionis sub quovis praetextu» (can. 598, § 1). Eximuntur ab hac lege uxores eorum qui supremum actu tenent populorum principatum, cum comitatu (ib. § 2). Ergo etiam Reginae et earum filiae in Hispania ingredi possunt clausuram regularium virorum et mulierum (1).

Regina ergo et ejus filiae, in Hispania, ingredi possunt Eremi clausuram, quae reducta est ad terminos juris communis, ut patet ex nostris Constitutionibus novissime a S. Sede approbatis (n. 328).

Regularium virorum: Lex enim clausurae et excommunicatio Sedi Apostolicae simpliciter reservata contra ejus violatores lata, afficiunt omnes et solas domos Ordinum proprie Regularium, minime vero Congregationum religiosarum. Vi can. 2342 hac excommunicatione plectuntur: Mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliique, quicumque ii sint, eas cujuscunque aetatis introducentes vel admittentes.

348. *Et Superiores aliique, quicumque ii sint, eas admittentes*: *Admittentes* censendi sunt Superiores aliive ad quos specialiter pertinet custodia clausurae, si, cum possint, mulieres ab ingressu non arceant. Ceteri vero Religiosi, tantum in casu quo ingredi volentibus positivum praestarent adjumentum, v. gr. invi-

(1) Cfr. Comment. pro Relig. 2. p. 48, nota (6).

tantes, aut januam aperientes, permissionem auctoritative concedentes.

Non autem comprehenduntur, saltem probabiliter, illi qui ingressas ex urbanitate tantum salutant, vel per conventum comitantur, etiamsi causa sint cur diutius in monasterio maneant.

349.—Q. *An praeter excommunicationem, adhuc existant aliae poenae contra violatores clausurae statutae?*

R. Affirmative: «Religiosi introducentes vel admittentes priventur officio, si quod habeant, et voce activa ac passiva». (can. 2342, 2.º).

350.—Q. *An liceat mulieribus in claustra virorum Regularium intrare ad assistendum Missae, processioni aut sepulturae?*

R. Certum est, ex Bulla citata Bened. XIV irritam fore licentiam, quam quilibet Praelatus Regularis daret ad ingrediendas monasterii partes, quae necesario et ex ipso jure clausurae subjacent; sed non ita liquet per eamdem Const. revocatam esse facultatem, quam S. Pius V concesserat Cartusiensibus Montis Virginis, et vivae vocis oraculo ad omnes Regulares extenderat; admittendi scilicet mulieres intra claustra, ut interesse possint Missis, processionibus, exsequiis ,aliisque sacris functionibus ibidem peragendis. Nam Benedictus XIV ea, quae eliminare voluit, abusum vocat; quae vox profecto in concessionem S. Pii V per se sumptam cadere non potest. Quare plures auctores, etiam recentes, v. gr. Penn. (I. p. 798) haud immerito existimant eam concessionem adhuc permanere, saltem ubi viget consuetudo immemorabilis, quae, judicio Ordinarii, non possit submoveri. (Cfr. Génicot, II, n. 600).

In nonnullis Regularibus Ordinibus, qui intra monasterium cubiculum habent S. Fundatoris, vel alterius Sancti, legitima consuetudo adest admittendi fideles utriusque sexus die ejusdem festo. Quo in sensu, ait Elbel (n. 671) quoad modum servandi clausuram, attendendas esse legitimas consuetudines ac rationabiles, auctoritate Superiorum approbatas: non autem eas, quae potius abusus et corruptelae dicendae sunt.

Postquam optime hanc tractavit quaestionem, tradit Penn. (I-801) practicam conclusionem: Mulieres eo modo clausuram ingredientes neque spernunt neque violant clausuram. Ad summum dicendae erunt eam bona fide violare, proinde sine peccato et censura; sed neque Superiores aliive Regulares eas admittentes, violant clausuram. Attamen desiderandum est, ut ejusmodi consuetudines, si adhuc supersint, eliminentur; nescimus enim quid per mulierum ingressum intra claustra capiant Regulares utilitatis; nescimus quid gratiae accipiant mulieres.

In nonnullis regionibus,. ait P. Prümmer, M. J. C., q. 227-3, exsistunt consuetudines immemorabiles, quae permittunt, ut mulieres in certis sollemnitatibus processionaliter ingrediantur regularium clausuram. Cum autem tales consuetudines immemorabiles non sint hic expresse revocatae, possunt tolerari, si Ordinarius prudenter existimet, eas non posse submoveri.

351.—Q. *An religiosi admittentes in clausuram puellas septennio minores incurrant excommunicationem?*

R. Affirmative, ut constat ex dictis n. 347.

352.—Q. *Quisnam sit finis legis clausurae?*

R. Finis hujusmodi est multiplex ,nempe: 1.º Ut Religiosorum quieti et tranquilitati consulatur; 2.º ut ab eisdem amoveantur omnia, quae illos a spiritualium rerum cogitatione et exercitio avocare possint; 3.º ut quaelibet impedimenta tollantur, et pericula, quae ex frequentatione mulierum oriri solent; 4.º tandem ut omnis occasio scandalorum ob mulierum ingressum removeatur.

353.—Q. *An hospitia subjiciantur legi clausurae?*

R. Affirmative, clausura enim papalis servanda est etiam in domibus non formatis ad mentem can. 597, § 1.

ARTICULUS IV

DE CLAUSURA MONIALIUM DEQUE EJUS VIOLATIONE PER INGRESSUM

354.—Q. *Quid veniat nomine clausurae Monialium?* (1)

R. Venit totum illud spatium, quod ambitur et clauditur muris, parietibus seu septis monasterii; unde quidquid in illo continetur, censetur clausura.

Monasterii tectum extra clausuram est, et ex eo probatur, quod S .C. Ep. et R. mandavit absolvi cum poenitentiis salutaribus quasdam Moniales, quae bona fide ascenderant supra tecta ad siccanda frumenta .(Cfr. Lucidi, II, 134 n. 43). Rota, quae devolvitur ad partem exteriorem, ad quam saeculares accedere possunt, censetur etiam extra clausuram. (Cfr. Gury. Cas. II, n. 1140).

355.—Q. *Quotuplex clausura Monialium distinguatur?*

R. Duplex: *papalis* nempe et *episcopalis*, prout a Papa vel ab Episcopo stabilitur. In eo differunt: a) quod in priori solus

1 Cfr. Instructio de clausura monialium votorum sollemnium. (Acta A. Sedis XVI, 96). Appendix IV.

Papa possit disensare extra casus in lege statutos; in posteriori vero Episcopus plenam habeat dispensandi potestatem; b) insuper prioris transgressione incurruntur poenae a SS. Pontificibus statutae; posterioris vero transgressores poenis ab Episcopo forte statutis tantum plectuntur. In sequentibus agemus tantummodo de clausura papali; quum episcopalis a quolibet speciali Episcopo dependeat. Attamen ea, quae statuuntur ad fidelem custodiam clausurae papalis, multis in casibus praebebunt normam practicam servandi clausuram episcopalem.

356.—Q. *Quaenam monasteria Monialium habeant clausuram?*

R. Attenta praesenti Ecclesiae disciplina, clausurae observantia adeo connexa est cum vero proprieque dicto statu Sanctimonialium, ut, nequeat consistere monasterium cum sollemnibus votis, quin ibidem observetur Pontificia seu papalis clausura, et Pontif. Commissio, 1 Mart. 1921 declaravit non esse papalem clausuram earum monialium, quarum vota, quamvis ex Instituto deberent esse sollemnia, tamen in aliquibus locis ex praescripto S. Sedis sunt simplicia. (Acta A. S., XIII, 177).

357.—Q. *Qualis debeat esse clausura?*

R. «Clausura monialium ita circumscripta esse debet ut, quoad fieri potest, nullus sit in eam vel ab ea prospectus externarum personarum» (can. 602).

«Clausura monialium, etsi regularibus subjectarum, sub vigilantia est Ordinarii loci, qui potest delinquentes, regularibus viris non exceptis, poenis quoque ac censuris corrigere et coercere» (can. 603, § 1).

«Etiam Superiori regulari custodia clausurae monialium sibi subjectarum commissa est, qui moniales aut alios suos subditos, si quid hac de re deliquerint, poenis quoque punire potest» (ib. § 2).

358.—Q. *A quonam introducta sit clausura monialium?*

R. Clausurae lex pro monialibus primitus introducta est a Bonifacio VIII. Nam licet in antiquis canonibus multa sint hujus clausurae praecepta, nullibi tamen erat absolute injuncta; sed dependenter fere a legitima facultate Abbatisae. Quae lex, cum multis in locis, aut non fuisset in praxim deducta, vel tractu temporis in desuetudinem abiisset, fuit renovata a Conc. Trid. (Sess. 25, c. 5 de Regul.) et confirmata a Pio V, Constit. *Decori et honestitati,* 1 Febr. 1569, a Gregorio XIII, Consti. *Deo sacris,* 31 Dec. 1572, et aliis. Tandem Codex J. C., can. 2342, renovans ea, quae praescripsit Pius IX in sua Constit. «Apostolicae Sedis» 12 Oct. 1869, sequentia statuit: Plectuntur ipso facto excommunicatione simpliciter reservata Sedi Apostolicae:

1.º Clausuram monialium violantes, cujuscumque generis aut conditionis vel sexus sint in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes; quod si clerici sint, praeterea suspendantur per tempus pro gravitate culpae ab Ordinario definiendum» (1).

359.—Q. *Quisnam sit finis illius prohibitionis?*

R. Finis est, ut moniales a publicis et mundanis conspectibus separatae, omnino liberius servire Deo valent, et lasciviendi opportunitate sublata, eidem corda sua et corpora in omni sanctimonia diligentius custodire.

360.—Q. *Quibusnam personis interdicatur ingressus in monasteria monialium?*

R. «Intra monialium clausuram nemo, cujusvis generis, conditionis, sexus, aetatis admittatur sine Sanctae Sedis licentia, exceptis personis quae sequuntur» (can. 600).

1.º Ordinario loci aut Superiori regulari, monasterium monialium visitantibus vel aliis Visitatoribus ab ipsis delegatis licet clausuram ingredi dumtaxat inspectionis causa, cautoque ut unus saltem clericus vel religiosus vir maturae aetatis eos comitetur;

2.º Confessarius vel qui ejus vices gerit potest, cum debitis cautelis, ingredi clausuram ad ministranda Sacramenta infirmis aut ad assistendum morientibus;

Ad deferendam communionem monialibus infirmis, in defectu confessarii vel capellani, quilibet sacerdos legitime vocatus potest ingredi clausuram, sed ex declaratione S. C. de Relig. 1 Sept. 1912: «Oportet autem, ut quatuor religiosae maturae aetatis, si fieri possit, ab ingressu in clausuram usque ad egressum, sacerdotem comitentur, qui sacram pyxidem aliquas consecratas particulas continentem deferre, s. Communionem administrare, reverti ad ecclesiam eandemque sacram pyxidem reponere debet, servatis rubricis a Rituali Romano pro communione infirmorum statutis (Acta A. S., IV, 626).

3.º Possunt clausuram ingredi qui supremum actu tenent populorum principatum eorumque uxores cum comitatu; itemque S. R. R. Cardinales:

4.º Antistitae est, adhibitis debitis cautelis, ingressum permittere medicis, chirurgis, aliisque quorum opera sit necessaria, impetrata prius saltem habituali approbatione ab Ordinario loci, si vero necessitas urgeat nec tempus suppetat approbationem petendi, haec jure praesumitur. (can. 600, 1.º, 4.º).

Censuram incurrunt *Ordinarii* qui illicite ingrediuntur clausuram, sine justa et gravi causa.

1 Nomine *Ordinarii* intelligitur Ordinarius loci, si clericus est saecularis; si vero religiosus, Superior major religionis clericalis exemptae, cui reus subditus est.

361.—Q. *Quasnam poenas incurrant Monialium clausuram violantes per ingressum?*

R. Poenam excommunicationis Sedi Apostolicae simpliciter reservatae. Eamdem poenam incurrunt *introducentes,* qui nempe positive cooperantur ad ingressum, intus mittendo, seu ingredi volenti januam aperiendo; et *admittentes,* qui scilicet ingressum non prohibent, cum possint et debeant ex officio, nempe praefectae et ostiariae.

362.—Q. *An Moniales, quae infantes nondum usu rationis gaudentes introducunt vel admittunt, huic poenae subjiciantur?*

R. Controvertitur; sed probabile videtur non incurri excommunicationem in hoc casu, ut tenent Vermeersch, Epit. I. C. 1.º n. 613; Blat, de Personis, pág. 696; P. Ferreres, 2.º n. 236: quia in can. 2342, 1.º desunt verba «cujuscumque aetatis», et in odiosis «quod minimum est, tenendum». Cavigioli, De Censuris Latae Sententiae, n. 130. Contrarium vero tenent P. Marc. n. 1334 et Pighi, Censurae Latae Sententiae, n. 49.

363.—Q. *Quaenam conditiones requirantur, ut Moniales introducentes vel admittentes, excommunicationem incurrant?*

R. 1.º Requiritur, ut sciant personas intrantes legitima licentia esse destitutas.

2.º Insuper requiritur, ut cognoscant illas personas justam non habere causam monasterium ingrediendi, non obstante legitimae licentiae carentia.

3.º Tandem requiritur, ut cognoscant legem hujusmodi actus prohibentem, atque poenam contra legis transgressores statutam.

ARTICULUS V

DE VIOLATIONE CLAUSURAE MONIALIUM PER EGRESSUM

364.—Q. *Quid importet haec lex clausurae Monialibus imposita?*

R. Importat, ut nulla monialium post professionem valeat exire e monasterio, etiam ad breve tempus, quovis praetextu, sine speciali Sanctae Sedis indulto, excepto casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali (can. 601, § 1).

«Hoc periculum, si tempus suppetat, scripto recognoscendum est a loci Ordinario» (ib. § 2).

Novitiae igitur et postulantes non comprehenduntur sub hac prohibitione; ideo eis licet e monasterio egredi, quoties ipsis amplius non placuerit vitam religiosam ibidem ducere.

Explanatur: Casus illi, juxta sententiam communem Doctorum, sunt tantummodo tres notati in Const. Pii V, nempe: *grave incendium, lepra et epidemia.*

Auctores autem alios enumerant casus, tribus praedictis consimiles, et aeque aut magis graves, ut v. gr. imminens bellum, inundatio fluminis, ruina aedificii, in quibus permissus est egressus. Circa modum seu formam egressus standum est Const. Pii V «Decori». Porro forma est, quod habeatur, praeter justam causam, licentia Episcopi in scriptis data, etiamsi praedicta monasteria ejus jurisdictioni non subjiciantur, si tamen licentia haec haberi possit, et periculum non sit in mora.

365. — Q. *An Monialis electa in Abbatissam alterius monasterii, possit egredi e suo monasterio absque indulto Apostolico?*

R. Negative, ex praescripto can. 601, § 1, ut n. 364, dictum est.

366. — Q. *Quaenam poenae latae sint in violantes clausuram per egressum?*

R. Excommunicatio, S. Sedi simpliciter reservata, lata est contra Moniales e clausura exeuntes extra casus a jure statutos.

367. — Q. *Quam poenam incurrant clausuram Episcopalem violantes?*

R. Si Episcopus poenam statuerit, ad normam can. 604, § 3, sorores, illegitime exeundo, clausuram violantes, illam incurrunt, sicuti omnes, exceptis quibus de jure absque legitima causa, clausuram ingredientes.

ARTICULUS VI

DE ACCESSU AD COLLOQUENDUM CUM MONIALIBUS

368. — Q. *Quaenam a iure statuta sint quoad accessum ad colloquendum cum Monialibus?*

R. 1.° Sub gravi antiquitus prohibebatur tum Clericis tum laicis *frequens accesus ad colloquendum* cum Monialibus ad crates, sine speciali facultate, et sine rationabili ac manifesta causa, et ubi non adsit legitima consuetudo in contrarium. Ista autem frequentatio in eo consistit, quod quis tribus diebus continuis, aut quater in hebdomada, vel semel singulis mensibus per annum circiter monasterium adeat.

2.° Regularibus vero ista cum monialibus collocutio speciatim prohibebatur, sed hujusmodi prohibitiones post Codicem J. C. jam non sunt in vigore *de jure communi*. Veruntamen cum fre-

quens accessus ad collocutorium soleat spiritui religioso grave detrimentum afferre, hinc statuit Codex, can. 605, sequentia: «Omnes, quibus est clausurae custodia, sedulo advigilent, ne, alienis invisentibus, inutili collocutione disciplina perturbetur et spiritus religionis detrimentum patiatur».

«Nullus e nostris Fratribus ad crates monasterii alicujus Monialium accedat, nisi licentia facta fuerit ab eo ad quem attinet eam concedere, sub poena pro culpae modo infligenda» (Const. n. 105).

369. Haec autem prohibitio sic exponitur in Const. Monialium nostrarum (c. 3, n. 36): «Prohibemus etiam, ne moniales illarumve Priorissae vel Praefactae, ullo modo admittant in sua Monasteria, locutoria, turnos aut crates, quoscumque Fratres aut Religiosos, etiam proprii Ordinis, absque licentia, saltem habituali, Praepositi Generalis vel Provincialis, qui eam concedant tantummodo justa et rationabili causa.

370.—Q. *Quid judicandum de his dispositionibus relate ad Moniales O. N.?*

R. Illae sunt omnino conformes juri communi: hodie tamen distinguendum est inter regiones, ubi Moniales nostrae adhuc vota emittunt sollemnia, et eas, in quibus solummodo vota emittunt simplicia; in priori casu, dispositiones illae suam habent integram applicationem, nisi alicubi legitima consuetudo aliquam modificationem induxerit. In posteriori casu, hae dispositiones eo ipso sunt abrogatae quoad poenas, sed non quoad directionem. Ideoque attendi debet in primis ad praescriptiones a Superiore forte datas, et ad laudabiles in monasterio vigentes consuetudines. Quoad extraneos generatim non requiritur specialis Superioris licentia; quoad Religiosos nostros, requiritur licentia Provincialis, saltem habitualis.

371.—Q. *Quaenam sint observanda a Monialibus nostris quoad usum locutorii?*

R. «Moniales a nullo cerni, seu conspici possint absque interposito velo, nisi a parentibus, et germanis fratribus et sororibus, aut in casu, quo videatur ita justum esse, quam in praedictis, propter aliquam necessariam, vel rationabilem causam permitti, ab illis tantum personis, quae exercitiis orationis, et consolationum spiritualium magis adjumento sint, quam recreationi, idque semper adhibita una saltem auscultatrice, vel ipsa etiam Priorissa» (Const. c. 3. n. 24).

Notandum. Illa dispositio est sat elastica, et, si Priorissa est facilis ad concedendam suis Monialibus facultatem loquendi, velo sublato, praebere poterit, hac in re, occasiones abusuum. Ideoque Provincialis invigilet, praesertim tempore Visitationis

regularis, et praescribat ea, quae necessaria sunt ad abusus praecavendos.

372. «Claves locutorii, seu cratium ferrearum, et portae Monasterii, penes Priorissam custodiantur. (l. c., n. 25).

Saecularia negotia, nec curent, nec tractent Moniales, nisi forte remedium aliquod eis, qui de illis loquuntur, afferre in rebus molestis visae fuerint, quod si alicujus etiam fructus spes abfuerit, cito hujusmodi sermones terminent. Multum enim refert, ut aliquid lucri, non autem temporis jactura, ex ipsarum Monialium visitatione reportetur. Idipsum autem diligenter curet auscultatrix, et quoties hoc non observabitur, id Priorissae significet; quod si non significaverit, in eamdem poenam, et ipsa cum contraveniente incidat; sed tunc tamen ubi semel, et iterum Monialem de eo admonuerit, tertia vero vice, si contumax fuerit, per novem dies a Communitate separata permaneat, et tertio quoque die in Refectorio disciplina puniatur, cum id quidem plurimum Religionis intersit. (l. c., n. 27).

A sermonum prolixitate, cum parentibus aliisque cognatis, quam fieri potest maxime abstineant; nam praeterquam quod cognatarum negotia valde animo haerent, difficillimum erit aliqua etiam saecularia negotia non immiscere. (l. c., n. 28).

In universum vero cum extraneis quamvis consanguineis vel propinquis etiam valde conjunctis, quam rarissime fieri potest, colloquantur, nisi de divinis rebus sit sermo, et tunc quam citissime se expediant: (l. c., n. 29).

Quia vero Religiosi spectaculum facti sunt Deo, Angelis et hominibus, (ut Apostolus ait), nihilque populum magis offendit quam facilis accessus ad Moniales, et eo amplius ingressus in monasteria, nulla cogente necessitate; ideo mandamus praecipue curari, ut Religiosi ad Monasteria dictarum Monialium nullatenus accedant» (l. c., n. 31).

SECTIO IV

DE OBLIGATIONIBUS, QUAE PROFLUUNT EX REGULA NOSTRA

Haec Sectio tribus constat capitibus: in primo agetur de obligatione servandi Regulam in communi; in secundo, de obligatione servandi Regulam O. N.; in tertio, de obligatione servandi Constitutiones O. N.

CAPUT I

DE OBLIGATIONE SERVANDI REGULAM IN COMMUNI

373.—Q. *Quid et quotuplex sit Regula Religionum?*

R. 1.º Regula est quasi exemplar et mensura eorum, quae ex vi votorum tenentur exequi Religiosi, quemadmodum non te-

nentur obedire nisi in his, quae aliquo modo regulam professam concernunt; et e contra, omnia, quae ex vi votorum facere tenentur, debent esse in regula contenta. In jure canonico, regula pro lege desumitur, quatenus mores Religiosorum dirigit, per modum ordinationis obligationem habentis: et sic ex regula Religiosi vocantur *Regulares*. Regula autem definiri potest: Constitutio ecclesiastica ab Ecclesia approbata, qua omnes Religiosorum actus ad ejusdem Regulae finem diriguntur.

R. 2.º Quinque sunt regulae principaliores in Ecclesia approbatae ,nempe: regula SS. Basilii, Augustini, Benedicti, Francisci, et Carmelitana, juxta n. 16 supra relatum.

374. — Q. *An religiosi teneantur suam Regulam servare?*

R. Affirmative, non solum quia professi sunt secundum ipsam vivere, sed etiam quia Codex J. C., can. 593, hoc praescribit his verbis: «Omnes et singuli religiosi, Superiores aeque ac subditi, debent, non solum quae nuncuparunt vota fideliter integreque servare, sed etiam secundum regulas et constitutiones propriae religionis vitam componere atque ita ad perfectionem sui status contendere».

375. — Q. *Quomodo Regula obliget?*

R. Regula obligare potest *sub gravi* vel *sub levi,* vel solummodo *sub poena*. Quando obligat *sub gravi,* Religiosus suam regulam transgrediens in materia gravi, peccat mortaliter; quando obligat *sub levi,* tunc Religiosus eam violans, etiam in materia gravi, non peccat nisi venialiter, *ratione regulae violatae,* etsi posset peccare mortaliter ex alio capite; quando autem tantum obligat *sub poena*, Religiosus regulam transgrediendo eo ipso non peccat, nequidem venialiter, sed tenebitur ad poenam subeundam in ipsa regula taxatam, vel a Superiore imponendam. Imo talis regula dici potest obligare, *saltem indirecte,* ad culpam aliquam. Ratio est, quia adhuc hujusmodi regula obligat in conscientia ad patiendam poenam impositam, et dat Superiori jus ad puniendum tali poena ipsius transgressorem; ergo si Religiosus nolit subire talem poenam, peccabit juxta gravitatem materiae et circumstantiarum; ac per consequens talis regula ad aliquam culpam obligat, saltem indirecte.

Ex dictis patet, quomodo simul stare possint haec duo: aliquam regulam non obligare sub ullo peccato, et tamen non esse merum consilium. Et sane, qui regulam violat, puniri potest a Superiore, et ad subeundam poenam in conscientia tenebitur. E contra Religiosus, qui omittit aliquid consilii, ob eam omissionem puniri non posset, nec teneretur subire poenam, si forte imponeretur.

376.—Q. *Quomodo dignosci possit ad quid obliget Regula?*

R. In primis ex ipsamet regula, vel authentica ipsius legislatoris declaratione. Quum eo modo non constat, attendenda est communis acceptio, existimatio et sensus Religionis, cui regula fuit tradita; quia communis acceptio et consuetudo est optima legum interpres. Quum autem neque de hoc constat, textus ipsius regulae est inspiciendus. Si res, quae in illa continentur, non exprimuntur per verba praeceptiva, uti sunt: *mandamus, praecipimus, prohibemus, inhibemus,* nec praecepto aequipollentia, ut sunt: *statuimus, ordinamus, decernimus*; sed per alia communia ,v. gr.: *volumus, monemus, hortamur*, tunc regula censetur non obligare ad culpam; ratio est, quia, cum illa verba communia sint praeceptis et consiliis, dubia sunt et obscura, utrum scilicet obligent, necne, ad culpam: porro in dubiis et obscuris amplectendum est id, quod est, minimum. Quod maxime debet procedere in Institutionibus regularum; quia, cum hae summopere curent utilitati spirituali Religiosorum prospicere, illisque saepius sit nociva multiplicatio praeceptorum ad culpam obligantium, credendum est, similibus verbis nolle obligare ad culpam.

377.—Q. *Quando Regula in materia gravi sub gravi obligat, quomodo dignosci possit gravitas materiae?*

R. Quamvis pro materia gravi definienda, non facile possit assignari norma fixa, et prudentis arbitrio saepius relinquatur, dicendum tamen est, illam esse gravem, quae vel ratione sui, vel ratione circumstantiarum boni communis, multum conducat ad finem a legislatore intentum; e contra vero, eam esse levem, quae nec ratione sui, nec ratione talium circumstantiarum ad praedictum finem multum conducit .(Cfr. Lez, I, 46).

378.—Q. *An Regula, quae per se sub gravi non obligat, imo nec sub levi, sed tantum sub poena, possit per accidens obligare graviter?*

R. Affirmative, in eis nempe adjunctis, quae violationem regulae mortaliter peccaminosam reddunt; et fit in sequentibus casibus: 1.º si violatio legis fiat ex contemptu formali; 2.º si annexum habeat periculum proximum labendi in peccatum mortale; 3.º si grave damnum inferat observantiae disciplinae regularis; 4.º si secum trahat violationem voti; 5.º si Religiosum exponat periculo gravi expulsionis; 6.º tandem si secum trahat violationem praecepti tendendi ad perfectionem.

379.—Q. *An Religiosus agendo contra Regulam sub poena tantum obligantem, peccet quandoque venialiter?*

R. *Per se* non peccat venialiter, siquidem regula non obligat sub veniali; sed *per accidens* potest facile peccare venialiter quando scilicet ex negligentia, torpore, libidine, vel mala consuedine movetur ad violationem regulae. Religiosus autem, qui his motivis ductus, agit contra regulam, peccat saltem venialiter, non vero *ratione regulae violatae,* sed ratione negligentiae, torporis, libidinis, vel malae consuetudinis. Ex his patet quam miserabiliter errant Religiosi inobservantes, qui flocci faciunt transgressiones regulae, eo quod sub peccato non obliget.

380.—Q. *An Regula differat a Constitutionibus?*

R. Regula proprie dicta omnino differt a constitutionibus, nempe: 1.º in eo, quod regula, ut in plurimum, ab antiquo aliquo S. Patriarcha est constituta, et a SS. Pontificibus pro Religione approbata; e contra constitutiones non ita, cum illae a Praelatis, aut Capitulis Generalibus sint ordinatae, et multae sine approbatione Pontificia.

2.º In eo, quod regula est perpetua in Religione, dum e contra constitutiones pro variis temporum et circumstantiarum adjunctis mutari possunt, et de facto saepius mutantur.

3.º In eo, quod regula est quasi jus commune, quae compendiose tradit ea, quae Religiosi observare debent; at constitutiones vel dant interpretationem authenticam ipsius regulae, vel explicite exponunt, ea, quae implicite in regula habentur, ea scilicet, quae necessaria sunt ad regulam observandam.

Attamen omnes Religiones non habent regulam a constitutionibus distinctam; sed solummodo habent constitutiones, quae locum regulae tenent, ut Carthusiani et Religiosi Societatis Jesu. Generatim Instituta religiosa, praesertim recentiora, reguntur tantum constitutionibus. Praeterea quando agitur de obligatione servandi regulam, sub nomine regulae intelliguntur etiam constitutiones.

CAPUT II

DE OBLIGATIONE SERVANDI REGULAM IN ORDINE NOSTRO

In hoc capite per viginti duos successivos articulos agetur de explicatione, praesertim litterali, ipsius Regulae, necnon de praeceptis variis in ipsa contentis. Consilia etiam in Regula reperiuntur, quae apprime a praeceptis distingui debent, ut exactam acquiramus obligationum nostrarum cognitionem.

ARTICULUS I

DE TITULO REGULAE

381. — Textus: «*Regula primitiva Ordinis Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo a B. Alberto Patriarcha Hierosolymitano tradita et ab Innocentio IV confirmata.*»

Explanatur: *Regula*: supra n. 373 dictum est quod regula rationem habet legis; ac proinde importat obligationem. Regula autem nostra ex triplici capite obligat, scilicet:

1.º Ex nostra professione, in qua dicimus: «Ego... promitto... obedientiam... *secundum Regulam primitivam*».

2.º Ex vi confirmationis ipsius Regulae a SS. Pontificibus factae, in qua praecipiunt illam observari.

3.º Ex Concilio Trid. (Sess. 25, c. 1 de Regul.), «prout hoc decreto praecipit, ut omnes Regulares, tam viri quam mulieres, ad *Regulae, quam professi* sunt, praescriptum, vitam instituant et componant», et ex Codice J. C., ut supra n. 374.

382. — Q. *Quomodo Regula nostra obliget?*

R. Quanta sit haec obligatio, in ipsa Regula non explicatur; Constitutiones autem nostrae statuunt quod «Regula quippe, exceptis votis et officio divino ibi contentis, ad culpam tantum venialem obligat» (p. I, c. 1, n. 4).

Itaque virtute hujus dispositionis, omnia, quae in Regula habentur per modum praecepti, vi Regulae tantum obligant sub veniali peccato, etiam in materia gravi. Dicitur, *vi Regulae*; nam quaedam a Regula praecipiuntur, quae ex alio capite jam obligant, et quidem sub gravi in materia gravi. Sic quaedam obligant vi voti, ea scilicet, quae spectant ad tria vota essentialia; alia obligant ex praecepto ecclesiastico, ut recitatio Officii divini; alia jam sunt praecepta jure naturali, ut diligere Deum et proximum: et talia obligant ad culpam mortalem vel venialem tantum, prout jam alias obligant. Ratio horum est, quia regulariter loquendo res hujusmodi non praescribuntur a Regula tanquam nova praecepta, sed in ea referuntur solummodo cum intentione in memoriam ea revocandi, quae aliunde sunt de praecepto.

Praeterea, omnia, quae in Regula habentur, non imponuntur per modum praecepti; sed quaedam statuuntur per modum consilii, vel praescribuntur solummodo tanquam opera supererogatoria. Talia non obligant sub culpa veniali, ne sub poena quidem.

Pro praxi notant auctores nostri, licet transgressio praeceptorum Regulae ad lethale crimen non pertingat, intra limites tamen venialis culpae gravius peccatum esse; quia talis offensa est

circa illa, quae maxime nata sunt paulatim inducere relaxationem in observantia regulari.

383.—Q. *Quaenam statuta sint ad promovendum studium legum nostrarum?*

«Curet Prior, ut semel saltem in anno statis diebus publice legantur Constitutiones nostrae, itemque decreta quae publice legenda Sancta Sedes praescribet, necnon Acta sive Capituli et Definitorii Generalis, sive Capituli et Definitorii Provincialis, juxta Superiorum praescripta» (Constit. n. 580).

384.—Q. *Quinam sint praecipui Expositores Regulae nostrae?*

R. Sunt sequentes, nempe: 1.º Ven. P. N. Thomas a Jesu, C. D., qui erudite et luculenter tradit interpretationem Regulae juxta sensum litteralem, ibique pertractat varia dubia e Regulae expositione exorta. Vide Opera Omnia T. I, p. 444.

2.º R. P. Joannes Baptista Lezana, Carmelita antiquae observantiae, qui optimum et amplum dedit commentarium in Regulam juxta sensum litteralem. Vide Mare Magnum Privilegiorum O. C. Opera T. 3, p. 175.

3.º R. P. Antonius a S. Spiritu C. D., qui habet, sicut Lezana, commentarium juxta sensum litteralem, sed brevius. Vide Directorium Regularium. p. I, p. 90.

4.º R. P. Hieronymus Gratianus, qui mystice commentatus est Regulam.

5.º B. Joannes Soreth, qui habet expositionem paraeneticam in Regulam. Vide edit. novam 1894.

6.º Ven. P. N. Joannes a J. M., a quo habetur Disciplina monastica exhortationibus digesta in Regulam. Vide nov. edit. 1893.

7.º Ven. Joannes de Bachone Regulam commentatus est analogice seu comparative ad vitam B. M. V. Vide Vinea Carmeli, p. 36.

8.º R. P. Daniel a Virgine Maria, Carmelita antiquae observantiae, varia scripsit de Regula in Vinea Carmeli et praesertim in *Speculum Carmelitanum.*

9.º Tandem R. P. Franciscus a S. Elia, Legionensis, C. D., Prior Fluminis Sicci (Rioseco), qui scripsit: Comentarios y Doctrina sobre la Regla primitiva de Ntra. Señora del Carmen. Segovia, 1638, en folio.

Primitiva: Regula, quam nunc ad manum habemus, ab Innocentio IV approbata et confirmata, non est eadem de verbo ad verbum, ac Regula primitus a B. Alberto tradita: etenim in aliquibus punctis est leviter modificata, in aliis autem est mitigata. Est modificata, vel potius ad majorem perfectionem elevata in sequentibus punctis, nempe: 1.º In observantia castitatis et abdicationis proprietatis. Primitus Religiosi nostri so-

lum expresse profitebantur obedientiam, et licet in voto obedientiae implicite comprehendantur duo alia vota, castitatis nempe et paupertatis, cum tamen illis temporibus esset multorum opinio Monachum non fuisse incapacem dominii, sed tantum usus rerum independenter a voluntate sui Superioris, ideo additum fuit in Regula: «cum castitate et abdicatione proprietatis». 2.º In communi refectorio: vi primae Regulae, Fratres poterant in cellis suis, quolibet cibo, exceptis carnibus, non certa et determinata hora, sed qua vellent, et eo modo quo vellent, manducare. 3.º In locis seu habitationibus Fratrum. 4.º Quoad finem Regulae, qui nunc temporis est etiam secundarie salus animarum. 5.º In recitando Officio divino. 6.º Tandem in possessione asinorum, mulorum, etc.

Mitigata autem fuit in sequentibus punctis, nempe: 1.º in esu carnium, et 2.º in silentio.

Nihilominus Regula nostra sic modificata ac mitigata adhuc jure merito dici potest *Regula primitiva*; quia quoad substantiam manet eadem. Etenim, etsi in quibusdam punctis fuerit aliquantulum modificata, imo et mitigata; in aliis tamen fuit elevata ad majorem perfectionem. Quinimo talis modificatio, inspectis temporis ac loci adjunctis, fuit omnino necessaria. Praeterea, luculenter patet ex testimonio Gregorii XIII in sua Bulla erectionis Provinciae Carmelitarum Discalceatorum. «Institutum hujusmodi, inquit, quod juxta *primitivam* Regulam praedicti Patres Discalceati profitentur, laudantes et approbantes dictos Fratres Carmelitas primitivam Regulam hujusmodi in regnis Hispaniarum observantes, Discalceatos nuncupatos...» (Cfr. Ant. a S. Sp. p. 88, et Privilegia Ordinis 1617, Romae, p. 6).

385. *Ordinis Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo*: Mirum divinae Providentiae consilium est, ut Ordo Noster honorificentissimo Beatissimae Virginis Mariae titulo exornetur, sub ejusque peculiari patrocinio ac tutela existat. Quamobrem Summis Pontificibus id probantibus, Carmelitae, jure merito, vocantur Fratres B. M. V. Thomas a Jesu (p. 452) duplicem hac de re assignat rationem: prima est propter primariam Ordinis Carmelitarum in laudem B. M. V. institutionem; secunda vero et quidem potissima, quia Carmelitae fuerunt primi, qui in Ecclesia Dei templum sive sacellum in honorem B. M. V. erexerunt.

A B. Alberto Patriarcha Hierosolymitano tradita: Fratres namque, qui in Monte Carmelo, juxta fontem Eliae ante Christi nativitatem habitarunt, regulam scriptam habuisse non legimus; sed ipsi sibi regula erant, qui exemplo Eliae concorditer vivebant. Post passionem autem Domini, multiplicata per Judaeam fide christiana, ii qui in Monte Carmelo vitam imitatione Eliae ducebant eremiticam, secundum Christi Evangelium vivere ceperunt. Postea vero decursu temporis, per traditiones a S. Patriarcha Elia emanatas, gubernati fuerunt. Quae traditiones ore-

tenus transmissae de generatione ad generationem, postea conscriptae et tanquam regula habitae fuerunt. Anno autem 1205, vel paulo post, ad bonum Ordinis promovendum, petente S. Brocardo, Priore Generali, tradidit B. Albertus Patriarcha Hierosolymitanus Carmelitis Regulam, sive potestate ordinaria, quae certe tunc temporis fuit sufficiens, sive potestate extraordinaria, seu delegata, qua vi officii Legati gaudebat, sive forsitan propter specialem commissionem a S. Pontifice ad hoc obtentam, et ab Honorio III anno 1226, Apostolica auctoritate ratam et approbatam (1).

Et ab Innocentio IV confirmata: Postquam vero Carmelitae in Europam venerunt, et Ordo inter Mendicantes fuit annumeratus, necesse erat, ut aliqua modificatio relate ad quaedam puncta Regulae induceretur: et sic Regula S. Alberti, aliquantulum modificata, ab Innocentio IV anno 1247 fuit approbata et confirmata. (Cfr. Privil. O. N., p. 1, et Ant. a S. Sp., p. 163)

ARTICULUS II

DE PROLOGO REGULAE

386. — Textus: «*Albertus, Dei gratia Hierosolymitanae Ecclesiae vocatus Patriarcha, dilectis Filiis Brocardo et caeteris Fratribus eremitis, qui sub ejus obedientia, juxta fontem Eliae, in Monte Carmeli morantur, in Domino salutem, et Sancti Spiritus benedictionem. Multifarie multisque modis sancti Patres instituerunt, qualiter quisque in quocumque Ordine fuerit, vel quemcumque modum religiosae vitae elegerit, in obsequio Jesu Christi vivere debeat, et eidem fideliter de corde puro et conscientia bona deservire. Verum, quia requiritis a nobis, ut juxta propositum vestrum tradamus vobis vitae formulam, quam tenere in posterum debeatis.*»

Explanatur: In hoc prologo quatuor exponuntur, videlicet: 1.º auctor Regulae, 2.º illius subjecti, 3.º ejusque finis, 4.º antiquitas Ordinis.

1.º *Auctor Regulae*, qui indicatur per illa verba: «Albertus Dei gratia Hierosolymitanae Ecclesiae vocatus Patriarcha».

2.º *Subjecti seu Religiosi, quibus Regula fuit tradita*, assignantur per haec verba: «Dilectis filiis Brocardo et caeteris Fratribus Eremitis, qui sub ejus obedientia, juxta fontem Eliae, in Monte Carmeli morantur. «Igitur Regula fuit tradita sanctis vi-

(1) Cfr. Analecta Ordinis Carm. Excalceatorum, I. pag. 4.

ris, Fratribus nostris, qui fervore Religionis accensi, relictis urbibus, eligebant sibi loca eremitica ad imitationem S. Eliae Prophetae in Monte Carmelo, et juxta fontem Eliae vitam ducebant solitariam.

3.º *Finis Regulae* ostenditur ex hoc quod statuitur, «qualiter quisque... in obsequio Jesu Christi vivere debeat, et eidem fideliter de corde puro et conscientia bona deservire». Vivere autem in obsequio Jesu Christi, nihil aliud est quam tendere ad perfectionem religiosam, quae principaliter consistit in charitate erga Deum et proximum, et minus principaliter in actibus aliarum virtutum. Ad hunc igitur finem dirigit Legislator noster omnia alia in Regula contenta, eligens jugem orationem, ut medium praecipuum ad hunc finem consequendum; actionem vero et caetera virtutum opera, ut media minus principalia, uti optime notant Constitutiones in prologo «De Instituti nostri ratione»; ex quo luculenter patet finem primarium O. N. esse contemplationem, et secundarium actionem, quae consistit in procuranda animarum salute. (Cfr. Thom. a J., p. 457, et Ant. a S. Sp., p. 166).

4.º *Antiquitas Ordinis*. Ex contextu namque illius prologi clare constat Religionem Carmelitanam, non a tempore, quo haec Regula fuit tradita, sed jam ab alio antiquiore duxisse principium: siquidem ante ipsam Regulam, eumdem modum vivendi ducebant jam Carmelitae in Monte Carmelo, ut patet ex his verbis: «verum quia requiritis a nobis», scilicet propter quaedam in Regula a Patribus vestris tradita, antea non expressa, et quaedam pro sua arduitate nimium singulis difficilia, propter locorum et temporum varietatem ad communiter observandum. «Ut juxta propositum vestrum», scilicet juxta finem a vobis jam antea obtentum; tradamus vobis vitae formulam» seu regulam, «quam tenere» seu observare «in posterum debeatis». (Cfr. B. J. Soreth, p. 73, et Ant. a S. Sp. p. 166).

ARTICULUS III

DE PRIORE HABENDO, ET DE TRIBUS SIBI PROMITTENDIS

387.—Textus: «*Illud in primis statuimus, ut unum ex vobis habeatis Priorem, qui ex unanimi omniumque assensu; vel majoris et sanioris partis, ad hoc officium eligatur: cui obedientiam promittat quilibet aliorum, et promissam studeat operis veritate servare, cum castitate et abdicatione proprietatis.*»

Explanatur: In illo articulo Regula loquitur de tribus punctis, nempe: 1.º de Priore habendo; 2.º de modo in ipsius electione servando; 3.º de tribus votis ipsi promittendis.

1.º *De Priore habendo*: haec enim habet Regula: «Illud in primis statuimus, ut unum ex vobis habeatis Priorem». Legislator noster incipit Regulam a constitutione Prioris; quia Prioris est regere, et ad suum finem conducere totam Religionem, sicuti capitis est regere totum corpus, ejusque actiones ordinare; et quemadmodum in uno corpore non datur nisi unum caput, ita in tota Religione seu Ordine, Provincia vel domo unus tantum Praelatus constitui potest et debet; ideoque dicitur: «Unum habeatis Priorem».

Prior ille debet esse ejusdem Religionis cum dicatur *unum ex vobis*. Aliae autem qualitates Prioris in ipsa Regula *explicite* non indicantur; ibique tamen *implicite* exprimuntur. Prior namque constituitur tanquam caput ad regendum totum Ordinem, Provinciam aut conventum. Porro ad regendum modo debito *scientia* simul et *prudentia* requiritur: scientia autem non infunditur, sed acquiri debet per proprium studium et exercitium actuum vitae religiosae. Prudentia vero supponit maturam aetatem, et propria experientia ordinarie acquiritur. Unde requiruntur in Praelato matura aetas, capacitas, certum tempus professionis quo durante, acquirere poterit debitam scientiam et prudentiam. Quae hic in Regula *implicite* tantum indicantur, *explicite* traduntur in Constitutionibus, prout infra dicetur.

Quod hic agatur de *Priore Generali*, luculenter patet ex contextu Regulae, cum statim addatur: «cui obedientiam promittat quilibet aliorum». Porro soli R. P .N. Praeposito Generali, non vero Priori locali vel Provinciali promittitur obedientia, prout constat ex formula professionis. Ceterum si verba Regulae essent dubia et obscura, deberent intelligi secundum consuetudinem universalem Religionis; sed communis usus, praxis et consuetudo totius Ordinis per *Priorem* hic semper intellexit *Priorem Generalem*.

338. 2.º Quod autem attinet ad modum in electione Prioris servandum, ita statuit Regula, ut Prior «ex unanimi omniumque assensu, vel majoris et sanioris partis, ad hoc officium eligatur». In primis notandum est Capitulum Generale, quod nunc temporis in usu est apud omnes fere Religiones, olim non viguisse. Tunc autem, mortuo Priore Generali, cujus officium per totius vitae spatium durabat, alius a majori parte omnium Religiosorum eligebatur. Nunc vero in Ordine nostro Praepositus Generalis a majori parte Capituli Generalis eligitur ad sexennium, juxta praescriptum Constitutionum nostrarum, quae eo in sensu ipsam Regulam authentice interpretantur.

Secundum Regulam requiritur in hac electione omnium assensus, vel majoris et sanioris partis. Vi autem Regulae non sufficit major pars suffragiorum; sed insuper requiritur, ut sit etiam *sanior pars*. Dicitur *vi Regulae*, nam cum Concilium Trid. (Sess .25, c. 7, de Regul.) praecipiat, ut electio Superiorum Re-

gularium fiat per vota secreta, major pars eo ipso censetur etiam pars sanior, et pro tali semper haberi debet. Idem praescribunt Codex J. C., can. 507, § 1 et Constitutiones nostrae, n. 364.

389. 3.º Quod vero spectat ad tria vota essentialia in Religione emittenda, haec habet Regula: «Cui (nempe Priori), obedientiam promittat quilibet aliorum, et promissam studeat operis veritate servare, cum castitate, et abdicatione proprietatis». In Regula S. Alberti votum obedientiae solum explicite emittebatur; sed sub illo voto *implicite* emittebantur etiam vota castitatis et paupertatis. Attamen Innocentius IV ad praecavendam omnem interpretationem minus rectam circa votum paupertatis, haec verba: «cum castitate et abdicatione proprietatis» addenda opportunum censuit; quod nunc praescribit Codex J. C. can. 572, § 1, n. 5.

Regula autem nullam facit mentionem de voto humilitatis, quod tribus votis essentialibus in Ordine nostro additur, ut praescribitur in Constitutionibus n. 272.

De votis eorumque obligationibus superius jam sufficienter egimus.

ARTICULUS IV

DE RECEPTIONE LOCORUM

390.—Textus: «*Loca autem habere poteritis in Eremis, vel ubi donata vobis fuerint, ad vestrae Religionis observantiam apta et commoda, secundum quod Priori et Fratribus videbitur expedire.*»

Explanatur: Articulus ille fuit insertus ab Innocentio IV Regulae primitivae S. Alberti, Carmelitis id petentibus, ut nempe ipsis liceret ubique locorum monasteria erigere; nam vi primae Regulae nonnisi in Eremis hoc eis videbatur permissum. In illo autem articulo tria notata reperimus, scilicet: 1.º Non solum in Eremis; sed in aliis quoque locis, puta in urbibus, vel oppidis Monasteria O. N. construi possunt, ut clare in ipsa Regula dicitur: «Loca autem habere poteritis in Eremis, vel *ubi donata vobis fuerint*».

2.º Attamen ea loca debent esse ad observantiam regularem apta et commoda, id est, accommodata fini principali et secundario quoque O. N.; ideoque in Regula legitur: «ad vestrae Religionis observantiam apta et commoda».

Quapropter Constitutiones nostrae haec habent: «Curent Superiores Majores, ut Conventus nostri in locis sint aliquantulum remotis, vel in ipsis suburbiis, aut denique, si in oppidis aut civitatibus, ubi quietius Fratres nostri a nimio saecularium concursu et strepitu separati vivere valeant» (Const. n. 205).

3.º Electio autem locorum relinquitur judicio Prioris et Fratrum; quod indicatur his verbis: «secundum quod Priori et Fratribus videbitur expedire». Quid hic intelligatur per judicium Prioris et Fratrum, explicant Constitutiones nostrae, dum dicunt:

«Nullus locus pro nostris Conventibus construendis admittatur, quin prius a Praeposito vel a Provinciali illius Provinciae, una cum duobus aliis Religiosis, aut uno ad minus, pro hoc munere a Capitulo Provinciali deputatis, vel si Provincialis aliqua justa causa sit impeditus, saltem a duobus praefatis Religiosis, visitetur, inspiciatur et accurate consideretur. In Semiprovinciis vero Vicarius Provincialis, cum duobus Religiosis a Congressu deputatis, locum inspiciat totamque rem ad Definitorium Generale examinandam et approbandam deferat» (n. 206).

ARTICULUS V

DE CELLIS FRATRUM

391.—Textus: «*Praeterea, juxta situm loci, quem inhabire proposueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem Prioris ipsius, et de assensu aliorum Fratrum, vel sanioris partis, eaedem cellulae cuique fuerint assignatae.*»

Explanatur: In articulo praecedenti actum est de situ locorum, pro erigendis monasteriis; in praesenti autem agitur de dispositione et forma ipsius monasterii, in quantum spectat ad cellulas, in quibus Religiosi commorari debent.

In illo articulo a Regula tria praescripta sunt, videlicet: 1.º ut Eremitarum cellulae ab invicem separentur; 2.º ut unusquisque eorum cellulam sibi assignatam singulariter inhabitet; 3.º ut haec cellula unicuique assignetur per dispositionem Prioris ipsius, de assensu tamen Fratrum.

392. 1.º «*Singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas*». Regula dicit: a) *habeant cellulas*; non vero palatia, quae sunt amplae domus, in quibus vagari possunt: sed *cellulas* diminutivum de cella, quasi diceret: habeant singuli parvas cellas; et dicitur cella a *celo, celas*; quia habitantes *celat*. Unde dicit Bernardus: «cella nequaquam debet esse reclusio necessitatis, sed domicilium pacis. Cellae et coeli habitatio cognatae sunt; quia sicut coelum et cella ad invicem videntur habere aliquam cognationem nominis, sic et pietatis; a celando enim coelum et cella nomen habere videntur, et quod celatur in coelis hic et in cellis; quod geritur in coelis, hoc in cella. Quidnam

est hoc vacare Deo, frui Deo? Nam spiritui oranti, vel a corpore exeunti, a cella in coelum longa vel difficilis via non invenitur; a cella enim in coelum saepe ascenditur. Vix aut nunquam a cella in infernum descenditur» (Cfr. B. Joan. Soreth, p. 113).

b) Habeant cellulas *separatas*. Vi dispositionis hujus articuli, cellulae possent esse ab invicem separatae; sicut reapse separatae existebant in Eremis; ex quo infertur hujusmodi dispositionem spectare non ad praesentem statum Ordinis, sed ad pristinum; quando scilicet Fratres nostri in Eremis vivebant. Nam nunc temporis ex Decreto Clementis VIII, confirmato ab Urbano VIII *de reform. Regul.*, omnes cellulae ad habitationem Religiosorum destinatae, debent esse conjunctae in eodem dormitorio. «Nullus etiam Superior cellas a communi dormitorio separatas habeat, sed unusquisque unica cella cum caeteris aliorum Fratrum conjuncta nudis parietibus humili lecto, mensula et supellectili uniformi, Religiosisque decenti contentus sit». (Cfr. Comp. Const. Ap. p. 26).

393. 2.º «*Eaedem cellulae cuique fuerint assignatae*». a) Unusquisque igitur ad vitam solitariam agendam, cellulam habeat separatam. Vi hujus dispositionis Regulae, unusquisque tenetur cellulam sibi assignatam singulariter inhabitare.

Constitutiones autem nostrae huic dispositioni sunt conformes, cum haec habeant: «Cum vero Regula praecipiat, ut maneant singuli in cellulis suis; praecipimus Superioribus, ut Fratres duos in cella una manere non patiantur. Non solum autem Fratres nostros singulos in cellulis suis manere, sed neque nocte, neque die alterum in alterius cellam ingredi posse, decernimus, sub poena pro culpae modo imponenda. Qui vero, quovis tempore, Superioris absentis cellam ingreditur, gravem poenam semper incurrat» (n. 100).

b) «Singulorum Fratrum cellae sic instruantur: lectus fiat ex tabulis simplici fulcimento innixis, quibus superponi potest tenue stramentum ex humili materia, latus fere metrum unum dimidiumque circiter altus; qui necessarias lodices, duas ex lana vel cotone sindones, et pulvinum simile habebit. Infirmis vero lectus commodior permittitur (Constit. n. 22).

Mensa sit inelaborata, et apta libris necessariis sustinendis: quibus si forte non sufficiat, fulcimentum aliquod ligneum aut paleis, vel herbis textum. Potissima vero supellex sit Crux, et aliquae imagines ex charta, et non aliae pretiosiores, ad excitandum affectum opportunae.

Quia vero tam modica supellex, et nullius propria, custodia ulla inter domesticos, nisi ab extraneis, non eget, arcas, et capsas omnes obseratas, Fratribus prohibemus. Cellarum claves sint commune aliquod instrumentum, quo cellae, saecularibus clausae, a Fratribus communiter claudi aperirique pos-

sint, nisi Provinciali videatur claves particulares adhibendas esse, ita tamen ut Superiori locali aditus semper pateat. (n. 23).

Lecti omnes eamdem habeant formam, et quisque in suo lecto, neque duo in eodem, sigillatim cubet.

394. 3.º Cellulae assignentur «*per dispositionem Prioris ipsius, et de assensu aliorum Fratrum, vel sanioris partis*». Haec verba Regulae certe referri debent ad tempus vitae eremiticae, quando scilicet cellulae existebant ab invicem separatae, quo tempore assignatio cellulae fuit res magni momenti.

Unde cum hodie jam vita nostra non amplius sit eremitica, non tenetur Prior in assignatione cellularum exquirere assensum aliorum Fratrum. Quod etiam satis probatur ex Constitutionibus nostris; nam, cum soleant accurate exponere casus omnes, in quibus Prior tenetur exquirere consensum aliorum, de praesenti casu nullam faciunt mentionem. Ceterum talis est praxis et consuetudo communis Ordinis.

ARTICULUS VI

DE COMMUNI REFECTIONE

395.—TEXTUS: «***Ita tamen, quod in communi refectorio, ea, quae vobis erogata fuerint, communiter aliquam lectionem sacrae Scripturae audiendo, ubi commode poterit observari, sumatis.***»

Explanatur: Circa illum articulum notandum est olim in Regula S. Alberti communem mensam Anachoretis nostris omnino fuisse interdictam, ut patet ex illis verbis: *Ita tamen, ut in deputatis cellulis singuli maneant, et ex his, quae sibi distributa fuerint, singulariter vivant.* Innocentius vero IV praecavere intendens incommoda, quae in futurum ex hac tam singulari vita possent oriri, vel forte, quia jam Fratres tam arctam vitae eremiticae semitam perficere non valebant, articulum illum de communi refectorio Regulae S. Alberti inseruit. Haec additio Regulae a Lezana censetur mitigatio; e contra Antonius a S. Sp. (p. 170) existimat Regulam nostram per eam additionem esse elevatam ad majorem perfectionem.

Quidquid sit, in illo articulo quatuor puncta reperiuntur praescripta, videlicet: 1.º Ut omnia sumantur in communi refectorio. 2.º Ut tempore refectionis omnes conveniant ad hoc commune refectorium. 3.º Ut in hoc refectorio non sumantur cibus particulares. 4.º Ut tempore communis refectionis fiat lectio sacrae Scripturae.

396. **1.º** *Omnia sumantur in communi refectorio*: Hac de re haec habent Constitutiones nostrae: «Ex iis ergo, quae ad

Conventus nostros divina Providencia miserit, in refectorio, extra quod raro, et admodum justa de causa Superiores vescantur, vel subditos vesci sinant. (n. 71).

397 .2.º *Tempore refectionis omnes conveniant ad hoc commune refectorium*: Quod autem spectat ad illud punctum, haec habent Constitutiones nostrae: «Sedulo curet Superior, ut omnes ad primam mensam conveniant: extraneos vero, praesertim saeculares, admodum raro, et caute ad communem mensam introducat» (n. 72).

«Quae praecipit Constitutio nostra de prima mensa, servari accuratius providebit; idque ut obtineat, ipse cum primis eidem studeat interesse». (Instr. Prioris, n. 23).

398. 3.º *In hoc refectorio non sumantur cibus particulares*: adeo ut juxta Constitutiones, n. 71, «aequales cibi omnibus ministrentur, nullique unquam diversum aliquid vel diverse conditum, absque necessitate et expressa Superioris venia, detur. Superior contrafacienti, sicut extra mensam tempusque commune comedenti, poenam mediam imponet».

Quod etiam praescribitur in Decreto *de reform. Regul.* prout sequitur: «Omnes, etiam Superiores, quicumque illi sint, eodem pane, vino, eodemque obsonio in communi mensa vescantur, quod etiam in can. 594, § 1, praescribitur.

3399. 4.º *Tempore refectionis communis fiat lectio sacrae Scripturae*: Quae lectio ab Ordinario nostro praescribitur prout sequitur: «Ad meridianam refectionem in primis legitur omni tempore caput unum, vel dimidium tantum si longum fuerit, ex Sacris Bibliis... Biblia Sacra tota perlegetur a principio ad finem, excepto Psalmorum libro». (Ordin. N., nn. 1079 et 1083).

«In communi mensa sacra lectio, ut a Regula decernitur, juxta normas in Ordinario statutas, fiat; poterit tamen Superior, ob laetam quorumdam dierum festivitatem vel ob justam causam, sed valde raro, post brevem lectionem Sacrae Scripturae, a silentio durante refectione dispensare» (Constit. n. 75).

ARTICULUS VII

DE NON MUTANDO AUT PERMUTANDO CELLULAS

400. — Textus: «*Nec liceat alicui Fratrum, nisi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit, deputatum sibi mutare locum, vel cum alio permutare.*»

Explanatur: Articulus ille non cum praecedenti, sed cum Art. V conjungi debet, ita ut hic non agatur de mutatione loci in refectorio, sed de mutatione cellulae. Quod haec mutatio fieri non possit absque licentia Prioris, facile intelligitur,

siquidem Prioris est assignare cellulam: ergo et Prioris est permittere mutationem cellulae. Praeterea hujusmodi mutatio certe spectat ad observantiam disciplinae regularis; quae non leviter perturbaretur, si unicuique Religiosorum liceret pro libitu mutare cellulam, vel cum alio permutare.

ARTICULUS VIII

DE CELLULA PRIORIS

401. — TEXTUS: «*Cellula Prioris sit juxta introitum loci, ut venientibus ad eumdem locum primus occurrat, et de arbitrio, et dispositione ipsius postmodum, quae agenda sunt, cuncta procedant.*»

Explanatur: In praecedentibus articulis actum est de situ et forma Monasterii, atque de cellulis Fratrum; in praesenti autem agitur de cellula Prioris et de regimine monasterii. Ideoque articulus ille duas continet partes: unam nempe, in qua statuitur, ut cellula Prioris sit juxta introitum loci; alteram vero, in qua decernitur, ut de arbitrio et dispositione Prioris ea, quae agenda sunt, cuncta procedant.

402. 1.º *Cellula Prioris sit juxta introitum loci.* Ratio hujus dispositionis est, ut nempe Prior *venientibus ad eumdem locum primus occurat,* ac proinde ipse solus cum illis res et negotia tractet, ne cuilibet advenienti facilis ad Fratres pateat accessus. Cavet hic Regula nostra, ne Fratres in contemplationis et orationis exercitio turbentur; solent enim saepissime advenientes hospites varios rumores et novitates perferre, quibus facile spiritus orationis languescit, imo et paulatim exstinguitur.

Etsi illud praeceptum referri debeat ad tempus vitae eremiticae, ac proinde non amplius sit in vigore, Constitutiones tamen nostrae multis in locis fovent spiritum hujus praecepti, cum nunquam cessent monere Religiosos nostros, ut sedulo vitent omnem familiaritatem et commercium cum saecularibus. «Praecipimus, ut Fratres nostri, tam Superiores, quam subditi, juxta consilium Apostoli aientis: «Nemo militans Deo, implicat se negotiis saecularibus», a saeculi negotiis, etiam pietatis obtentu gerendis, accuratissime abstineant, nisi charitate christiana cogi videantur; neque Superiores vel subditi admittant alicujus negotii expeditionem, etiam pietatis praetextu, ad quam e claustro saepe prodire sit necessarium, sub poena de illis pro culpae modo sumenda. Consanguineorum autem negotiis nemo se immisceat, nec eorum curam suscipiat, cum precibus potius ad Deum fusis quam exterioribus adminiculis consanguineos a veris religiosis juvari deceat. Quapropter Provincialibus et Superioribus, conscientiam eorum onerantes, injungimus, ut ad

haec licentiam nisi in aliquo casu valde raro non concedant, cum experientia teste, maxime inde relaxationes provenire valeant. Religiosos autem in his se ingerentes vel ad ea propensos, ab occasione, ad alios conventus extra patriam eos mittendo, separent. Ubi vero conventus nostri Ordinis non fuerit, Religiosi nostri ad consanguineos invisendos, si ibi pernoctare debeant, a Superiore locali non mittantur, nisi de Provincialis in scriptis licentia» (n. 109).

403. 2.º *De arbitrio et dispositione ipsius* (Prioris) *postmodum, quae agenda sunt, cuncta procedant.* Regula hic praecipit, ut omnis monasterii dispositio et gubernatio Priori relinquatur, adeo ut omnia voluntate ipsius et judicio decernantur et fiant. Ex contextu tamen Regulae satis patet hanc dispositionem non esse intelligendam de rebus magni momenti, cum pro hujusmodi negotiis non solum requiratur licentia Prioris, verum etiam assensus Fratrum, ut supra dictum est de distributione cellularum et de receptione locorum.

ARTICULUS IX

DE MANSIONE IN CELLULIS ET ASSIDUA ORATIONE FACIENDA

404.—Textus: «***Maneant singuli in cellulis suis, vel juxta eas, die ac nocte in lege Domini meditantes, et in orationibus vigilantes, nisi aliis justis occasionibus occupentur.***»

Explanatur: Ab illo articulo Regula nostra incipit exponere obligationes omnium Religiosorum, et aperire finem primarium Instituti nostri. Quapropter duo in eo praecipiuntur, quae sunt maximi ponderis et momenti: unum nempe de mansione in cellulis die ac nocte servanda; alterum vero de continua et jugi meditatione in lege Domini.

405. 1.º *Maneant singuli in cellulis suis, vel juxta eas, die ac nocte.* Vi hujus praecepti, Fratres nostri ad tria tenentur, scilicet: a) ut maneant in cellulis suis; b) ut ibi singuli maneant; c) et ut maneant ibi quidem die ac nocte, nisi aliis justis occasionibus occupentur.

a) *Maneant in cellulis suis.* Omnes Fundatores Ordinum commendant sollicite suis Religiosis permanentiam in cellulis, ut medium aptum et proprium ad consequendam religiosam perfectionem, ac valde opportunum et efficax ad promovendam observationem disciplinae regularis. Nec mirum, nam, teste experientia quotidiana, monasteria, in quibus recessus cellae observatur, praecellunt observantia regulari; et Religiosi in eis commorantes sunt viva perfectionis religiosae exempla. E contra, mo-

nasteria, in quibus recessus cellae male custoditur, paulatim relabuntur in relaxationem observantiae regularis; eorumque habitatores minime se invicem aedificant, neque christifideles, quibuscum agunt. Quapropter dicebat S. Antonius: sicut pisces si tardaverint in sicco, cito moriuntur; ita Monachi extra cellam tardantes, aut cum saecularibus immorantes, a proposito resolvuntur. Oportet ergo sicut piscem ad mare, ita et nos ad cellam recurrere, ne forte foris tardantes, obliviscamur interioris custodiae. Et ipse profert hanc celebrem sententiam: «Monachus extra cellam aut solitudinem est sicut piscis extra aquam» (Cfr. Lez., p. 185, Soreth., p. 132, et Th. a J., l. 1, c. 20).

b) *Maneant singuli in cellulis suis.* «Cum vero Regula praecipiat, ut maneant singuli in cellulis suis; praecipimus Superioribus, ut Fratres duos in cella una manere non patiantur. Non solum autem Fratres nostros singulos in cellulis suis manere, sed neque nocte, neque die alterum in alterius cellam ingredi posse decernimus, sub poena pro culpae modo imponenda. Qui vero quovis tempore Superioris absentis cellam ingreditur, gravem poenam semper incurrat». (Const. n. 100).

Vi Regulae, Fratres nostri possunt manere *juxta cellulas*. Haec autem dispositio referri debet ad tempus vitae eremiticae, quo tempore cellulae ab invicem separatae existebant. Quod in tali casu Fratribus daretur facultas manendi prope cellulas, id non erat contra scopum Instituti nostri: oportebat namque tunc temporis, ut Fratres extra proprias cellulas per aliquod spatium parum ab eis distans, possent exire et deambulare. Hoc enim maxime ad orationem et contemplationem illos saepe juvabat. At nunc temporis alia est monasteriorum forma et dispositio; cum omnes cellulae simul in uno eodemque dormitorio jungantur. Quare cum immutata sit monasterii forma, non mirum, imo necessarium est, ut et jus et ipsa Regula in hoc etiam immutetur; ita ut nunc temporis non amplius sit permissum Fratribus extra proprias cellulas manere. Et sane si hujusmodi licentia nunc daretur, maxime vergeret in praejudicium finis primarii Ordinis; si enim unicuique liceret juxta cellulam manere, facile inutilibus confabulationibus cum aliis ansa praeberetur, et sic finis Regulae non obtineretur, cum fere impossibile sit in multiloquio spiritum orationis conservari. (Cfr. Th. a J., p. 504).

Praeterea Constitutiones nostrae *interpretationem* dant *authenticam* illius puncti Regulae, his verbis: «Ne quis autem Regulae verba ad otiosum egressum detorqueat, declaramus, ea verba: *juxta eas,* ubi praecipit singulis, in cellulis suis, vel juxta eas manere, de illis cellulis aperte intelligi, quae olim, et nunc alicubi separatae construuntur, juxta descriptionem habitationis eremeticae postmodum tradendam, non vero de claustri cellis, inter quas nihil est intervalli». (n. 101).

«Quamobrem nullo tempore liceat ulli in nostris Conventibus degenti, extra cellas ex professo manere, vel deambulare, nisi de Prioris expressa venia: quod multo arctius observandum est a Completorio expleto, seu a signo silentii dato; tunc enim Fratres statim in cellas suas se recipere festinabunt; e quibus, nisi ad necessaria naturae, aut sine Superioris venia, non exibunt. In cellas autem ingressi, a quovis strepitu abstineant, qui a proximis cellis possit audiri» n(. 102).

c) *Maneant in cellulis suis die ac nocte, nisi aliis justis occasionibus occupentur.* Mansio in cellulis non est *physice,* sed *moraliter* intelligenda, ut luculenter patet ex ipsa Regula, cum aliquas admittat exceptiones. Ideoque Constitutiones nostrae haec habent: «Praecipimus, ut nullus Superior Fratres in claustro otiosos esse permittat: sed curet, ut omnes intra, vel extra cellas utiliter occupentur, singulisque spiritualia vel corporalia exercitia, prout in Domino expedire putaverit, praescribat» (n. 99).

Itaque ab hac obligatione non deficiunt Religiosi, qui ex obedientia in negotiis domesticis extra cellam occupantur, vel pro aliis charitatis exercitiis, puta confessoris, praedicatoris vel aliorum officiorum e cella egrediuntur.

Hic notandum est Eugenium IV mitigasse Regulam, in quantum spectat ad mansionem in cellulis, in favorem Carmelitarum Calceatorum, prout sequitur: «At horis congruis in eorum ecclesiis, et illorum claustris, ac per eorum ambitus manere et deambulare licite et libere valeant». Attamen non mitigavit Regulam quoad continuam orationem.

406. 2.º *Maneant in cellulis suis die ac nocte in lege Domini meditantes, et in orationibus vigilantes, nisi aliis justis occasionibus occupentur.* Illud praeceptum Regulae est intelligendum non physice, sed moraliter; imo nec aliter ac locutiones similes S. Scripturae, in quibus etiam commendatur jugis et continua oratio, qualis et illa Josue (I, 8) *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo; sed meditaberis in eo diebus ac noctibus;* et Eccli. (XVIII, 22): *Non impediaris orari semper;* ac maxime Luc. (XVIII, 1): *Oportet semper orare et non deficere.*

407.—Q. *Quomodo praeceptum jugis orationis sit observandum?*

R. Constitutiones nostrae praescribunt modum illud praeceptum observandi, dum dicunt: «Cum Instituti nostri potior pars sit contemplatio, ad quam per continuam Dei praesentiam, et statutas quotidianasque orationis horas tendendum est, decernimus, ut singulis diebus, ante vel post Primam per unam horam, et ante vel post Completorium pro temporum discrimine, ut in Ordinario traditur, per unam similiter horam ut in Horariis a Definitorio Generalis approbandis traditur fiat men-

talis oratio... Universos autem Religiosos nostros in Domino hortamur, ut ceteris occupationibus intermissis, ad orationem sedulo accurrant, quod si justis de causis orationi communi interesse nequiverint, curent, ubicumque fuerint, etiam in itinere constituti, illo vel alio opportuniori tempori orationi vacare». (Const. n, 28).

«Fiet autem communis oratio in choro, vel in alio ad quietem commodiore loco» (l. c., n. 2).

«Curet autem Superior, ut inter Fratres non Choristas totius noctis horae distribuantur, et orationi coram SS. Sacramento vacent: quod si noctu vacare non possunt, communi intersint orationi, vel horis aliis a Superiore ipso designatis orent» (n. 32).

Constitutio, praescribens singulis diebus duas horas orationis mentalis, obligat omnes, etiam Fratres Donatos, prout, die 28 Jun. 1683, «declaraverunt Patres Definitorii Generalis Fratres nostros Donatos teneri facere duas horas orationis mentalis in die, vel, si sint impediti, nocte, nec satisfacere laborando in silentio».

Constitutiones igitur ad observationem praecepti de continua oratione a Regula impositi, praeter duas horas orationis mentalis singulis diebus faciendas, requirunt continuam Dei praesentiam, variaque exercitia, tam spiritualia, quam corporalia, hunc in finem Fratribus praescribunt.

Ex his infertur Religiosum nostrum, qui hac in re Constitutiones observat, sufficienter adimplere illud praeceptum de continua et jugi oratione. Eo in sensu haec habet Joannes a J. M. (p. 93).

«Animus Legislatoris est, sive in cellis, sive extra, Monachum divinis rebus intentum esse debere; ac in ea animi intentione, quoad humana fragilitas fert, ubique persistere, nisi occupationes justae a Praelatis injunctae orationem interpellent»

Juxta Thomam a J. (p. 506) Antonium a S. Sp. (p. 171) et Lezana, (p. 186) hoc praeceptum sufficienter impletur, sive per orationem mentalem, quae denotatur his verbis, *in lege Domini meditantes* sive per orationem vocalem, quae indicatur his verbis: *et in orationibus vigilantes,* sive per orationes jaculatorias, per examen conscientiae, per exercitium Dei praesentiae. Quinimo per qualecumque studium S. Theologiae, etiam Philosophiae et aliarum scientiarum, si fiat in ordine ad S. Theologiae et S. Scripturae intelligentiam assequendam, vel ad majorem Dei gloriam proximique bonum et salutem promovendum. Uno verbo, illud praeceptum sufficienter adimpletur per omnia exercitia fini Ordinis, tam primario, quam secundario consentanea, et ex obedientia suscepta, ita tamen, ut mens nostra, quantum fragilitati humanae hac in vita permittitur, Deo ac rebus divinis

vacet per actus praesentiae Dei, sive per orationes jaculatorias et pia suspiria.

Hinc infertur: a) Religiosum nostrum, qui fideliter juxta praescriptum Constitutionum nostrarum quotidie per duas horas vacaret quidem orationi mentali; reliquo autem tempore incumberet exercitiis a praecepto Regulae alienis, non satisfacere praecepto Regulae, vi cujus ad jugem et continuam orationem tenetur.

b) Religiosum nostrum, qui absque justa causa non interesset communi orationi mentali, eo ipso non agere contra hoc Regulae praeceptum, dummodo aliis modis supra indicatis illud adimpleat. Ratio est, quia Constitutiones assignant quidem orationem mentalem ut medium opportunum, et consentaneum fini Regulae de jugi oratione; sed non ut medium unicum et omnino necessarium, ad hunc finem assequendum. Quod si Religiosus negligat communem orationem mentalem, et non adhibeat alia media, quibus praeceptum orationis adimpletur, agit contra Regulam, ac proinde peccat venialiter; nam qui tenetur ad finem sub peccato veniali, tenetur etiam sub veniali ad media proportionata et necessaria ad finem intentum obtinendum. Quod si eo tempore his negotiis vacaret, quae spectant quidem ad praeceptum orationis in Regula impositum, ageret nihilominus contra Constitutiones sub poena tantum obligantes: ac proinde non esset culpandus de peccato veniali, praecise vi Constitutionum violatarum: attamen ex alio capite posset facile venialiter peccare, ratione inordinationis in regulari disciplina, vel ratione scandali.

c) Religiosum nostrum, qui tempore communis orationis mentalis occuparetur negotiis ex obedientia susceptis, puta confessionis, praedicationis, et non posset alio tempore facile supplere, non agere contra Constitutiones, si postea non suppleat orationem mentalem praetermissam.

d) Religiosos teneri simul convenire ad communem orationem mentalem, in locum ad hoc destinatum, exceptis Fratribus Donatis, qui ex dispositione Prioris in alio loco orationi mentali vacare poterunt.

ARTICULUS X

DE HORIS CANONICIS

408. —Textus: «*Hi, qui Horas canonicas cum Clericis dicere norunt, eas dicant secundum constitutionem SS. Patrum, et Ecclesiae approbatam consuetudinem. Qui eas non noverint, viginti quinque vicibus Pater Noster dicant in nocturnis vigiliis, exceptis Dominicis, et solemnibus diebus, in quorum vigiliis*

praedictum numerum statuimus duplicari, ut dicatur Pater Noster vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur oratio in Laudibus matutinis. In aliis quoque Horis septies similiter eadem dicatur oratio sigillatim, praeter officia vespertina, in quibus ipsam quindecies dicere debeatis.»

Explanatur: Regula primitiva S. Alberti haec habebat: «Hi qui litteras noverunt et legere psalmos, per singulas horas eos dicant, qui ex institutione SS. Patrum et Ecclesiae approbata consuetudine ad Horas singulas sunt deputati. Qui litteras non noverunt, viginti quinque...» Cum textus ille Fratribus dubium generaret, utrum tenerentur ad alias Horas canonicas, praeterquam ad psalmos dicendos; Innocentius IV correxit et declaravit hunc articulum prout nunc in Regula legitur.

In praecedenti articulo actum est de oratione in genere; in praesenti vero agitur de oratione vocali per excellentiam, seu de Officio divino.

409. – Q. *An Fratres nostri obligentur ad Officium divinum?*

R. 1.º *Fratres Choristae* seu Clerici duplicem habent Officii divini obligationem: unam nempe quoad privatam recitationem; alteram vero quoad recitationem in choro.

Fratres Choristae votorum sollemnium tenentur sub gravi ad recitationem privatam Officii divini, non quidem *vi Regulae,* sed ex consuetudine generali vim obligatoriam habente, et ex praescripto Codicis J. C., ut n. 300 dictum est.

Si solummodo vota simplicia emiserint, non tenentur ad hanc privatam recitationem, ne vi quidem Regulae. (Cfr. supra, n. 301).

Omnes autem Fratres Choristae tenentur, *vi Regulae,* ad recitationem Officii divini in choro, quia Regula aperte loquitur de illa recitatione in choro facienda. Et verum, Regula praecipit ut Fratres dicant Horas canonicas *secundum institutionem SS. Patrum et Ecclesiae approbatam consuetudinem.* Porro secundum hanc consuetudinem Horae canonicae in communi dicendae sunt. Praeterea, probatur ex eo, quod silentium inducatur post dictum Completorium, et solvatur post Primam dictam sequentis diei. Atqui id intelligi non potest, nisi de recitatione Officii divini in choro, statutis horis persolvendi.

410. 2.º *Fratres* autem *Laici,* qui Horas canonicas cum Clericis dicere norunt, tenerentur, *vi Regulae,* ad recitationem Officii divini in choro; at jam ex consuetudine Religionis haec obligatio ad solos Choristas restringitur. Ratio est, quia tempore,

quo Regula tradita fuit, distinctio inter Choristas et Conversos non existebat. Ideoque omnes, qui Horas canonicas legere valebant, ad eas tenebantur.

Fratres Donati votorum solemnium nunc temporis tenentur sub peccato veniali, *vi Regulae,* recitare suum officium in *Pater noster,* secundum Regulae praescriptum. Illi autem, qui tantum emiserunt vota simplicia, nullam habent obligationem recitandi illud officium, ne vi quidem Regulae, ut superius n. 302 dictum est.

411.—Q. *Quomodo Officium divinum, vi Regulae, sit dicendum in choro?*

R. Fratres nostri tenentur dicere Horas canonicas *secundum consuetudinem SS. Patrum,* i. e. secundum usum antiquum recitandi preces, quem Monachi, tunc temporis, observare solebant *et Ecclesiae approbatam consuetudinem,* secundum scilicet usum approbatum Ecclesiae Hierosolymitanae, in cujus finibus sacer Ordo noster sumpsit exordium, et a cujus Patriarcha Regulam approbatam suscepit. (Soreth. p. 139). Quare, etsi in recitandis horis antiquam Patrum constitutionem amplecterentur Majores nostri, eam tamen secundum consuetudinem et formam Hierosolymitanae Ecclesiae observabant. Unde usque ad annum 1586, in quo Sixtus V nobis Breviarium Romanum indulsit, perduravit. (Th. a J. p. 515). Itaque ab anno 1586 jam tenemur sequi ritum et formam Breviarii Romani, juxta dicta n. 288.

ARTICULUS XI

DE NON HABENDO PROPRIUM

412.—Textus: «*Nullus Fratrum sibi aliquid proprium esse dicat; sed sint vobis omnia communia, et distribuantur unicuique per manum Prioris, vel per Fratrem ab eodem ad idem officium deputatum, prout cuique opus erit, inspectis aetatibus et necessitatibus singulorum.*»

Explanatur: Textus Regulae primitivae S. Alberti haec habet: «Nullus Fratrum dicat sibi aliquid esse proprium; sed sint vobis omnia communia. Et ex his, quae vobis Dominus dederit, distribuantur unicuique per manum Prioris, id est, per hominem ab eo ad idem officium deputatum, prout unicuique opus fuerit, inspectis aetatibus et necessitatibus singulorum: ita tamen, ut sicut praemissum est, in deputatis cellulis singuli maneant, et ex his, quae sibi distributa fuerint, singulariter vivant».

Cum Regula nostra, ab Innocentio IV approbata et confirmata, intendat vitam perfecte communem in Ordinem inducere, necesse omnino fuit, ut in praesenti Regulae articulo aliqua modificatio fieret, vi cujus Fratres possent ducere hanc vitam communem. Itaque in eo praescribitur modus paupertatis in nostro Ordine servandus; qui consistit in non habendo proprium, sive peculiare retineat; sed omnia, quae acquirit, Superiori tradat, ut ex illis tam ipsi quam aliis aequaliter provideatur, inspectis tamen necessitatibus singulorum.

Jamvero tria requiruntur ad vitam perfecte communem constituendam, videlicet: 1.º ut omnia sint communia; 2.º ut omnia illa communia distribuantur unicuique, per illum, qui habet curam Communitatis; 3.º ut unicuique aequaliter distribuantur, inspecta tamen necessitate singulorum. Porro haec tria reperiuntur in praesenti articulo Regulae, ut legenti textum constat.

413. Praenotandum est illud Regulae: «*Nullus Fratrum sibi aliquid proprium esse dicat.*» Hinc quaeritur, an solum interdicatur his verbis Religioso nihil habere proprium, an etiam id dicere; ita ut peccet, saltem contra Regulam, dicendo v. gr. *hic liber est* meus, sed nullo modo intendendo habere dominium illius?

Aliqui canonistae vident quidem in his verbis mendacium, et consequenter peccatum veniale; sed communiter a peccato mendacii excusatur Religiosus, si velit solum dicere librum illum esse suum, quoad usum dependenter a voluntate Superioris. Sicut ille, qui est in hospitio, potest dicere sine mendacio, hic est meus lectulus; quia scilicet ipsi est assignatus a domino hospitii ad usum. Sic loquendo tamen peccat contra Regulam, juxta Thomam a J. (p. 524) quia talis transgreditur praeceptum Regulae. Lezana autem hoc negat, quia tale dictum non censetur contra praeceptum Regulae. (Cfr. p. 190).

Quo praenotato, Regula clare exponit requisita ad vitam perfecte communem.

414. 1.º «*Sint vobis omnia communia*»: Haec verba eo in sensu non sunt intelligenda, ut unusquisque pro libitu sumere possit ex bonis communibus, quae ipsi sunt necessaria ad usum; nam tunc perturbaretur omnis disciplina regularis, votumque paupertatis, quae usum dependentem rerum hujusmodi requirit, violaretur.

«Ut autem omnibus pateat, inquiunt nostrae Constitutiones, quid sit vita communis; declaramus, communem vitam esse, cum ex communibus officinis res necessariae, Superioris concessu, singulis ad usum tribuuntur, nec privatim aliquis quidquam possidet, sed statim ac eo, quo utebatur, non indiget, in communes officinas refert». (n. 125).

415. 2.º «*Et distribuantur unicuique per manum Prioris, vel per Fratrem ab eodem ad idem officium deputatum*».

Prior non est quidem dominus bonorum Communitatis, sed constituitur tanquam fidelis eorum dispensator. Primitus Regula habebat: *id est per hominem*; sed quia non convenit, ut Prior sua sponte, et sine Fratrum consensu, administrationem extraneo tribuat, caute est positum in Regula «*vel per Fratrem a Priore deputatum*». Prior ergo in sua institutione administrationem bonorum omnium spiritualium et temporalium accipit; et quia difficile plurimum est Priorem utrumque per se agere, cura regiminis animarum sibi retenta, committat temporalium bonorum administrationem Fratri ad hoc officium idoneo.

Ideoque juxta Constitutiones nostras: «Res omnes Fratrum usui destinatae in communes officinas reponantur et asserventur; et inde ministri a Superiore designati ac de ipsius venia, inspectis aetatibus et necessitatibus singulorum, unicuique necessaria provideant, sine Superioris autem venia nullus quidpiam recipiat, vel reservet, aut ulli donet, vel cum saeculari, aut etiam religioso permutet» (Const. n. 20).

«Omnia ex officinis deprompta, et Fratrum usui semel attributa, Superior ad nutum auferre, aut permutare valebit. (Const. n. 21).

Officiales in distributione bonorum non pro libitu procedere possunt; sed ex dispositione Prioris, prout supra n. 234 dictum est.

416. 3.º «*Omnia distribuantur, prout cuique opus erit, inspectis aetatibus, et necessitatibus singulorum*». Quapropter statuitur a Constitutionibus: «Hanc ergo communis vitae rationem universi, tam Praelati, quam subditi, perfecte sequantur, *non personarum, sed solius necessitatis modum attendentes*» (n. 126).

Nomine necessitatis veniunt potissimum in Regula nostra aegritudines ac debilitates Religiosorum. Quare oportet Praelatos maxime intentos esse in necessitatibus infirmorum providendis, ac curam diligentem adhibere de eorum valetudine ac solatio.

Hinc injungitur Priori, ut «eximiam Religiosorum aegrotantium sive imbecillium curam gerat, non secus, ac parens filiorum, et pro medicorum consilio, exactissime opportuna provideat. Neque in aegrorum procuranda salubritate, caeterisque ad eorum solatium necessariis, paupertatem praetendat, memor eorum, quae B. Matri N. Theresiae in alto mentis excessu Christus Dominus olim locutus est: *Superiores,* inquiens, *qui aegris Fratribus non subveniunt pro qualitate morbi, etiam indulgenter, imitantur amicos Job*... Quare ab eadem S. M. N. Theresia praeclare illud, ac pie dictum: *Magis expedit sanos carere necessariis, quam aegros deliciis*» (Instr. Prioris, n. 34).

Non dicitur itaque quod distributio fiat aequaliter omnibus; quia, etsi aequalitas requiratur, illa tamen non est quantitatis, sed sufficientiae. Tunc enim res sic aequaliter dividitur, cum ille, qui distribuit, unicuique prout opus est porrigit. Ex quo multi saepius decipiuntur, cum Fratri delicatiori usum lautioris cibi pro sua necessitate concessum viderint, non est hic, inquiunt, aequa Religio, quae personas accipit, pavet potentes; et ideo hi mensuram quaerunt voluptatis, non necessitatis; non intendentes Regulae intentionem expressam, quae non dicit *aequaliter*, sed «*prout cuique opus erit, inspectis necessitatibus singulorum*». Patientia habeatur et unusquisque recipiat quod a ministrante conceditur. (Cfr. B. Soreth., p. 150 et supra n. 262).

ARTICULUS XII

QUOD LICET HABERE IN COMMUNI

417.—Textus: «*Asinos autem, sive mulos, prout vestra expostularit necessitas, vobis habere liceat; et aliquot animalium, sive volatilium, ad nutrimentum,*»

Explanatur: Per illum articulum, Regulae S. Alberti insertum, explicatur sensus praecedentis articuli, in quo prohibetur habere aliquid proprium. Dubium enim movebatur, utrum prohibitum etiam fuerit aliquid proprium habere *in communi*. Ad quod dubium respondit Gregorius IX his verbis: «Auctoritate praesentium districtius prohibemus, ne in proprietatem de caetero eremi vestrae loca, vel possessiones, vel domus, aut reditus alios recipiatis ullo modo, vel praesumatis habere, praeter asinos, mulos aut aliquot animalium, sive volatilium ad nutrimentum». Hanc Gregorii IX declarationem eisdem verbis fecit Innocentius IV, anno secundo sui Pontificatus, antequam Regulam confirmaret. Itaque, vi Regulae, proprium etiam in communi habendum prohibetur, praeter ea, quae in praesenti articulo ponuntur.

Dicitur vi Regulae: nam post C. Trid. propter concessionem ab illo factam, (Sess. 25, c. 3, de Regul.) nobis licitum est, sicut et aliis Regularibus mendicantibus, exceptis Fratribus Minoribus de Observantia et Capuccinis, bona immobilia et possessiones in communi habere; quod est conforme nostris Constitutionibus n. 617: «Etsi Religio nostra, Ordinibus nomine ac re Mendicantibus adnumerata, solis eleemosynis plerumque vivat, attamen non solum Ordo ipse, sed etiam Provinciae et singulae Domus capaces sunt acquirendi et possidendi bona temporalia, ad normam Sacrorum Canonum et intra fines a Constitutionibus praestitutos» (Cfr. can. 531).

«*Asinos autem sive mulos*». Per illa verba denotantur animalia apta ad vecturam seu laborem. «*Et aliquot animalium sive*

volatilium ad nutrimentum». Per illa verba denotantur paucae vaccae, oves et caprae, aut gallinae, pro lacte, caseo et ovis ad nutrimentum Religiosorum. Regula enim nostra non intendit, juxta Thomam a J. (p. 532), ex carne animalium infirmis nutrimentum procurare.

ARTICULUS XIII

DE ORATORIO ET CULTU DIVINO

418. – Textus: «*Oratorium, prout commodius fieri poterit, construatur in medio cellularum, ubi mane per singulos dies ad audienda Missarum solemnia convenire debeatis, ubi hoc commode fieri potest.*»

Explanatur: In illo articulo duo praecipiuntur: unum nempe, ut Oratorium in medio cellularum construatur; alterum vero, ut ibi per singulos dies Religiosi conveniant ad Missam audiendam.

419. 1.º «*Oratorium, prout commodius fieri poterit, construatur in medio cellularum*». Haec verba referri debent ad formam, qua olim monasteria in Eremis constructa fuerunt, in quibus cellulae ab invicem separatae existebant, et longe distantes. Ideoque illud praeceptum non amplius existit. In hunc locum bene notat B. Soreth, (p. 164) Regulam non dicere templum, quod est amplum tectum, sed oratorium; quia religiosa loca decet esse moderata. Advertendum tamen est, quod diversificatis locis, alia et alia exigitur amplitudo: quia quod in urbe populosa esset moderatum oratorium, illud esset templum in vico, ubi tanta non habetur populi frequentia.

420. 2.º «*Ubi mane per singulos dies ad audienda Missarum solemnia convenire debeatis, ubi hoc commode fieri potest*». In hoc praecepto Regulae, ex communi sensu Religionis *attenditur* ad Missam audiendam *quoad substantiam* et non ad hoc, quod debeant in oratorio convenire ad eam audiendam; ac proinde Fratres nostri Laici, qui Missae inserviunt, vel eam privatim audiunt, satisfacere huic praecepto censentur. Item Sacerdotes, qui privatim Missam celebrant.

Ex eo quod in hoc Regulae textu dicatur: «*ad audienda Missarum solemnia convenire debeatis*», infert Thomas a J. (p. 534) Regulam loqui de Missa conventuali sollemni, aut saltem cantata, ita ut ad eam omnes convenire debeant, ex vi hujus textus Regulae. Lezana autem (p. 191), non admittit hanc interpretationem, tum quia Regula non dicit ad dicenda vel cantanda Missarum sollemnia, sed *ad audienda*; tum quia juxta praxim et usum Religionis quomodocumque aliquis audiat, sive dicat Missam privatam, Regulae satisfacere censetur.

ARTICULUS XIV

DE CAPITULO ET CORRECTIONE FRATRUM

421.—Textus: «*Dominicis quoque diebus, vel aliis, ubi opus fuerit, de custodia Ordinis, et animarum salute tractetis: ubi etiam excessus, et culpae Fratrum, si quae in aliquo deprehensae fuerint, charitate media corrigantur.*»

Explanatur: In illo articulo tria statuuntur, nempe: 1.º tempus, quo Capitulum culparum celebrari debet; 2.º ea, quae in illo tractanda sunt; 3.º modus in correctione servandus.

422. 1.º «*Dominicis quoque diebus, vel aliis, ubi opus fuerit*». Haec verba in duplici sensu accipi possunt: primo, ut nempe diebus Dominicis, vel his impeditis, aliis diebus infra hebdomadam non impeditis, adeo ut Capitulum nonnisi semel in hebdomada celebretur. Secundo vero, ut praeter Dominicas, etiam aliis diebus infra eamdem hebdomadam, ubi opus fuerit, Capitulum fiat. Ex communi autem usu Ordinis in ultimo sensu accipitur. Quod etiam videtur conforme Constitutionibus nostris, in quibus haec habentur: «Propterea ordinamus, ut in singulis nostrorum Fratrum Conventibus, Capitulum per singulas hebdomadas, ut in Regula sancitum est, a Superiore locali vel alio ex ipsius expressa commissione fiat, in quo de culpis ordinariis, ad Praelati jurisdictionem spectantibus, ex caritatis affectu Fratres corripiantur» (n. 190).

Jamvero Capitulum culparum, vi Regulae, semel in hebdomada est celebrandum. Hic notandum est illud praeceptum a Regula sat rigide imponi, cum in ipsa non reperiatur clausula, quae alioquin saepius in aliis materiis habetur: *ubi commode fieri potest,* vel quid simile.

In Regula autem non praescribitur hora, qua Capitulum culparum celebrari debet; sed juxta Constitutiones nostras: «Capitulum mane aut vespere fiat, qua hora communis oratio fieri deberet. (n. 191).

423. 2.º «*De custodia Ordinis et animarum salute tractetis, ubi etiam excessus et culpae Fratrum corrigantur*». a) Imprimis in Capitulo tractatur *de custodia Ordinis*. Jamvero custodia Ordinis nihil aliud dicit, quam observantiam disciplinae regularis reficere, sustentare ac promovere. Quare ea de re in Capitulo potissimum agendum est, ut imprimis Superior, opportunis et ferventibus exhortationibus, subditos ad profectum et observantiam regularem alliceat ac moveat; eisque indicet media apta et efficacia ad hunc finem obtinendum; deinde tum Superior, tum subditi vicissim advertant et conferant, quid ex-

pediens, aut utilius sit ad exactiorem, tam Regulae, quam Constitutionum aliarumque Ordinationum observantiam; ac praeterea qua ratione occurrendum sit, ne abusus aliqui in monasterium inducantur, vel quomodo inducti, ne ulterius serpant, tollendi ac radicitus exstirpandi sint. Quapropter Constitutiones nostrae, n. 191, praescribunt, «ut exhortatio ultra dimidiam horam, item et culparum correptio non duret».

«Finita vero culparum correptione, Superior interroget Patres, an ad rectam domus gubernationem aliquid fieri expediat: supplex etiam rogabit, ut, si quas in eo culpas animadvertant, eum seorsum in cella moneant, vel Patrem aliquem de iis certiorem faciant, qui postmodum eum admonebit» (n. 195).

Secundario et minus principaliter tractatur etiam in Capitulo de aliis rebus, quae in Capitulo vocali tractari solent. Et sane, negotia hujusmodi, etsi minus principaliter, pertinent tamen ad custodiam Ordinis. Ceterum, quod in Capitulo de his agi possit, clare constat ex Ordinario (n. 1045) ubi praescribitur, ut suffragiorum vasa Supprior curet apponi in loco Capituli. Non est tamen ubique in usu, quod in hoc Capitulo agatur de negotiis temporalibus monasterii.

424. b) Deinde in Capitulo tractatur «*de animarum salute*». Haec verba: «*et animarum salute*» inserta sunt huic Regulae articulo ab Innocentio IV. Ex contextu autem Regulae, haec verba videntur referri ad salutem Fratrum, et non ad salutem fidelium; siquidem agitur de iis, quae in ipso Capitulo agenda sunt. Quod agatur de animarum salute Fratrum, est consequens ad primum; nam in custodia Ordinis animarum salus sita est. Itaque in specie haec verba aliquid amplius quam praeterita indicare debent. Et sic Praelatus in Capitulo per suas instructiones non tantum indicat media generalia et efficacia ad custodiam Ordinis, sed insuper unicuique qualiter in via salutis progredi debeat, secundum diversum uniuscujusque statum, munus, vel profectum in communi aut in particulari, si opus fuerit, declarat et docet. (cfr. Th. a J., p. 535). Attamen idem auctor (p. 461) longe lateque probare intendit illa verba referenda esse ad salutem fidelium.

425. c) Tandem in Capitulo tractatur de culpis Fratrum corrigendis: «*ubi etiam excessus et culpae Fratrum, si quae in aliquo deprehensae fuerint, charitate media corrigantur*». Correctio Fratrum intime connectitur cum eis, quae supra dicta sunt de custodia Ordinis et salute animarum. Et verum, ad restaurandam, sustentandam, et promovendam observantiam regularem, ac procurandam salutem animarum, non sufficit quod Superior suis exhortationibus viam rectam subditis ostendat ad finem intentum consequendum; sed insuper requiritur, ut declinantes ab illa via recta reducat ad eam, eisque poenas congruas impo-

nat, quibus defectus praeteriti corrigantur et reparentur, et futuri praecaveantur et impediantur.

426.—Q. *Quinam in Religione habeant obligationem corrigendi culpas et defectus commissos?*

R. 1.º Illa obligatio imprimis incumbit illi Superiori, qui habet curam Communitatis. Quoad hanc obligationem non debemus solummodo attendere ad praescriptum Regulae nostrae; sed etiam, et quidem praesertim, ad obligationem, quae incumbit Superiori ratione sui officii. Ipse enim constituitur custos observantiae regularis: ergo tenetur *vi officii* corrigere defectus subditorum, etiam leves, qui nati sunt inducere relaxationem in disciplina regulari, cujusmodi sunt transgressiones in assistentia choro et orationi mentali, in jugi cellulae habitatione, in exitu e claustro, in cultu silentii regularis, aut in vita communi commissae. Et quamvis subditi, hujusmodi defectus committentes, nonnisi leviter peccent, Superior tamen, qui tales defectus ex sua negligentia non impedit, posset aliquando peccare mortaliter. Ratio est, quia licet quisque Religiosus non deficiat in re gravi levem regulam transgrediendo; Superior tamen negligens impedire, cum possit, observantiae relaxationem, deficit in re gravi. Et ideo tenetur defectus subditorum in damnum totius Communitatis vergentes non solum corrigere, sed etiam inquirere, ut corrigat. Expedit autem, ut aliquando corrigere dissimulet, si defectus scandalum non afferant, vel si praevideat subditum ex correctione pejorem fieri, vel si tempus opportunius sit expectandum. (Cfr. S. Alph. l. 4, n. 13, S. Th. 2-2, q. 33, a. 2, ad 4).

2.º Deinde obligatio haec etiam incumbit Zelatori, qui ex officio ad hoc tenetur, vel saltem admonere tenetur Superiorem; dicente S. Alphonso: «sicut Superior tenetur corrigere, sic de transgressionibus aliorum tenetur ipsum admonere, qui officium Zelatoris habet» (l. c.)

3.º Demum omnes quoque ad hoc tenentur ratione caritatis. Munus zelatoris est observantiam regularem zelare, et in hac parte Praelati curam et vigilantiam adjuvare. Cum enim Praelatus ubique adesse non possit, ut aliorum defectus notet aut emendet, rueret profecto regularis disciplina, aut maxima ex parte periret, si non essent in Religione, qui vice Praelati Religiosorum conversationem explorent. (Cfr. Th. a J., p. 537). Quapropter Constitutiones nostrae (n. 192) statuunt, ut non solum Zelator culpas proferat, sed etiam ceteri Patres jussi a Superiore. In eo sensu legitur in Instr. Prioris n. 12: «Capitulum culparum omni cura fovebit, in eoque strenue insistet, ut si quae forte in aliquibus deprehensae fuerint, de iis non a Zelatore solum, sed a reliquis Patribus juxta Constitutiones, ca-

ritate media moneantur, ne tam probata inter nos, utilisque per omnia exercitatio paulatim deferveat».

427.—Q. *Quinam defectus in Capitulo corrigendi sint?*

R. Cum in Capitulo culparum tantummodo agatur de defectibus, qui damnum inferunt disciplinae regulari, sequitur hic non agi de culpis internis.

Quod autem attinet ad culpas externas, distinguendum est inter leves, quae scilicet famae jacturam non inferunt, et graves, quarum revelatio grave inferret damnum famae accusati. Leves culpae manifestari possunt in Capitulo, etiam non praemissa fraterna correctione; quia Religiosus censetur in hoc renuntiare juri suo. Quod autem spectat ad culpas graves, generatim manifestari non possunt, nisi sint jam publicae et notoriae majori parti communitatis. Ratio est, quia ex una parte sequi tenemur in correctione fraterna normam a Christo Domino nobis traditam, juxta quam admonitio privata praemitti debet; et ex alia parte Religiosus non censetur in hoc juri suo renuntiasse.

Ad modum autem quod attinet in correctione servandum, in ipsa Regula exponitur his verbis: «*charitate media corrigantur*». Ideoque instructio Prioris n. 2-3, statuit ut: «in subditorum regimine Christi benignitatem, mansuetudinem, charitatem pro viribus imitetur. Severitatem tamen opportune misceat lenitati».

428.—Q. *Quomodo correctio perferenda sit?*

R. «Ille vero, qui corripitur, monitionem humiliter ferat, dicatque, *mea culpa,* et se prosternet, donec dato signo caput elevet: dato autem signo, et elevato capite, correptionem genuflexus et tacitus audiat; nec de se ipso defendendo cogitet, memor Christi, qui accusatus siluit: si vero de afferenda excusatione a Superiore moneatur, parce ac velut coactus illam proferat; qui secus excusationem attulerit, gravem poenam sustinebit. (Const. n. 193).

Si quis a nemine admoneatur, et se ipsum accusare velit, se prosternet; et signo dato caput elevet, ac genuflexus culpam aperiat, correptionemque libenter audiat» (n. 194).

Non poterit tamen quascumque culpas aperire in Capitulo, sed in hoc attendat ad ea, quae dicta sunt in Instructionibus; ubi legitur: «Nemo, etsi proprias, occultas tamen culpas, quae infamiam redolent, vel gravare aures discumbentium pervalent, manifestet; nisi accedente Superioris expressa venia, magna tantum ex causa, et rei accurato examine concedenda, et absque verborum prolixitate, artificiove, humiliter, sedateque suos defectus, ac negligentias et seriam emendationis mentem aperiat, Fratrumque orationes expostulet (Instr. pro extr. Mortif., n. 6).

429. — Q. *Quid intelligatur per Capitulum parvum culparum?*

R. Est Capitulum culparum post coenam, aut collationem a Constitutionibus praescriptum, prout sequitur: «Praeter dies Dominicos et festa primae et secundae classis eorumque vigilias et quatriduum ante Pascha, pridieque diei Capituli Conventus, Superior localis, et eo absente, Supprior vel de expressa Superioris venia alius surgente Zelatore, ac postquam ei fuerit jussum, leves culpas sincere proferente, Fratres ex caritate corripiat: Fratres vero singuli statim ac a Zelatore nominantur, et alii seipsos accusare volentes, dicentes, Mea culpa, se prosternant, et humiliter admonitionem audiant, et poenitentiam impositam impleant: illos vero, ne quotidiana correptio molesta fiat, Superior infra octavam circiter horae partem expediat». (n. 197).

ARTICULUS XV

DE JEJUNIO FRATRUM

430. — Textus: «*Jejunium singulis diebus, exceptis Dominicis, observetis a Festo Exaltationis sanctae Crucis, usque ad diem Dominicae Resurrectionis; nisi infirmitas, vel debilitas corporis, aut alia justa causa jejunium solvi suadeat: quia necessitas non habet legem.*»

Explanatur: In illo articulo quinque reperiuntur statuta quoad jejunium, videlicet: 1.º praeceptum jejunii; 2.º tempus, quo est jejunandum; 3.º casus excepti; 4.º natura jejunii; 5.º causae excusantes a jejunio.

431. 1.º «*Jejunium... observetis*». His verbis a Regula imponitur praeceptum jejunii, sub levi obligans. Jamvero quando commune praeceptum jejunii sub gravi obligat, tunc pro nobis non videtur simul adesse obligatio jejunandi ratione Regulae, sub peccato veniali; quia, etsi duplex habeatur legislator, non tamen praecise ex hoc multiplicantur praecepta; sed tunc solummodo, quando, praeter diversitatem legislatorum, praecepta imponuntur sub diverso motivo formali. Porro in praesenti casu motivum formale, ob quod jejunium, tum ab Ecclesia, tum a Regula imponitur, non videtur diversum, siquidem ab utroque, *ratione temperantiae* praecipitur.

432. 2.º «Jejunium *singulis diebus,* exceptis Dominicis, *observetis, a Festo Exaltationis sanctae Crucis, usque ad diem Dominicae Resurrectionis*».

Quapropter praeter diuturnum illud, quod juxta regulam ab inclusa Exaltatione Sactae Crucis usque ad Pascha, id est ad meridiem Sabbati Sancti, observatur, jejunabunt Fratres nostri in Vigiliis Visitationis et Nativitatis Beatae Virginis, in Vigilia Commemorationis Sollemnis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, in qua abstinebunt etiam ab ovis et lacticiniis, in Vigilia Corporis Christi et Sancti Patris nostri Eliae, in die Sancti Marci et tribus Rogationum diebus, ac universis feriis sextis a Paschate usque ad Exaltationem Sanctae Crucis. A lege jejunii excipiuntur omnia festa de praecepto (juxta can. 1247, § 1). extra Quaedragesimam, tres dies, post Natale Domini, festa Sanctae Matris nostrae Theresiae et Sancti Patris nostri Joannis a Cruce, ob laetam eorum dierum sollemnitatem, et omnia festa primae classis a Paschate usque ad Exaltationem Sanctae Crucis; jejunia autem in pervigilia nunquam anticipantur (66). Declaramus autem abstinentia per Regulam praescripta non prohiberi usum ovorum, lacticionorum et quorumlibet condimentorum, etiam ex adipe animalium (68).

Lex jejunii tum ecclesiastici tum nostri praescribit, ut nonnisi unica per diem fiat comestio; sed non vetat aliquid cibi mane et vespere sumere, servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine. Verum licet diebus jejunii regularis collationem paulo ampliorem apponere, quam diebus jejunii ecclesiastici (n. 69).

433.—Q. *Quaenam sint causae a jejunio Regulae excusantes?*

R. Sunt sequentes, in ipsa Regula assignatae, his verbis: «Jejunium observetis... *nisi infirmitas, vel debilitas corporis, aut alia justa causa jejunium solvi suadeat: quia necessitas non habet legem.* Cum haec verba sint amplissima, amplissimam quoque admittunt explicationem; ita ut plurimae causae sint, propter quas Religiosi nostri ab ista lege jejunii excusari possint.

Itaque causa excusans a jejunio est *infirmitas vel debilitas* corporis, ad quam etiam reducitur infirma complexio, talis scilicet, ut capitis dolorem, vertiginem, aut simile incommodum ex jejunio ortum vel per jejunium augendum participet.

434. *Alia justa causa* reduci potest ad pietatem et necessitatem. Ratione pietatis excusantur omnes, qui habentes aliquod officium pietatis vel caritatis erga proximum, non possint, servato jejunio, obligationibus sui officii, modo debito satisfacere. Quinam vero ex nostris Religiosis habeant hujusmodi causas a jejunio excusantes, in praxi prudenti relinquatur judicio Superioris.

Ratione autem necessitatis, excusantur illi, qui servato jejunio, non valerent modo debito perficere opera corporalia val-

de laboriosa ex obedientia, aut ex alia juxta causa suscepta, dummodo in fraudem jejunii non suscipiantur.

Quum vero, inspectis circumstantiis, dubitatur, utrum causa sit sufficiens, datur locus dispensationi. Notant auctores eo in casu prudentis Superioris esse dispensare, neque subditos relinquere suae conscientiae.

435.—Q. *An Religiosi nostri juniores ante vigesimum primum aetatis annum completum censeantur exempti a jejunio regulari, sicut exempti sunt a jejunio communi Ecclesiae?*

R. Regula nostra nullatenus attendit ad hanc causam excusantem, ne implicite quidem, nisi sint debiles; ratio disparitatis est, quia hujusmodi juniores ob privilegium non tenentur ad servandum jejunium Ecclesiae; sed illud privilegium minime existit respectu jejunii regularis, cujus observantia ab omnibus profitentibus promittitur, et solummodo solvitur ob causas in ipsa Regula admissas. (*Ita communiter auctores contra paucos*).

436.—Q. *An Religiosi sexagenarii censeantur excusati a lege jejunii regularis?*

R. Controvertitur: datur enim triplex sententia: *prima* eos excusat; quia jejunium regulare, utpote ecclesiasticum, sequitur naturam jejunii Ecclesiae; ac proinde sub iisdem modis ac conditionibus obligat, et ob easdem causas solvitur. Etenim sexagenarii sunt exempti a jejunio ecclesiastico ad normam can. 1254, § 2, et eodem modo a jejunio regulari.

Secunda autem sententia docet illos teneri ad jejunium. Ratio est, quia per professionem se obligant ad jejunium, quamdiu illud moraliter observare valent. Si itaque Religiosi sexagenarii absque gravi incommodo adhuc possunt jejunare juxta morem Ordinis, ad hoc tenentur. Haec sententia favet observantiae regulari, et in praxim deducitur ab omnibus Religiosis, qui profectum suum spiritualem cordi habent; ac proinde videtur conformior professioni religiosae; quapropter etsi stricte loquendo imponi nequeat ista sententia, est tamen valde commendanda.

Demum *tertia sententia* distinguit inter eos, qui adhuc sunt sanae et robustae complexionis, et illos, qui infirmam ac debilem habent complexionem. Priores tenentur jejunare; non vero posteriores. Sed ista sententia fere nihil differt a secunda; imo apud nos nullo modo differt, siquidem *debilitas corporis* ponitur in ipsa Regula ut causa excusans.

437.—Q. *Quaenam poenae statutae sint contra transgressores jejunii?*

R. Poena media imponitur jejunia Constitutionum non ob-

servanti; (Const. n. 667), poena autem gravis Regulae jejunium non observanti (n. 669).

ARTICULUS XVI

DE ABSTINENTIA CARNIUM

438.—Textus: «*Ab esu carnium abstineatis, nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur. Et quia vos oportet frequentius mendicare itinerantes, ne sitis hospitibus onerosi, extra domus vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus: sed et carnibus supra mare vesci licebit.*»

Explanatur: In illo articulo duo statuuntur, nempe: 1.º praeceptum abstinentiae ab esu carnium; 2.º causae ab hoc praecepto excusantes.

439. 1.º «*Ab esu carnium abstineatis*». Illud praeceptum Regulae est *personale* et *locale*. Est *personale*, ac proinde obligat omnes Religiosos; quo in sensu haec habent nostrae Constitutiones: «Carnibus autem extra claustra nec Superiores nec subditi vescantur, nisi justa de causa habitaque Praelatorum venia» (n. 74).

Est etiam *locale* respectu extraneorum cum juxta Constitutiones nostras, n. 72, «non permittatur extraneis, nisi infirmis vel debilibus intra clausuram vesci carnibus».

440.—Q. *Quid veniat nomine carnium?*

R. Cum esus carnium a Regula nobis eodem modo prohibeatur, ac certis diebus esus carnium ab Ecclesia interdicitur, nomine carnium veniunt ea omnia, quae tanquam carnes aestimantur, juxta doctrinam ab auctoribus communiter traditam. Hinc:

1.º Summa regula est, ut attendatur communis aestimatio fidelium in singulis regionibus: nam in materia abstinentiae, deficientibus legibus scriptis, summum imperium habet consuetudo, nisi forte merus abusus sit, contrarius legi abstinentiae, prout ubique observatur. (Cfr. S. Alph. l. 3, n. 10-11).

2.º Si autem in aliqua regione deesset consuetudo, v. gr. quoad animalia rariora, sequenda est regula, quam supppeditat S. Thomas (2-2 q. 147, a. 8) carnem censeri animalia in terra quiescientia et respirantia, seu quae diu extra aquam vivere solent. Amphibia accenseri solent iis animalibus quibuscum majorem similitudinem habent. Si igitur eorum caro magnam habet similitudinem cum carne illorum animalium, quae certe et ubique prohibentur, et ipsa censenda sunt prohibita. (Cfr. Bened. XIV, de Syn. l. II, c. 5 ,n. 12).

3.º Si adhuc dubium probabile maneat, vel de consuetudine, aut de natura carnium alicujus animalis, licebit eas comedere, donec auctoritas ecclesiastica, vel accuratius examen certam prohibitionem fecerit.

Ob rationes intrinsecas, vel receptas consuetudines, piscibus accenseri solent ranae, limaces, testudines *(tortues)* ostrea *(huitres)* cammari *(homard)* lutrae (*loutres*) castores. Aves vero generatim carni accensentur, licet aliquae in aquis nutriantur, v. gr. mergi (plongeons), anates (canards), querquedulae (carcelles). Fulicas (foulques) quidam certe prohiberi putant, ut Berardi (Praxis, n. 2951) eo quod Ordini Minimorum (quibus esus carnium omnino interdictus est) tantum *ex gratia* concessum est a Pio VII, 22 Febr. 1804, iis vesci. Alii autem forsan rectius censent tali dispensatione, quae ob multas causas dari potuit non dirimi quaestionem theoreticam. Ideo has ceterasque aves aquaticas adhuc comedere licet, ubi viget consuetudo. (Cfr. Ball. P. n. 13, et Génicot II, n. 432).

Hic notandum venit Regulam nostram non censeri imponere speciale praeceptum abstinentiae diversum a praecepto abstinentiae ab Ecclesia pro certis diebus imposito.

441. 2.º «*Nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur. Et quia vos oportet frequentius mendicare itinerantes, ne sitis hospitibus onerosi, extra domus vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus: sed et carnibus supra mare vesci licebit*». Unde juxta ipsam Regulam, quatuor habentur causae ab esu carnium excusantes.

422. Prima causa est *infirmitas,* qua in re prudentis et timorati medici judicio standum est. Dicitur *timorati,* quia aliquando tam laxiores sunt medici, ut non semper illis credi debeat. Attendatur ad hoc, quod *carnes pro infirmitatis remedio sumantur.* Reperiuntur quandoque Religiosi, qui procliviores sunt ad manducandas carnes; et facile exaggerant apud medicum suas necessitates, et instanter, opportune et importune sollicitant esum carnium pro remedio infirmitatis. Quoad hujusmodi Religiosos medicus deberet firmiter declarare esum carnium pro ipsis non esse necessarium, eumque, quatenus ad ipsum spectat, non posse concedere.

443. Secunda causa est debilitas, per quam intelligitur languor corporis, vel imbecillitas. Et non requiritur *nimia* debilitas. Quapropter, cum in Regula primitiva haberetur «*nimiae debilitatis*», Innocentius IV confirmando Regulam, abstulit illud verbum *nimiae,* quod natum fuit injicere scrupulos et anxietates. Quemadmodum hac in re, vitanda est nimia indulgentia, ita vitanda est nimia severitas; tum ex parte Superioris licentiam concedentis, tum ex parte subditi licentia concessa utentis. Itaque Religiosus exponat candide et sincere statum suum ea in-

tentione, ut humiliter sese subjiciat judicio Superioris, libenterque praescripta illius acceptet et impleat.

444. Tertia causa est, qua Religiosis itinerantibus et extra domus suas versantibus, permittitur sumere *pulmenta cocta cum carnibus*. Quam mitigationem concessit Innocentius IV, *ne Religiosi sint hospitibus onerosi*, scilicet: ne recipientes Fratres sollicitudine quaerendi et procurandi eis cibos graventur; ideoque eis tales cibi conceduntur, qui facile apud omnes reperiri possunt, cujusmodi sunt pulmenta cocta cum carnibus.

Per *pulmentum* autem intelliguntur, ex communi usu Ordinis, legumina, herbae, offae, et quidquid aliud cum carnibus coctum, dummodo non sit ipsa caro. Imo intelligitur etiam ipsum jus, cum quo carnes coquuntur.

Et quia vos oportet frequentius mendicare: Hic verbum *oportet* non importat praeceptum, juxta Thomam a J., (p. 552) sed significat quamdam honestatem et condecentiam status; quasi dicat: quoniam vos paupertatem strictissimam profitemini, oportet eam, ut plurimum itinerantes, in mendicando servare. Et licet de mendicitate expresse tantum hic decernatur; tacite tamen ut pedites itineremus, ex mente Regulae colligi videtur: quia nunquam equitantes mendicare consueverunt; et praeterea, quia maxime modus iste itinerandi paupertati convenire dignoscitur. Neutrum vero Regula praecipit, sed tantum monet; idque non semper sed frequenter fieri commendat.

Itinerantes: vi Regulae Religiosi nostri uti non possunt illa indulgentia, nisi *actu sint itinerantes*. Consuetudine tamen receptum est in Ordine, quod etiam non itinerantes extra conventum O. N. manducantes, hujusmodi pulmentis, v. gr. jusculo, uti possint.

Ne sitis hospitibus onerosi: Si hospites non sumerent fastidium ex Fratrum abstinentia a carnibus, eo quod haberent pisces, eo in casu adhuc illa licentia uti possint.

Praeterea, generatim severitas hac in re, etsi aliquando videatur gravare hospites, cedit demum in eorum aedificationem, simulque in decus ac splendorem Ordinis.

445. Quarta causa est, qua Fratribus: «*carnibus supra mare vesci licebit*». Haec dispositio Regulae intelligi debet pro tempore navigationis propter penuriam ciborum. Itaque Religiosus, qui causa recreationis supra mare navigaret, non posset uti illa indulgentia. Ratio est, quia etsi praecise non ageret contra litteram Regulae, esset tamen contra sensum a lege intentum, qui plus inspici debet, quam nuda verba illius.

446.—Q. *An Religiosi nostri nunquam uti possint epikeia in illo praecepto Regulae?*

R. Controvertitur: Lezana (p. 196) affirmat pro casu, quo

invitati essent ad mensam Principis aut Episcopi, si ipsi aegre ferant hanc abstinentiam ,et etiam ipsis molestum sit, quod tantum utantur pulmentis. Itaque eo in casu per epikeiam praesumi posset Regulam non obligare. E contra Thomas a J. (p. 554) et Antonius a Spir. S. (p. 178 et 428) absolute negant. Ratio est, quia non datur in lege locus epikeiae, nisi in casu, quo hoc est bonum in se et aequum, et observantia legis cederet in damnum caritatis. Porro abstinentia a carnibus illo in casu nedum in detrimentum caritatis cederet; sed procuraret Ordini nostro maximum bonum, scilicet splendorem et honorem, cederetque in aedificationem discumbentium. Ad hoc attendat Religiosus, qui in hoc casu versaretur; et non admittat epikeiam, nisi in casu quo observatio legis abstinentiae esset moraliter impossibilis. Praxis apud Nos est, ut illi, qui invitati sunt ad hujusmodi mensam, sumant ex cibis appositis eos, qui a Regula permittuntur, ceteris vero aliis discumbentibus relictis.

447. Ex eo quod Regula hic non addat: *aut alia justa causa,* sicut fecit pro jejunio, probatur praeceptum abstinentiae a carnibus apud Nos esse maximi momenti. Accedunt opportunae praecautiones a Constitutionibus adhibitae, ut hoc praeceptum contra omnem relaxationem praeservetur.

ARTICULUS XVII

DE ARMIS SPIRITUALIBUS

448. — Textus: «*Quia vero tentatio est vita hominis super terram, et qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur; adversarius quoque vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quaerens quem devoret; omni sollicitudine studeatis indui armatura Dei, ut possitis stare adversus insidias inimici. Accingendi sunt lumbi vestri cingulo castitatis, muniendum est pectus cogitationibus sanctis: scriptum est enim: cogitatio sancta servabit te.* (1) *Induenda est lorica justitiae, ut Dominum Deum vestrum, ex toto corde vestro, et ex tota anima vestra, et tota virtute diligatis, et proximum vestrum tanquam vos ipsos. Sumendum est in omnibus scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: sine Fide enim impossibile est placere Deo. Galea quoque*

(1) Prov. cap. 2, v. 11. Ex Translat. Septuag. Interp. Integer versiculus sic habetur: Consilium bonum custodiet te, cogitatio autem sancta servabit te. Cfr. Corn. Alapide in h. l.

salutis capiti imponenda est, ut de solo Salvatore speretis salutem, qui salvum facit populum suum a peccatis eorum. Gladius autem spiritus, quod est verbum Dei, abundanter habitet in ore et in cordibus vestris: et quaecumque vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant.»

Explanatur: Praesens Regulae articulus gravis quaedam et salubris monitio est, qua in memoriam revocatur mortalis vitae conditio, et perennis militia, seu tentatio, qua infestamur. Indicat hostes, contra quos pugnare debemus: ex parte carnis, tentatio, ex parte mundi, persecutio; ex parte diaboli, aggressio. Deinde praebentur arma spiritualia, quibus hostes nostrae salutis impugnare possumus. Haec arma sunt: mortificatio sensuum et exercitium orationis et virtutum, tum moralium, tum theologicarum; et haec omnia fiant bona intentione.

Ea quae habentur in praesenti articulo non ponuntur per modum praecepti, sed per modum exhortationis; et si quaedam sunt de praecepto, hoc non est vi Regulae, sed ex alio capite.

Quoad illa verba: *verbum Dei abundanter habitet in ore et in cordibus vestris*, intelligenda sunt juxta alios, de colloquiis piis inter Fratres, et tunc sunt tantum de consilio; vel, juxta alios, de munere praedicationis, et tunc videtur esse obligatio; at si adsit haec obligatio, provenit potius ex statu religioso, quatenus Regulares mendicantes obligantur ad munus praedicationis, quam ex vi Regulae.

ARTICULUS XVIII

DE LABORE MANUUM

449. — Textus: «*Faciendum est vobis aliquid operis, ut semper diabolus inveniat vos occupatos, ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat invenire: Habetis in hoc Beati Pauli Apostoli magisterium pariter, et exemplum; in cujus ore Christus loquebatur, qui positus est a Deo Praedicator et Doctor gentium, in fide et veritate: quem si secuti fueritis, non poteritis oberrare. In labore, (inquit) et fatigatione fuimus inter vos, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus: non quasi nos non haberemus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis, ad imitandum nos. Nam, cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, non manducet.*

Audivimus enim inter vos quosdam ambulantes inquiete, nihil operantes. His autem, qui huiusmodi sunt, denuntiamus et obsecramus in Domino Iesu Christo, ut cum silentio operantes, panem suum manducent. Haec via sancta et bona: ambulate in ea.»

Explanatur: In hoc articulo labor manuum duplici commendatur argumento, impugnatione nimirum diaboli in eis, qui non sunt occupati, et doctrina atque exemplo S. Pauli Apostoli.

450. 1.º «*Faciendum est vobis aliquid operis, ut semper diabolus inveniat vos occupatos*. «Non enim facile capitur a diabolo, qui bono vacat exercitio. E contra diabolus facile vincit illum, quem invenit inoccupatum, nam otiositas curiositatem introducit, curiositas concupiscentiam, concupiscentia malum affectum, malus autem affectus attrahit actum peccati. Itaque devitandum summopere est otium, «*ne diabolus ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat invenire*». Cassianus refert quod apud antiquos Patres haec erat sancta sententia: operantem Monachum daemone uno pulsari, otiosum vero innumeris spiritibus devastari.

451. 2.º «*Habetis in hoc beati Pauli Apostoli magisterium pariter et exemplum*». *Qui*, etsi *positus* fuerit *a Deo Praedicator et Doctor gentium* quaerebat tamen labore manuum cum fatigatione victum sibi necessarium; non usus est igitur potestate, quam habebat, stipendium vitae suscipiendi a fidelibus, ut nimirum nobis esset exemplo.

452. — Q. *An Regula nostra hic praecipiat laborem manuum?*

R. Ex contextu ipsius Regulae non constat; Constitutiones autem videntur innuere hic solummodo agi de gravi monitione, dum dicunt: «Ut Regulae nostrae, otium vitandum graviter monentis, sensum observemus, praecipimus, ut nullus Superior Fratres in claustro otiosos esse permittat: sed curet, ut omnes intra vel extra cellas utiliter occupentur, singulisque spiritualia vel corporalia exercitia, prout in Domino expedire putaverit, praescribat» (n. 99).

Juxta Lezana (p. 198) et Thomam a J. (p. 556) haec verba: «*faciendum est vobis aliquid operis*», non continent merum consilium seu exhortationem, sed constituunt praeceptum. Ratio est, quia labor manuum est maxime necessarius vitam solitariam agentibus; praeterea, quia labor hic praecipue ad cellae jugem custodiam ordinatur. Quare cum Regula nos manere in cellis semper praecipiat, recte, tanquam medium necessarium ad consequendam hanc cellae custodiam, laborem manuum praescribit. Denique colligitur ex hoc quod labor ordinetur ad vitan-

dum otiositatem: cum enim vitare otium jure naturae praeceptum sit, ita ut quodcumque verbum sive opus otiosum, sit peccatum, saltem veniale, recte sequitur etiam ipsum laborem, qui ordinatur ad otium fugiendum, praecipi sub aliqua culpa, saltem veniali.

Utrum illae rationes sufficienter probent adesse in Regula praeceptum laborandi, non est cur eas ad trutinam revocemus; siquidem non est quaestio practica magni momenti: nam quidquid sit de praecepto laborandi in Regula contento, ex alio capite probatur existentia illius praecepti pro Religioso. Et verum, sicut Religio tenetur alere Religiosum, ita Religiosus tenetur laborare in favorem Religionis. Sicut filius tenetur patri labores circa rem domesticam imponenti, obedientiam praestare, ita Religiosus tenetur exsequi labores a Superiore praescriptos.

453. — Q. *An hic praescribatur labor manualis?*

R. Quamvis in Regula explicite non exprimatur, quod labor iste debeat esse manualis, implicite tamen hoc sufficienter exprimitur, ex eo quod adducatur exemplum S. Pauli laboribus manualibus incumbentis; ut nobis formam daret, ad ipsum imitandum. Hic autem labor manualis non solum comprehendit omnia officia humana, ex quibus homines licite victum quaerunt, sive manibus, sive pedibus, sive lingua fiant; sed etiam, quod attinet ad Religiosos, alia ministeria, in quibus praecipue corporis labor exercetur, cujusmodi sunt: officia procuratoris, janitoris, sacristae, infirmarii, etc.; imo etiam lectiones sive theologicae, sive philosophicae, sive grammaticae sint: nam lingua in hoc casu nomine manus comprehenditur. Insuper sufficiunt etiam officia spiritualia.

454. — Q. *Ad quemnam finem dirigatur labor manualis?*

R. Finis praecipuus, ob quem labor manualis commendatur est, ut otium vitetur. Ideoque haec statuunt Constitutiones nostrae: Prior «subditos frequenter visitet, ac exploret, an in cellis maneant, et in eis, ac extra eas aliquid boni agant» (n. 582).

Praeterea «quae statuunt Constitutiones nostrae de vitanda otiositate, congruisque singulis exercitiis praescribendis, de cellarum recessu, et saecularium declinandis congressibus, intelligat Prior maximopere ad subditorum profectum conferre; ideoque omnia quam diligentissime, tum ipse custodiat, tum ab aliis postulet custodiri.

Serio Officiales admoneat, ut suas singuli peculiares Instructiones habeant in cella, vel Officina, easque crebrius legant, et perfectius servent» (Instr. Prioris, n. 17 et 19).

455. Ex his patet Superiores seriam habere obligationem praescribendi suis subditis occupationes congruas et intento Regulae consentaneas, ut sic Religiosi possent instituere et ducere

vitam Regulae et Constitutionibus conformem. Sed si Superiores illam habent obligationem praescribendi subditis occupationes congruas, subditi quoque habent obligationem labores et occupationes praescriptas fideliter adimplendi: ideoque tenentur se abstinere ab his futilibus occupationibus, quibus curiositas et dissipatio alitur, et spiritus orationis animique recollectio deperditur. Hujusmodi sunt: lectio immoderata ephemeridum, librorum romanensium, vel eorum, qui non habent utilitatem; confectio earum rerum, quae nullam habent utilitatem; vel transcriptio eorum, quae nociva sunt, vel saltem inutilia.

456.—Q. *Quomodo sit laborandum?*

R. Religiosus eo modo incumbat laboribus ex obedientia susceptis, ut spiritus orationis a Regula intentus non impediatur.

Ideoque haec statuunt Constitutiones nostrae: «Cum vero in communi opus aliquod efficiunt, vel sileant, vel psalmos recitent, vel etiam de divinis rebus verba faciant; aut denique, aliis audientibus, pium aliquid unus e libro legat, ne Regulae, nos in silentio operari praecipientis, spiritum extinguant» (n. 98)

In eodem sensu Instructiones nostrae haec habent: «Sacras aliquot imagines intra officinam opportune disponent, excitandae causa devotionis, cordisque in Deum identidem erigendi... Inter laborandum cor saepissime intendant in Deum» (Instr. Off. in genere, n. 1 et 12).

ARTICULUS XIX

DE SILENTIO

457.—Textus: «*Commendat autem Apostolus silentium, cum in eo praecipit operandum. Et quemadmodum Propheta testatur, cultus justitiae silentium est. Et rursus: in silentio, et spe erit fortitudo vestra. Ideoque statuimus: ut dicto Completorio silentium teneatis usque ad Primam dictam sequentis diei. Alio vero tempore, licet silentii non habeatur observantia tanta, diligentius tamen a multiloquio caveatur. Quoniam, sicut scriptum est, et non minus experientia docet: in multiloquio peccatum non deerit. Et, qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Item, qui multis utitur verbis, laedit animam suam. Et Dominus dicit in Evangelio: De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii. Faciat ergo unusquisque stateram verbis suis,*

et fraenos rectos ori suo, (ne forte labatur, et cadat in lingua sua, et insanabilis sit casus ejus ad mortem), custodiens cum Propheta vias suas, ut non delinquat in lingua sua, et silentium, (in quo cultus justitiae est), diligenter, et caute studeat observare.»

458. *Explanatur:* In Regula primitus sic fuit dictum: «Ideoque statuimus, ut ab hora vespertina usque ad horam tertiam sequentis diei silentium teneatis, nisi forte necessitas, vel causa rationabilis, aut licentia Prioris silentium interrumpat: «Legenti facile patet tempus silentii fuisse primitus longius, adeo ut, sub hoc respectu Regula censeatur mitigata; at Innocentium IV abstulisse permissionem ob certas causas interrumpendi silentium, ita ut, sub illo respectu, Regula sit strictior.

In illo articulo tria reperiuntur statuta, videlicet: 1.º praeceptum silentii; 2.º tempus, quo silentium coli debet; 3.º ea, quae tempore silentii minus stricti observanda sunt.

459. 1.º «*Statuimus, ut silentium teneatis*». Haec verba continent praeceptum, ut patet ex nostris Constitutionibus, n. 95, in quibus de parvo silentio haec verba dicuntur: «Licet non praecipiamus adeo stricte silentium coli». Ergo ex his verbis legitime infertur magnum silentium stricte praecipi. Praeterea aestimatio et praxis communis Ordinis habet illud silentium, ut praeceptum stricte dictum.

460. Quomodo illud praeceptum observandum sit, sic exponunt Constitutiones: «Quando enim silentium illud sanctum colitur, quod juxta Regulam, a Completorio usque ad proximi dici Primam dictam extenditur, *verba omnia, quae sine detrimento* in tempus silentii non adeo stricti differri possunt, sub poena media, *etiam in Cellis Superiorum* prohibemus» (n. 94).

461. 2.º Quoad tempus quo observari debet silentium, in ipsa Regula indicatur his verbis: «*a dicto Completorio usque ad Primam dictam sequentis diei*». Itaque non dicitur ab hora Completorii: nam si hora consueta Completorium non dicatur, silentium etiam non indicitur nisi post Completorium, vel a signo dato pro examine conscientiae.

462. Quod autem praeceptum silentii censeatur *locale,* non vero *personale,* ex hoc probatur, quod vespere indicatur post Completorium, et mane solvatur post Primam dictam. Jamvero haec sufficienter ostendunt silentium strictum solummodo observandum esse a Religiosis intra claustra versantibus, et, prout generatim intelligitur et practicatur, intra clausuram stricte dictam degentibus. Ideoque consuetudo in variis Provinciis invaluit, ut, necessitate urgente, Religiosi egrediantur extra hanc clausuram ad verba necessaria dicenda; quae stricte loquendo

intra clausuram dici possent. Praxis illa in se bona et laudabilis quidem est, exhibetque magnam erga silentii praeceptum reverentiam. Attamen facile ansam praebere posset praetergrediendi limites justae licentiae loquendi tempore silentii extra clausuram; nam si ibi verba multiplicentur absque justa causa, Religiosi agerent, si non contra litteram, saltem contra mentem Regulae; et certe transgrederentur Constitutiones silentium in hujusmodi adjunctis praescribentes, sub poena transgressoribus imponenda. Itaque omnes Religiosi maxime curent, ne sub praetextu perfectius agendi, abusus observantiae regulari valde nocivus introducatur; et Superiores, praesertim Visitatores, sedulo invigilent, ne in hoc puncto abusos perturbent silentium regulare.

463. 3.º Quaenam autem tempore silentii minus stricti observanda sint, a Legibus nostris statuta sunt, prout sequitur:

a) *Ab ipsa Regula*: Etenim multiloquia a Regula prohibentur, ab eaque varia afferuntur argumenta, praesertim ex S. Scriptura desumpta, ad finem intentum obtinendum.

b) *A Constitutionibus*: Sic enim loquuntur de silentio minus stricto: «Reliquo vero diei tempore, licet non praecipiamus adeo stricte silentium coli, valde tamen illud commendamus. Propterea praecipimus, ut nullus Fratrum cum alio, seu Religioso, seu saeculari, ex professo loquatur, nisi de expressa Superioris venia, et tunc voce submissa» (n. 95).

Loca distinguunt: «In choro autem, claustro, dormitorio, refectorio, cellis, et sacristia, quae loca sanctiora sunt, religiosius Fratres silentium observent» (n. 96).

Modum in loquendo praescribunt: «Fratres nostri inter se amanter valde, suaviterque loquantur; verba etiam omnia otiosa, non tantum noxia, accurate vitent, et ex more Sanctorum, de piis rebus, juxta oblatas sibi occasiones, sermonem instituant. Saeculares autem, cum quibus agent, piis sententiis ad rem prudenter accommodatis, semper ad pietatem hortari conentur. Qui vero in praedictis inter Religiosos defecerint, pro culpae modo poenam ferant; qui autem inter saeculares, Superior praeterea abstrahat eos ab occasionibus cum saecularibus colloquendi» (n. 97).

«Sit Frater aliquis designatus ad excipiendos hospites, moribus suavis, cui tantum loqui, agereque cum hospitibus liceat. Qui, praeter hunc, ex professo cum hospitibus verba fecerit pro culpae modo puniatur» (n. 175).

c) *Ab Ordinario*: «Arctissimum et inviolabile silentium in Choro et Ecclesia ab omnibus studiosissime servetur. Quod si quis ex necessitate de aliquibus, quae ad functionem suam pertinent loqui cogatur, nunquam hoc elata voce, sed modestis nutibus faciat, aut saltem perpaucis verbis ac submississima voce» (Prooem., n. 38).

«In Refectorio silentium et modestia exacte serventur... In secunda mensa idem silentium eademque modestia servari debent» (nn. 1071 et 1105).

d) *Ab Instructionibus*: Varia statuunt circa cultum silentii, illudque fere in omnibus officinis sedulo custodiendum praescribunt. «Custodiant in officina silentium, nec porrumpant in cantilenas, quae extra officinam audiri possint; necessaria vero submissa tantum voce loquantur» (Instr. Off. in genere, n. 8). «Naviter curet, ut in locis portae propinquioribus congruum silentium teneatur» (Instr. Janitoris, n. 23). «Caveat, ne cum hospitibus, vel saecularibus, vel Religiosis, verbosus sit, aut iis eis nova velit audire, aut quae secreto apud nos aguntur, eis imprudenter detegere» (Instr. Min. Hosp., n. 8). Et ubicumque Fratres nostri ratione sui officii simul convenire debent, exactum silentium observandum sedulo commendatur. (Vide Inst. Ministr. Refectorii n. 12. Culinae n. 2. Rasurae n. 3. Hortulani n. 4, tergendi scutell. n. 1).

ARTICULUS XX

EXHORTATIO PRIORIS AD HUMILITATEM

464.—TEXTUS: «***Tu autem, Frater Brocarde, et quicumque post te institutus fuerit Prior, illud semper habeatis in mente, et observetis in opere, quod Dominus ait in Evangelio: Quicumque voluerit inter vos major fieri, erit minister vester: et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.***»

Explanatur: In illo articulo nullum habetur praeceptum, praeter illud, quod Superiores ex jure naturali habent erga subditos; sed Legislator noster Priorem Generalem, aliosque Praelatos omnes exhortatur, ut non imperio, sed humilitate subditos gubernent. Quasi diceret: habeatis in mente quod non ad dominandum, sed ad serviendum: non ad quietem, sed ad laborem pro aliena utilitate estis instituti. Quem in finem adducit verba Christi, qui non dicit: *Inter vos primus, erit vester dominus, sed minister et servus.*

465. Quapropter Instructiones nostrae hac de re exhortantur Priorem, ut «in subditorum regimine Christi benignitatem, mansuetudinem, charitatem, pro viribus imitetur; et, juxta Apostolum, forma gregis factus ex animo, exemplo magis, quam verbo eos ad perfectionem informet.

Auctoritatem suam veris virtutibus, non elatione aliqua, aut imperio tueatur; severitatem tamen opportune misceat lenitati. At subditis moderate semper, et circumspecte praecipiat, impense omnes, atque aequaliter amans; seque illis praebens amabi-

lem, ut adire ipsum sincerius, fidentiusque praesumant» (Instr. Prioris, n. 2-3).

ARTICULUS XXI

EXHORTATIO FRATRUM, UT PRIOREM SUUM HONORENT

466.—TEXTUS: «*Vos quoque, caeteri Fratres, Priorem vestrum honorate humiliter; Christum potius cogitantes, quam ipsum, qui posuit ipsum super capita vestra, et Ecclesiarum Praepositis ait: qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit; ut non veniatis in judicium de contemptu, sed de obedientia mereamini vitae aeternae mercedem.*»

Explanatur: In illo articulo Legislator noster exhortatur subditos ad duo praestanda erga suos Superiores: unum nempe, ut in suo Praelato ipsum Christum considerent; alterum vero, ut ei debitam exhibeant reverentiam.

467. Etsi primum tantum sit exhortatio merum continens consilium, est tamen consideratio maximi momenti in vita religiosa, quatenus reddit obedientiam erga Superiorem supernaturalem, promptam, generosam et constantem, atque perpetuum est incitamentum ad exercitium omnium virtutum. Ideoque a Legislatore nostro ad finem Regulae adjicitur, ut firmius mentibus nostris semper inhaereat.

468. Secundum autem continet quidem rigorosum praeceptum ex jure naturali, non vero ex Regula. Honorate Priorem ut Patrem, ait B. Soreth, Christum potius cogitantes, cujus vicem gerit, qui eum constituit super capita vestra.

Quem in finem Constitutiones nostrae, Instructiones et Ordinationes Superiorum nihil magis ac saepius commendant, quam ut partes obedientiae sedulo ab omnibus Religiosis nostris adimpleantur juxta principia generalia de obedientia in ipsa Regula exposita. Ideoque accurate statuunt, quid in omnibus eventibus et negotiis ab unoquoque faciendum sit, ac passim inculcant inferioribus et omnibus Officialibus, ut semper et in omnibus habeant omnimodam a Superioribus suis dependentiam, et nihil, ipsis inconsultis, faciant.

Quam obedientiae perfectionem ut acquirant, praecipimus, ut ad communes actus signo convocati, sedulo conveniant, et officia quaevis sibi injuncta perficiant, litterasque sine Superioris licentia, qui eas legere poterit, nec mittant nec recipiant sub poena gravi; scriptas vero apud Superiorem relinquant.

Ad normam can 611: «Omnes religiosi sive viri sive mulieres, libere possunt mittere litteras, nulli obnoxias inspectioni, ad Sanctam Sedem ejusque in natione Legatum, ad Cardina-

lem Protectorem, ad proprios Superiores majores, ad Superiorem domus forte absentem, ad Ordinarium loci cui subjecti sint et, si agatur de monialibus quae sub regularium jurisdictione sunt, etiam ad Superiores majores Ordinis; et ab istis omnibus praedicti religiosi, viri aut mulieres, litteras item nemini inspiciendas recipere».

Pariter, absque alia venia, liberum sit Fratribus nostris ad Definitores Generales, ad Procuratorem Ordinis et ad suae Provinciae Definitores scribere, atque ab iisdem litteras recipere. (Const. n. 8).

Quapropter merito dicit Instructio Novitiorum de Obedientia n. 45. «Curent ergo Fratres nostri, qui Christum discere cupiunt, Superiores suos, quasi Deum ipsum amore ac reverentia singulari prosequi, et ad illorum praescriptum non tantum opera, sed verba, et quoad fieri potest cogitationes quoque metiri; ut postquam Instituti nostri cursum obedientissimo Dei Filio similes hac fide confecerint, immensa praemii caelestis felicitate letentur».

ARTICULUS XXII

EPILOGUS REGULAE ET EXHORTATIO AD OPERA SUPEREROGATIONIS

469.—Textus: «*Haec breviter scripsimus vobis, conversationis vestrae formulam statuentes, secundum quam vivere debeatis. Si quis autem supererogaverit, ipse Dominus, cum redierit, reddet ei. Utatur tamen discretione, quae virtutum est moderatrix.*»

470. *Explanatur*: «Postquam Regulae Auctor leges paucas selectas, et ad Institutum nostrum appositas tulit, adjecit verba illa: *Si quis autem supererogaverit, ipse Dominus, cum redierit, reddet ei*». Quasi apertius diceret: Praescripsimus pauca, quae prudens exigebat legislatio: ceterum nobis exploratum est, vos his limitibus ita includi velle, ut majora moliri neutiquam prohibeamus. Majora interdicere minime debuimus, imo admonemus, Christum vobis majora parantibus mercedem, cum redierit, redditurum. (Joan a J. M., p. 201).

Itaque unicuique conceditur facultas ultra metam a Regula praefinitam progrediendi, operaque supererogatoria faciendi; *utatur tamen*, duce Superiore, *discretione, quae virtutum est moderatrix.*

Quapropter Instructiones Fratres recenter professos admonent, ut «non modo communis, ac regularis vitae fidissimi observatores sint, verum etiam opera supererogationis, quae sub Magistri disciplina praestare assueverunt, constantissime exequan-

tur: hoc enim primum angelus satanae persuadet, ut supererogare desistant, moxque hoc praelio victos, ad necessariam status observantiam omittendam impellit. (Instr. rec. Prof. n. 3).

CAPUT III

DE OBLIGATIONE SERVANDI CONSTITUTIONES O. N.

471. Cum jam in supradictis multa tradita fuerint de Constitutionibus, praesertim ubi de votis et expositione Regulae actum est, et infra multa tradenda sint, ubi de gubernatione Regularium agetur; in praesenti autem capite, quaedam exponuntur, quae alibi non traduntur; et ad decem reducuntur articulos, quorum primus erit de vi obligatoria Constitutionum nostrarum; secundus, de sacris Confessionibus; tertius, de SS. Eucharistiae Sacramento; quartus, de Ordinibus suscipiendis; quintus, de iis, quae specialiter moniales concernunt; sextus, de suffragiis pro Defunctis; septimus, de iis, quae spectant ad Conventus studiorum; octavus, de scriptis typis mandandis; nonus, de disciplina; decimus, de honesta Fratrum recreatione.

ARTICULUS I

DE VI OBLIGATORIA CONSTITUTIONUM NOSTRARUM

472. — Q. *A quonam et quo tenore approbatae sint Constitutiones nostrae?*

R. Constitutiones, quas nunc habemus, fuerunt approbatae ab Urbano VIII, tenore sequenti: «Constitutiones praeinsertas hujusmodi Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus; ac omnes, et singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint ,supplemus: Decernentes, easdem Constitutiones ab omnibus, et singulis dictae Congregationis Fratribus, sub poenis in eis contentis, inviolabiliter observari, easque, ac praesentes litteras, semper, et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 22 Martii 1631, Pontificatus nostri anno octavo» (ad calcem Const.) Summus autem Pontifex Pius XI, die 10 jan. 1928, eas ad normam Codicis J. C. jam redactas benigne approbare dignatus est.

473.—Q. *An Constitutiones nostrae approbatae sint in forma specifica?*

R. Affirmative, ut patet ex tenore approbationis. Ex quo sequitur: 1.° Constitutiones nostras non posse revocari, vel mutari, nisi accedente approbatione Apostolica. Ratio est, quia, cum per hanc approbationem Constitutiones nostrae rationem legis Pontificiae induerint, absque S. Pontificis licentia immutari non possunt. 2.° Constitutiones nostras derogare Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ante illarum approbationem editis.

474.—Q. *Quomodo obligent Constitutiones nostrae?*

R. «Constitutiones... non ad culpam, sed ad poenam impositam, vel a Superiore imponendam obligant, nisi contemptus adsit, aut contrarium ejus, quod statuitur, ex natura sua, aut aut aliunde culpa sit» (n. 4).

Ex hoc quod Constitutiones non obligent sub culpa, sed tantum ad poenam, sequitur transgressionem illarum non inducere per se rationem culpae, ne venialis quidem, nisi contineant praeceptum, aut nisi id, quod ab ipsis praecipitur, aut prohibetur, ex se, aut ratione contemptus, vel alterius circumstantiae fuerit culpabile. Et re quidem vera, in Constitutionibus varia habentur praecepta formalia, quae in materia gravi, sub gravi obligant. Praeterea, cum in eis praecipiantur ea, quae spectant ad observantiam votorum, praesertim voti paupertatis, et quae vi Constitutionum nostrarum tantum obligarent ad poenam, Religiosus noster tamen, qui absque legitima licentia a suis Superioribus obtenta, exerceret actus proprietatis per nostras Constitutiones prohibitos, peccaret graviter, supposita materia gravi, contra votum paupertatis. Idem dicendum de Superioribus, qui agerent contra votum paupertatis, excedendo limites suae potestatis: sicut dictum est supra n. 226, ubi de voto paupertatis.

Quandonam autem ratione alicujus circumstantiae peccet Religiosus noster, saltem venialiter, transgrediendo aliquod punctum Regulae, jam dictum est supra n. 379, loquendo de obligatione Regulae. E contra Constitutiones non obligant, quoties ex earum observatione oriretur aliquid caritati graviter nocivum: sic v. gr. prohibitus est ingressus in cellam alterius; sed si contingat aliquem Religiosum infirmari, et ingressus ita sit necessarius, ut periculum sit in mora, tunc posset Religiosus intrare ad Fratrem infirmum succurrendum. «Idem dicendum existimo, ait Antonius a S. Sp. (p. 181, n. 486) si esset praeceptum non scribendi vel recipiendi epistolas absque eo, quod a Praelato legerentur; nam si praeceptum, vel caritatis, vel secreti naturalis aliud postularet, in aliquo casu particulari aperire, vel scribere tales epistolas, absque eo, quod Praelato ostenderentur, nullum peccatum existimarem, propter eamdem

rationem: praecepta namque humana non possunt obligare contra praecepta Dei, vel juris naturalis».

Auctor ille dicit propter *eamdem rationem*; rigorose loquendo sic est: attamen in praxi praecavendi sedulo sunt abusus; non habetur quidem periculum abusuum et hallucinationis pro primo casu; bene vero pro secundo. Ideoque in primis requiritur, ut ad hoc licentia petatur a Superiore immediato, vel saltem a Superiore mediato, si tempus suppetat et periculum non sit in mora. Casus ille sedulo invigiletur a Superioribus, et severe puniatur, si Religiosus hac in re inventus fuerit in culpa: ex quo patet prohibitionem mittendi, vel accipiendi litteras absque debita licentia, multum conducere ad bonum commune Religionis.

475.—Q. *Quinam teneantur observare Constitutiones?*

R. Omnes, etiam Praelati Majores, tenentur observare Constitutiones, non solum quoad vim directivam, sed etiam quod vim coactivam. Ratio est, quia factae sunt a Capitulo Generali. Porro Capitulum Generale est supra Superiores Majores: ergo suis legibus illos obligat, etiam quoad vim coactivam. Unde post finitum eorum officium, Capitulo Generali absoluto, Praepositus noviter electus, et duo Definitores antiquiores, qui proxime elapso sexennio Definitores non fuerint, inquirent culpas, si quae fuerint, in antecedentibus Praeposito, Definitoribus et Procuratore Generalibus. (Cfr. Instr. de Cap., p. 121).

476.—Q. *Quomodo differant Constitutiones ab Ordinationibus Superiorum etiam Majorum?*

R. Multipliciter differunt, scilicet:

1.º *Ratione durationis*: Constitutiones, cum sint verae leges, sunt per se perpetuae; Ordinationes vero sunt tantum ad tempus. 2.º *Ratione extensionis*: Constitutiones obligant omnes; Ordinationes autem illos tantum, pro quibus factae sunt. 3.º *Ratione subjecti*: Constitutiones obligant etiam legislatores; Ordinationes vero non obligant *auctorem* quoad vim coactivam, sed tantum quoad vim directivam. Dicitur *auctorem*: nam Ordinationes Capituli et Definitorii Generalis, et Capituli et Definitorii Provincialis obligant etiam suos auctores.

477.—Q. *Quomodo Constitutiones observandae sint?*

R. «In eventibus non frequentur occurentibus, tam a Praeposito ,quam ab aliis quibusvis Superioribus, lex ad planiorem verborum sensum servetur, nisi constet ejus observationem aliquando tendere contra id bonum, ad quod ea lex condita fuerit, tunc enim dumtaxat epicheiae, seu aequitati locus est» (n. 452).

478.—Q. *Quaenam poenae statutae sint contra Superiores observationem Constitutionum non curantes?*

R. «Ad Constitutionum custodiam Superiores debent exemplo et hortatu esse solliciti, sub severae punitionis poena, usque ad privationem officiorum, si ob notabilem eorum negligentiam illarum Constitutionum custodia tepescat (Constitut. nostrae, n. 408).

«Prohibemus autem, sub poenis a Definitorio Generali imponendis, ne a Principibus saecularibus favorem contra Ordinis bonum vel statuta (Procurator Generalis) quaerat; similiter ne in rebus ad universale Ordinis regimen spectantibus, aut ad mutandum quovis modo gubernationis nostrae modum vel Constitutionem ullam, impetret per se vel per alium Bullam vel Breve aliquod, nisi de expresso consensu Capituli Generalis» (Const. nostrae, n. 476).

ARTICULUS II

DE SACRIS CONFESSIONIBUS ET DE CASIBUS RESERVATIS

§ I. DE INSTITUTIONE CONFESSARIORUM

479.—Q. *Quisnam sit proprius et ordinarius regularium confessarius?*

R. «In religione clericali exempta est Superior pro suis subditis, ad normam constitutionum (can. 873, § 2). Unde in Ordine nostro proprius et ordinarius confessarius est: 1.º Praepositus Generalis pro toto Ordine; 2.º P. Provincialis pro omnibus Religiosis sua Provinciae; 3.º Superior localis pro suis subditis.

«Sed Superiores religiosi, in hoc casu, possunt, servatis de jure servandis, confessiones audire subditorum, qui ab illis sponte sua ac motu proprio id petant, at sine gravi causa id per modum habitus ne agant (can. 518, § 2).

480.—Q. *Quomodo haec verba, «nisi sponte, ac proprio motu id ab iis petierint», sint intelligenda?*

R. Illae particulae de audiendis *sponte accedentibus, ac proprio motu petentibus,* non idem significant: etenim accedere *proprio motu* excludit omne consilium, suasionem et inductionem; sic qui *proprio motu* petit audiri a suo Praelato in confessione, hoc facit nemine suadente.

Caveant ergo Superiores ne quem subditum aut ipsi per se aut per alium vi, metu, importunis suasionibus aliave ratione inducant ut peccata apud se confiteantur (can. 518, § 3).

Quamvis autem particula *sponte* non excludat consilium, exhortationem, aut inductionem, quae relinquit libertatem faciendi vel omittendi, attamen haec omnia excluduntur generalibus verbis—*aliave ratione inducant*—praedicti canonis 518, § 3.

481.—Q. *An Prior conventus habet potestatem ordinariam audiendi in confessione advenas suae Religionis, qui in conventu, itineris vel alterius negotii causa reperiuntur?*

R. Affirmative: ratio est, quia ordinaria potestas Praelatorum extenditur ad omnes, qui vivunt sub sui obedientia, et pro tempore, quo sub ea vivunt. Hospites autem Religiosi pro tempore, quo manent in conventu, vivunt sub obedientia illius, ab eo benedictionem petunt, et cetera alia subjectionis signa ei praestant, quae sunt in praxi suae Religionis; unde etiam habebit potestatem ex proprio officio ministrandi eis sacramenta; quod autem competit officio, reducitur ad potestatem ordinariam. (Cfr. Rot. III-8. n. 9).

482.—Q. *A quonam habeant illi Superiores suam ordinariam potestatem?*

R. Habent illam immediate a S. Pontifice, a quo omnis eorum jurisdictio dimanat, et sine cujus auctoritate nulla vera Religio subsistit. Adde quod sine privilegio exemptionis Religiosi essent subditi Episcopis, in quorum dioecesi situm est monasterium. Cum hoc nihilominus stat, quod licet potestas singulorum Praelatorum a Papa descendat, potestas tamen Praelatorum inferiorum potest limitari et restringi ab auctoritate Praelati Generalis, vel etiam Provincialis, cui subduntur, et subordinantur in exercitio proprii muneris et officii sibi commissi; inutilis autem et frustranea esset subjectio haec, si Superiores pro eorum prudentia, urgente necessitate, nequirent inferiorum auctoritatem limitare. (Rot. III-7, n. 5, et infra n. 561).

Itaque omnes illi Superiores habent potestatem ordinariam, cum haec descendat a natura proprii officii pastoralis, eo modo quo saeculares subduntur Parochis, Episcopis et S. Pontifici; et haec subjectio ad plures personas ad invicem subordinatas non tollit, quum quaelibet illarum habeat jurisdictionem ordinariam et immediatam in exercitio hujus potestatis.

483.—Q. *An Magister novitiorum habeat potestatem ordinariam audiendi confessiones novitiorum?*

R. 1.º *De jure communi* eam non habent, quia, cum non sit Praelatus monasterii, non habet potestatem ordinariam, sed delegatam: nam Clemens VIII, in suo Decreto *de Recep. Nov.* dicit: «Ipsi autem Magistro soli novitiorum confessiones audien-

di cura committitur». Porro confessarius ex commissione habet tantum potestatem delegatam. Quidquid sit de hac controversia, Codex J. C., can. 891 haec disponit: «Magister novitiorum ejusque socius... sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant.

2.º *De jure autem nostro*: «Confessiones vero illorum (Novitiorum) sacramentales nec Magister nec ejus Socius audiat, nisi Novitii ex gravi et urgente causa in casibus particularibus sponte id petant» (Const. n. 243).

484. Praeterea in omni religione clericali exempta, religiosi valide et licite confiteri valent apud quemcumque sacerdotem sive suae sive alius religionis vel e clero saeculari etiam non approbato ab Episcopo, cui ad normam propriarum constitutionum Superior religiosus delegatam jurisdictionem sive directe sive indirecte, expresse tamen concesserit (can. 875, § 1). Indirecte confert Superior jurisdictionem, quando alicui religioso sibi subdito facultatem concedit eligendi, v. gr. durante itinere, in confessarium sacerdotem quem voluerit, etiam alius religionis, et etiam inter non approbatos ab Episcopo; additur *expresse* tamen, quia delegatio praesumpta pro confessionibus non admittitur ex praescripto can. 879, § 1: (Cfr. Fanfani, De Jure Religios. n. 102. Pejska, Jus. Can. Relig., pág.. 295).

Quinam sint Superiores religiosi qui hanc delegationem facere possint, ex constitutionibus uniuscujusque religionis discendum erit.

Confiteri etiam possunt omnes religiosi etiam exempti apud quemcumque confessarium ex approbatis ab Ordinario loci in quo confessio instituitur (can. 519, et 874, § 1): qui quidem confessarius potest religiosum absolvere a peccatis et censuris in religione reservatis (can. 519), non vero a censuris ab homine, quia non censentur uti reservatae in religione, sed tantum pro illo casu. Additur in supra dicto canone 519: «Firmis constitutionibus quae confessionem statis temporibus praecipiunt vel suadent apud determinatos confessarios peragendam» (1): ideo minime potest religiosus vi can. 519 *exigere* a Superiore exeundi veniam, confessionis gratia, e monasterio, quando sibi placuerit.

485. In religione exempta, sed laicali, «Superior proponit confessarium; qui tamen jurisdictionem obtinere debet ab Ordinario loci, in quo religiosa domus reperitur» (can. 875, § 2): quamvis enim Superior religionis laicalis habeat dominativam potestatem in subditos, minime jurisdictionem ec-

(1) Cfr. Commentarium pro Religiosis, III, pag. 78 et V, pag. 28.

clesiasticam, quam proinde nec potest aliis communicare (can. 501, § 1).

In religione autem non exempta, sive clericali, sive laicali, religiosi ex jure communi nullo privilegio fruuntur quoad confessarios sibi eligendos. Igitur, dempto speciali privilegio ipsis ab Ordinario loci concesso, nonisi apud confessarios approbatos pro omnibus fidelibus valide et licite confiteri possunt.

486. Novitii, domestici, alumni et hospites religiosorum exemptorum ad normam can. 514, § 1, reguntur iisdem regulis, quoad confessionem, ac supra de religiosis professis dictum est, ut constat ex can. 875, § 1 sequentia statuente: «In religione clericali exempta ad recipiendas confessiones... novitiorum, aliorumve de quibus in can. 514, § 1, jurisdictionem delegatam confert quoque proprius eorundem Superior, ad normam constitutionum; cui fas est eam concedere etiam sacerdotibus e clero saeculari aut alius religionis». Requiritur tamen velut conditio sine qua non, ut supradictae personae *diu noctuque* in religiosa domo degant.

Ut autem foveatur libertas quoad confessionem juxta mentem et votum Ecclesiae praescribit Codex J. C., can. 518, § 1, ut «in singulis religionis clericalis domibus deputentur plures pro sodalium numero confessarii legitime approbati, cum potestate, si agatur de religione exempta, absolvendi etiam a casibus in religione reservatis». In nostro Ordine hi confessarii a Superioribus localibus designantur inter approbatos a Superiore Provinciali; Superior vero localis poterit concedere, ut alicui sacerdoti, etsi non approbato, Fratres confiteri possint. (Const. n. 46).

487. «Etiam in laicalibus virorum religionibus deputetur ad normam can. 874, § 1, 875, § 2, confessarius ordinarius et extraordinarius; et si religiosus aliquem confessarium expostulet, illum Superior concedat, nullo modo petitionis rationem inquirens neque id aegre se ferre demonstrans. (can. 521, § 3).

488. — Q. *Quibusdam Religiosis concedatur a Constitutionibus nostris facultas audiendi confessiones confratrum in certis circumstantiis?*

R. 1.º «Omnes denique Fratres, dum extra domum propriam versantur, cuilibet e nostris Sacerdotibus ad confessiones audiendas in ordine approbatis, aut, approbatis deficientibus, cuilibet Sacerdoti nostro possint confiteri, atque absolvi etiam a casibus in Religione reservatis» (n. 49).

2.º «Tempore Capituli Generalis et Provincialis, omnes Gremiales possint inter se confiteri, aliorum Religiosorum sive to-

tius Ordinis sive propriae Provinciae respective confessiones audire, sibi etiam eligere confessarium ex approbatis, atque absolvi et absolvere a casibus in Ordine reservatis» (n. 50).

3.º «Definitores autem Generales et Procurator Generalis, durante munere, in toto Ordine, Definitores quoque Provinciales in sua Provincia, sed tempore Definitorii tantum, Superiores locales in suo conventu, confessarium sibi eligere poterunt non approbatum a Superiore Maiore, et vicissim audire confessiones Fratrum totius Ordinis, vel Provinciae, vel Domus respective, utrimque gaudentes facultate absolvendi, ut supra». (n. 51).

489.—Q. *Quinam apud Regulares instituere possint confessarios?*

R. Vi can. 874, § 1 Ordinarius loci in quo confessiones excipiuntur, et Praelati, qui jurisdictionem habent quasi-episcopalem in utroque foro.

490.—Q. *Quinam in Ordine nostro possint instituere confessarios?*

R. 1.º R. adm. P. N. Praepositus Generalis potest pro universo Ordine.

2.º R. P. Provincialis potest solummodo pro sua Provincia. Quae tamen potestas ipsis non absolute conceditur, adeo ut possint pro libitu quoscumque Religiosos subditos ad hoc munus designare; sed limitatur a nostris Constitutionibus, ut sequitur: «Expleto curso theologico, Superior Provincialis, simul cum duobus Lectoribus sacrae Theologiae, omnes studentes rigide examinent in universa Theologia, dogmatica simul et morali, et inquirat an digni et capaces sint ad confessiones audiendas et Verbum Dei praedicandum; ac de singulis sigillatim decidatur per secreta suffragia, tum quoad mores tum quoad scientiam. Si in dicto examine approbati fuerint, Superior Provincialis licentiam ad sacrum ministerium exercendum eis concedere poterit, usque ad proximum examen annuale, eosque declaret Patres Capitulares. Si vero reprobati fuerint, examen reparare tenentur tempore a Superiore Provinciali statuto» (n. 310).

«Qui vero jam Sacerdotes, vel absoluto studiorum curriculo, professionem in nostra Religione emiserint, post Professorii annum in Novitiatu peractum, ad Collegium theologicum mittantur, studiis theologicis per biennium operam daturi, nisi in casibus particularibus Provincialis cum suo Definitorio dispensandum censuerit. Examini tamen et approbationi, de quibus in numero praecedente, semper subjaceant» (n. 311).

491. «Fratres nostri, iis tantum exceptis qui a Superioribus Majoribus gravem ob causam fuerint exempti, aut qui vel

sacram Theologiam vel Jus Canonicum vel Philosophiam Scholasticam doceant, post absolutum studiorum curriculum, quotannis saltem per quinquennium a Superiore Provinciali vel ejus delegato, una cum Superiore locali et primo Examinatore conventus, examinentur in variis doctrinae sacrae disciplinis, antea opportune ab ipso Superiore Provinciali designatis; approbatio autem vel reprobatio per secretos calculos fiat. Iis dumtaxat qui in dicto examine approbati fuerint, poterit Superior Provincialis facultatem concionandi et confessiones recipiendi ad annum renovare; superato autem ultimo examine, eandem facultatem ad tempus indefinitum concedere poterit. (n. 314).

492. Prior non potest generaliter in confessarios designare subditos suos, qui nondum sunt approbati a Provinciali ad audiendas Fratrum confessiones, sed in casu particulari «poterit concedere, ut alicui sacerdoti etsi non approbato, Fratres confiteri possint: quod et raro concedet et ad unamquamque confessionem sigillatim veniam dabit» (Const. n. 46).

493.—Q. *Ubinam confessarii nostri a Provinciali approbati audire possint Confratrum confessiones?*

R. 1.º *Valide* eas audire possunt in tota Provincia, et si quis eum adeat eo forte transeuntem, vel in ea Domo hospitio receptum (Const. n. 47).

494.—Q. *An Prior possit sacerdotem saecularem deputare ad audiendas suorum subditorum confessiones?*

R. Affirmative, ut constat ex dictis n. 484 et 492, etiamsi ab Ordinario loci non sit approbatus.

495.—Q. *An Superior possit approbationem concedere limitatam, sive quoad tempus, sive quoad locum?*

R. Affirmative ad normam can. 878, § 1: «Jurisdictio delegata aut licentia audiendarum confessionum concedi «potest certis quibusdam circumscripta finibus».

«Caveant tamen locorum Ordinarii ac religiosi Superiores ne jurisdictionem aut licentiam sine rationabili causa nimis coarctent» (ib., § 2).

496.—Q. *An Provincialis possit revocare facultatem audiendi confessiones?*

R. Affirmative, sed nonnisi gravem ob causam, ut constat ex can. 880, § 1, his verbis: «Loci Ordinarius vel Superior religiosus jurisdictionem vel licentiam ad audiendas con-

fessiones ne revocent aut suspendant, nisi gravem ob causam».

Verum si Superior major religionis clericalis exemptae subditum, jurisdictione loci Ordinarii donatum, a confessionibus saecularium audiendis suspendit, nisi agatur de casibus in jure criminali expressis, absolutio a suspenso lata valida est, sed illicita. (S. C. Ep. et Reg., 2 mart. 1866).

497.—Q. *An Provincialis possit subditum suum ad examen revocare, postquam fuerit jam approbatus?*

R. Affirmative, «si post concessam jurisdictionem aut licentiam prudenter dubitent num probatus a se antea sacerdos pergat adhuc idoneus esse, eum ad novum doctrinae periculum adigant...» (can. 877, § 2).

498.—Q. *An confessarii Fratrum jurisdictione Episcopi indigeant?*

R. Negative in omni religione clericali exempta, quia Superior religiosus concedere potest jurisdictionem pro suis subditis cuicumque sacerdoti ad normam propriarum constitutionum (can. 875, § 1); affirmative vero in religione laicali exempta (can. 875, § 2) et in religione non exempta sive clericali sive laicali.

499.—Q. *An Superiores aliique confessarii approbati teneantur audire confessiones Fratrum ad se accedentium?*

R. 1.º Quoad Superiores, tenentur, et quidem graviter peccarent contra justitiam, si discreto et congruo tempore requisiti renuerent subditos suos audire in confessione; quia ad hoc tenentur ex officio: siquidem sunt Pastores animarum. Secus tamen dicendum, si subditus per suam confessionem intenderet objicere suo Superiori obstacula in regimine exteriori.

2.º Quod autem attinet ad confessarios delegatos, non adeo stricte confessiones Fratrum audire tenentur. Cum tamen ipsi constituti sint confessarii ad bonum Communitatis, tenentur ad illud bonum concurrere; ideoque eorum obligatio censetur per se gravis; quia tanquam membra Communitatis servire tenentur bono communi, et communibus illius necessitatibus, implendo commissa sibi officia, quae negligi non possent, quin notabile detrimentum ipsi Communitati inferretur.

Dicitur: per se, nam si poenitens facile desistat, et non aegre alium confessarium ad hoc paratum quaerat, non est ratio, cur haec obligatio gravis censeretur.

500. — Q. *An Superiores, vel alii confessarii uti possint scientia confessionis in gubernatione domus, aut in dandis suffragiis?*

R. Negative, ut constat ex can. 890, § 2, his verbis: «Tam Superiores pro tempore exsistentes, quam confessarii qui postea Superiores fuerint renuntiati, notitia quam de peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem nullo modo uti possunt».

Constitutiones autem nostrae hac de re ita etiam statuunt: «In virtute S. Obedientiae, et sub praecepto, omnibus Sacerdotibus nostris, tam subditis quam Praelatis, omnino prohibemus usum scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine poenitentis, aut in dandis suffragiis vel in gubernatione domus, excluso etiam quovis revelationis periculo» (n. 53).

§ II. DE ELECTIONE CONFESSARII

501. — Q. *Quinam eligere possint confessarium in Ordine tantum approbatum?*

R. 1.º Omnes Religiosi professi. 2.º Omnes Novitii, cum in favorabilibus aequiparentur Religiosis, eorumque gaudeant privilegiis. 3.º Omnes illi, qui sunt vere de familia et continui commensales, cujusmodi sunt: Oblati, Tertiarii atque etiam famuli, qui Religiosis inservientes intra septa monasterii die ac nocte versantur, ac sub eorum obedientia ratione obsequii vivunt.

502. — Q. *An religiosi teneantur ex praecepto speciali ad instituendam confessionem?*

R. *Affirmative* ex praescripto can. 595, § 1, n. 3.º: «Ad poenitentiae sacramentum semel saltem in hebdomada accedant». Idem statuunt nostrae Constitutiones, n. 54.

503. — Q. *An regulares eligere possint extraneum confessarium?*

R. *Affirmative* ad normam can. 519, 874, § 1, 875, § 1.

504. — Q. *Quaenam notanda sint circa privilegium eligendi confessarium, tempore Jubilaei Regularibus concessum?*

R. Istud privilegium in recentioribus Jubilaeis jam consuevit exprimi his verbis: «Universis et singulis Christifidelibus, tam laicis quam ecclesiasticis ac *Regularibus cujusvis Ordinis et Instituti, etiam specialiter nominandi,* facultatem concedimus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyte-

rum confessarium, tam saecularem, quam regularem ex actu approbatis; qua facultate uti possint etiam moniales, novitiae aliaeque mulieres intra claustra degentes, dummodo confessarius sit approbatus pro utroque sexu (1).

Vi autem hujus privilegii, potest quilibet Regularis, qui alias teneretur confiteri Religioso sui Ordinis, sibi eligere quemlibet confessarium *ex actu approbatis*. Approbatio vero haberi debet ab Ordinario loci, in quo confessiones excipiuntur, quando Religiosus vult eligere confessarium saecularem, vel regularem (2).

Ad quos casus facultas absolvendi extendatur, a propriis Bullis in quibus Jubilaeum indicitur, mutuanda est; ut in Jubilaeo 1925.—Acta Ap. Sedis XVI, 309 et XVII, 614.

505.—Q. *An Religiosi et religiosae vi Bullae Cruciatae, extraneum confessarium eligere possint?*

R. Affirmative, ut patet ex ipsa Bulla Bened. XV. «Ut praesens», n. 15, et ex sententia communi inter auctores.

§ II. DE CASIBUS RESERVATIS

506.—Q. *Quaenam statuta sint quoad potestatem casus reservandi apud Regulares?*

R. Sequentia ex praescripto can. 896: «Inter Superiores religionis clericalis exemptae unus Superior generalis, et in Monasteriis sui juris Abbas, cum proprio cujusque Consilio, peccata, ut supra, subditorum reservare possunt, firmo praescripto can. 518, § 1, 519.

Praelati regulares poterant antiquitus sibi casus reservare; sed, prout decrevit Clemens VIII, 26 Maji 1593, solummodo undecim quae sequuntur, aut omnes, aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire prudenter in Domino judicaverint. 1.º Veneficia, incantationes, sortilegia. 2.º Apostasia a Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenerit, ut extra septa monasterii, seu conventus fiat egressio. 3.º Nocturna ac furtiva e monasterio, seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta. 4.º Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale. 5.º Juramentum falsum in judicio regulari, seu legitimo. 6.º Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non secuto. 7.º Falsificatio manus, aut sigilli officialium monasterii, aut conventus. 8.º Furtum de rebus monasterii, seu conventus in ea quantitate, quae sit peccatum mortale. 9.º Lapsus

(1) Ex Constitut. "Servatoris Jesu Christi" 25 Decemb. 1925. § II Monialibus (Acta A. S. XVII. 615).

(2) Ex eadem Constitut. § III.—Confessarius eos omnes...

carnis voluntarius opere consummatus. 10.º Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personae. 11.º Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum a Superioribus ad inferiores, et ab inferioribus ad Superiores.

Hoc decretum Clementinum non quidem revocatum est, sed cum vel Episcopis praescriptum sit, ne plus quam tres aut quatuor casus sibi reservent, aequum ac rationabile videtur, ut etiam casuum reservatio in ordinibus magis ac magis restringatur; prout in nostris constitutionibus, n. 52, factum est; tantummodo enim reservantur in Ordine nostro censurae incursae per sententiam particularem vel transgressionem praecepti cujusvis Praelati, a quibus in foro interiore absolvere possunt Superiores locales, et in eorum absentia qui praesunt Communitati, et eodem modo possunt absolvere a casibus ex jure communi Superioribus Majoribus reservatis (1).

507.—Q. *An Praelati Regulares teneantur constituere confessarios facultate praeditos absolvendi a reservatis in Ordine?*

R. Affirmative ad normam can. 518, § 1, sequentia praescribentis: « In singulis religionis clericalis domibus deputentur plures pro sodalium numero confessarii legitime approbati, cum potestate, si agatur de religione exempta, absolvendi etiam a casibus in religione reservatis».

Praeterea si religiosus, etiam exemptus, ad suae conscientiae quietem, confessarium adeat ab Ordinario loci approbatum, etsi inter designatos non recensitum, confessarius potest religiosum absolvere etiam a peccatis et censuris in religione reservatis» (can. 519): quod praescribunt etiam nostrae Constitutiones nn. 46-50.

Excipe, ait P. Fanfani, n. 106, si agatur de censuris *ab homine*: datur enim in can. 519 cuilibet confessario ab Ordinario loci approbato facultas absolvendi religiosos «a peccatis et censuris in religione reservatis» idest per legem generalem; censura autem ab homine non est *in religione* reservata, sed tantum pro *illo casu* particulari.

(1) Jure communi reservantur Superioribus Majoribus: 1.º Excomunicatio ob apostasiam a religione (can. 2385); in nostris Constitutionibus, n. 682, haec excommunicatio reservatur Praeposito Generali. 2.º Suspensio quam Religiosus fugitivus ipso facto incurrit, si sit in sacris (can. 2386 et Const. n. 684).

ARTICULUS III

DE SS. EUCHARISTIAE SACRAMENTO

§ I. DE S. COMMUNIONE FRATRUM

508.—Q. *Quaenam statuta sint quoad S. Communionem fidelium et religiosorum?*

R. Ad normam can. 863: «Excitentur fideles ut frequenter, etiam quotidie, pane Eucharistico reficiantur ad normas in decretis Apostolicae Sedis traditas; utque Missae adstantes non solum spirituali affectu; sed sacramentali etiam sanctissimae Eucharistiae perceptione, rite dispositi, communicent».

Pro religiosis statuuntur quae sequuntur: «Superiores suos inter subditos promoveant frequentem, etiam quotidianam, sanctissimi Corporis Christi receptionem; frequens autem, imo etiam quotidianus accessus ad sanctissimam Eucharistiam religiosis rite dispositis libere pateat» (can. 595, § 2).

«Si quae sint religiones votorum sive sollemnium sive simplicium, quarum in regulis aut constitutionibus vel etiam calendariis communiones aliquibus diebus affixae aut jussae reperiantur, hae normae vim dumtaxat directivam habent» (ib. § 4)

509. *De jure nostro*: Constitutiones autem nostrae, n. 55 haec praescribunt: «Quapropter Fratres nostri, omnibus diebus Dominicis festisque Domini, Beatissimae Virginis Titularis et Patronae praecipuae Ordinis, et Sancti Joseph praecipui ejusdem Protectoris, Angelorum, Apostolorum, Omnium Sanctorum, ecclesiae Tituli, Patronorum Ordinis, nempe Sancti Eliae, Sanctae Matris nostrae Teresiae, Sancti Patris nostri Joannis a Cruce, Sancti Elisei, aliorumque similium, necnon unaquaque feria quinta, Sacram Eucharistiam sumere satagant».

«Superiores suos inter subditos promoveant frequentem, etiam quotidianam Sanctissimi Corporis Christi receptionem. Frequens autem, imo etiam quotidianus accessus ad Sanctissimam Eucharistiam Religiosis rite dispositis libere pateat» (n. 56 Constit. N.)

Ut vero Fratres tantum Sacramentum quietius recipiant, et gratias agant; aliquantulum post Primam dictam privatae Missae omnes simul intersint et Eucharistiam ordinarie, simul recipiant; et semel in hebdomada de Eucharistia, aut solemnitate occurrente, vel quovis simili, brevem collationem spiritualem tempore solitae recreationis meridianae habeant. (n. 58, Const. N.)

Universi autem Fratres, etiam sacerdotes, die Coenae Domini de Superioris celebrantis manu sacram Communionem sumant» (n. 59).

510. «Statuimus ut, statim ac Frater aliquis in morbum inciderit ,confiteatur et sacram Eucharistiam recipere satagat; deinde per hebdomadas singulas semel saltem confiteatur, et sacram Eucharistiam de consilio confessarii frequenter et etiam quotidie recipiat.

Omni autem studio et diligentia curet Superior localis, ut versantes in mortis periculo, dum sui plene compotes sunt, Sacrum Viaticum et Extremam Unctionem recipiant» (Constit. N., n. 152).

§. II. DE SS. SACRIFICIO MISSAE

511.—Q. *Quaenam statuta sint a legibus nostris quoad celebrationem Missae?*

R. Haec quae sequuntur: 1.º *Sacerdotes nostri singulis diebus Missam celebrent*: «Caveant vero sacerdotes, ne Missae celebrationem, nisi ex morbo, aut alia rationabili causa, ac de Superioris concessu, ullo die praetermittant» (Const. I., n. 60).

2.º *Celebrent ad intentionem sui Superioris*: «Sacerdotes vero nostri hospites quotidie pro conventu, ubi pernoctaverint, Sacrum faciant» (Constit. N., n. 174).

Conventus nostri omnes, pro Missis aliisve functionibus piis annuos reditus de consensu Superioris Majoris in scriptis dato, recipere possint; Superior autem consensum ne praebeat, antequam legitime compererit Conventum illum tum novo oneri suscipiendo, tum antiquis jam susceptis satisfacere posse; maximeque curet, ut reditus omnino respondeant oneribus adjunctis. (Constit. N., n. 631).

Si autem fructus integre non percipiantur sine culpa ex parte nostra, pro rata solummodo Missas dicere teneamur; et ad nihilum, si nihil percipiatur. Qua de re benefactores moneantur. (Const., n. 632.)

512. Stipendia autem Missarum in capsa propria asserventur, cujus una clavis sit apud Superiorem domus, altera vero apud Procuratorem Missarum, a Superiore designatum. (Constit. N., n. 633).

Quoad obligationem deferendi ad Capitulum Provinciale testimonium de oneribus et satisfactionibus Missarum, sequentia statuunt nostrae Constitutiones, n. 604: Socius vel Procurator ferat insuper testimonium, cum subscriptione Discretorum, de oneribus et satisfactionibus Missarum, ac de statu oeconomico Conventus, et memoriam Religiosorum, qui in suo Conventu decesserunt; quae omnia in Capitulo legantur.

513.--Q. *Quaenam statuta sint a Codice J. C. quoad pias fundationes?*

R. In primis dicendum est quid nomine piae fundationis veniat, ut postea dicamus quid de eis statuat Codex J. C.

«Nomine piarum fundationum significantur bona temporalia alicui personae morali in Ecclesia quoquo modo data, cum onere in perpetuum vel in diuturnum tempus (1) ex reditibus annuis aliquas Missas celebrandi, vel alias praefinitas functiones ecclesiasticas explendi, aut nonnulla pietatis et caritatis opera peragendi» (can. 1544, § 1).

«Fundatio legitime acceptata naturam induit contractus synallagmatici: do ut facias» (ib. § 2).

«Loci Ordinarius est normas praescribere de dotis quantitate infra quam pia fundatio admitti nequeat et de ejus fructibus rite distribuendis» (can. 1545).

«Ut hujusmodi fundationes a persona morali acceptari possint, requiritur consensus Ordinarii loci in scriptis datus, qui eum ne praebeat, antequam legitime compererit personam moralem tum novo oneri suscipiendo, tum antiquis jam susceptis satisfacere posse; maximeque caveat ut reditus omnino respondeant oneribus adjunctis secundum cujusque dioecesis morem» (can. 1546, § 1).

«In acceptatione, constitutione et administratione fundationis patronus ecclesiae nullum jus habet» (ib., § 2).

«Pecunia et bona mobilia, dotationis nomine assignata, statim in loco tuto, ab eodem Ordinario designando, deponantur ad eum finem ut eadem pecunia vel bonorum mobilium pretium custodiantur et quamprimum caute et utiliter secundum prudens ejusdem Ordinarii arbitrium, auditis et iis quorum interest et dioecesano administrationis Consilio, collocentur in commodum ejusdem fundationis cum expressa et individua mentione oneris» (can. 1547).

«Fundationes etiam viva voce factae, scripto consignentur» (can. 1548, § 1):

«Alterum tabullarum exemplar in Curiae archivo, alterum in archivo personae moralis, ad quam fundatio spectat, tuto asservetur» (ib. § 2).

514. «Servatis praescriptis can. 1514-1517 et can. 1525 in qualibet ecclesia onerum ex piis fundationibus incumbentium tabella conficiatur, quae apud rectorem in loco tuto conservetur» (c. 1549, § 1).

«Pariter praeter librum de quo in can. 843, § 1, alter liber retineatur et apud rectorem servetur, in quo singula onera perpetua et temporaria eorumque implementum et eleemosynae ad-

(1) Saltem per quinquaginta annos.

notentur, ut de iis omnibus exacta ratio Ordinario loci reddatur» (ib. § 2).

«Si agatur de piis fundationibus in ecclesiis, etiam paroecialibus, religiosorum exemptorum, jura et officia Ordinarii loci, de quibus in can. 1545-1549, exclusive competunt Superiori majori» (can. 1550).

«Reductio onerum quae pias fundationes gravant, uni Sedi Apostolicae reservatur, nisi in tabulis fundationis aliud expresse caveatur, et salvo praescripto can. 1517, § 2» (c. 1551, § 1).

«Indultum reducendi Missas fundatas non protenditur nec ad alias Missas ex contractu debitas nec ad alia onera piae fundationis» (ib. § 2).

«Indultum vero generale reducendi onera piarum fundationum ita intelligendum est, nisi aliud constet, ut indultarius potius alia onera, quam Missas reducat» (ib. § 3).

ARTICULUS IV

DE ORDINIBUS SUSCIPIENDIS

515.—Q. ***Quaenam a Constitutionibus statuta sint quoad Ordines suscipiendos?***

R. Haec quae sequuntur: «Nemo in sua Provincia potest ad Ordines etiam Minores promoveri sine venia Provincialis» (n. 543).

«Fratres nostri studentes sacris Ordinibus initiari non possunt, donec professionem sollemnem emiserint, et studia a jure requisita rite compleverint; tunc vero ante uniuscujusque Ordinis receptionem a Conventu prius quoad mores, postea ab Examinatoribus Conventus quoad scientiam approbari debent, antequam Superior Provincialis veniam ad promotionem dederit. Ceterum, quod attinet ad ordinationem Religiosorum nostrorum, serventur in omnibus Sacrorum Canonum praescripta (can. 964-1001) (n. 312).

«Superiores professis votorum simplicium, de quibus in can. 574, litteras dimissorias concedere possunt dumtaxat ad primam tonsuram et ordines minores» (can. 964, 2.º).

516. *Explanatur*: 1.º Ex his luculenter patet nostros Religiosos promoveri posse *de sola venia Provincialis* ad Ordines minores, et approbationem a Capitulo conventuali et examen solummodo requiri pro iis, qui ad Ordines *Sacros* sunt promovendi.

Si tamen in aliqua Provincia Ordinis consuetudo vigeat, ut etiam initiandi Ordinibus minoribus quoad mores a Capitulo conventuali, et quoad scientiam ab Examinatoribus approbentur: «*Servetur consuetudo Provinciae*» (Ita resp. Ven. Def. N. Gen. 21 Mart. 1897).

Per illud responsum: *Servetur consuetudo Provinciae,* Ven. Definitorium nostrum Generale approbat et confirmat hujusmodi laudabilem consuetudinem, eique legalem praestat existentiam et permanentiam. Attento autem illo responso, haec bona et laudabilis consuetudo, ubi existit, non amplius abrogari potest a Provinciali, neque a Capitulo conventuali. Si enim Definitorium nostrum Generale non potest acta condere contra laudabilem consuetudinem Ordinis, prout statuitur in Constitutionibus, a fortiori Provincialis, aut Capitulum conventuale nequit abrogare laudabilem consuetudinem Provinciae; praesertim in casu, quo illa consuetudo est approbata a Definitorio Generali. Si autem Prior, juxta Const. (n. 576) non potest tollere bonam consuetudinem, quam ab antecessoribus introductam invenerit, sine Provincialis permissu: pariter Provincialis tollere non poterit bonam consuetudinem, quam a longo tempore in Provincia sua introductam repererit.

517. 2.º Quod autem attinet ad naturam approbationis *quoad mores,* quaeritur: 1.º «An in suffragatione pro Ordinandis, ad aliquid aliud attendere possint Capitulares, quam ad mores ejus, qui legitime proponitur, ita ut jus habeant ipsi denegandi votum affirmativum ob aliquod motivum, quod *ad mores* non spectat? 2.º An Patris Provincialis sit statuere circa opportunitatem petendi dispensationem, qua forte indiget Ordinandus, qui *quoad mores* approbationi Capituli proponitur?».

Ven. Definitorium N. Generale respondit: Ad 1.um negative. Ad 2.um affirmative. (Ad calcem Act. Def. Gen.) Cfr. dicenda n. 851 et seq.

ARTICULUS V

DE IIS QUAE SPECIALITER MONIALES CONCERNUNT

In praesenti articulo expendenda sunt ea, quae specialiter spectant ad moniales, et quae alibi tractata non reperiuntur. In duas dividitur paragraphos, quarum prima erit de earum confessariis; secunda de earum dependentia ab Episcopo. Leges quae sequuntur, de confessariis tan moniales quam sorores, etiam juris dioecesani, afficiunt, et etiam mulieres quae vivendi rationem religiosorum imitentur in communi degentes, sed sine votis, ad normam can. 673-681; prout patet ex can. 675.

§ I

DE MONIALIUM CONFESSARIIS

518.—Q. *Quotuplex sit confessarius monialium?*

R. Est duplex, nempe; ordinarius et extraordinarius. 1.º Singulis religiosarum domibus unus dumtaxat detur confessarius,

qui sacramentales confessiones universae communitatis excipiat, nisi propter magnum ipsarum numerum vel aliam justam causam sit opus altero vel pluribus» (can. 520, § 1). Etiam domibus in quibus minus quam sex sorores degant. S. C. de Relig., 10 jan. 1920: «Si qua religiosa, ad animi sui quietem, et ad majorem in via Dei progressum, aliquem specialem confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, eum facile Ordinarius concedat; qui tamen invigilet ne ex hac confessione abusus irrepant; quod si irrepserint, eos caute et prudenter eliminet, salva conscientiae libertate» (ib. § 2).

519. Praeterea omnes religiosae, etiam moniales, si, non obstante praescripto can. 520, 521, ad suae conscientiae tranquillitatem, confessarium adeant ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum, confessio in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semi-publico peracta, valida et licita est, revocato quolibet contrario privilegio; neque Antistita id prohibere potest aut de ea re inquirere, ne indirecte quidem; et religiosae, nihil Antistitae referre tenentur. (can. 522).

Hoc privilegio a fortiori uti possunt omnes religiosae, etiam moniales, quoties extra monasterium inveniuntur.

Ex responso Commissionis Pontif. 28 Dec. 1927 constat quod confessio religiosarum peracta extra loca, de quibus in can. 522 et in responso diei 24 Nov. 1920, est non tantum illicita sed etiam *invalida*; et quod verbum *adeat* canonis 522 sit ita intelligendum ut confessarius advocari queat per ipsam religiosam ad loca confessionibus mulierum vel religiosarum legitime destinata. Possunt ergo moniales, ad normam can. 522 advocare et adire confessarium ab Ordinario loci approbatum pro mulieribus, etiam in confessonario proprio monialium.

520. Praeter ordinarium confessarium unicuique religiosarum communitati detur confessarius extraordinarius qui quater saltem in anno ad domum religiosam accedat et cui omnes religiosae se sistere debent, saltem benedictionem recepturae» (can. 821, § 1). Ut plena religiosis et monialibus libertas concedatur ad extraordinarium accedendi, *consulitur* ne per tempus quo extraordinarius suo munere fungitur, confessarius ordinarius ullius religiosae, ne Antistitae quidem, confessionem audiat; *id tamen* non prohibetur.

521. *Confessarii ad casum.* «Ordinarii locorum, in quibus religiosarum communitates exsistunt, aliquot sacerdotes pro singulis domibus designent, ad quos pro sacramento poenitentiae in casibus particularibus recurrere eae facile possint, quin necessarium sit ipsum Ordinarium toties quoties adire» (can. 521, § 2).

«Si qua religiosa aliquem ex iis confessariis expetat, nulli Antistitae liceat nec per se nec per alios, neque directe neque

indirecte, petitionis rationem inquirere, petitioni verbis aut factis refragari, aut quavis ratione ostendere se id aegre ferre» (ib. § 3)

522. *Confessarii pro graviter aegrotantibus.* «Religiosae omnes, cum graviter aegrotant, licet mortis periculum absit, quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum, etsi non destinatum religiosis, arcessere possunt eique, perdurante gravi infirmitate, quoties voluerint, confiteri, nec Antistita potest eas sive directe sive indirecte prohibere» (can. 523).

523.—Q. *Quaenam statuta sint quoad approbationem et deputationem confessarii Monialium?*

R. Codex J. C. can. 876, §, sequentia statuit: «Revocata qualibet contraria particulari lege seu privilegio, sacerdotes tum saeculares tum religiosi, cujusvis gradus aut officii, ad confessiones quarumcumque religiosarum ac novitiarum valide et licite recipiendas peculiari jurisdictione indigent, salvo praescripto can. 239, § 1, n. 1, 522, 523».

«Hanc jurisdictionem confert loci Ordinarius, ubi religiosarum domus sita est, ad normam can. 525» (ib. § 2).

Canon 525 praescribit quod sequitur: «Si religiosarum domus Sedi Apostolicae immediata subjecta sit vel Ordinario loci, hic eligit sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extraordinarios; si Superiori regulari, hic confessarios Ordinario praesentat, cujus est eosdem pro audiendis illarum monialium confessionibus approbare, et Superioris negligentiam, si opus sit, supplere».

524. *De eorum amotione.* «Loci Ordinarius, ad normam can. 880, potest, gravem ob causam religiosarum confessarium tam ordinarium quam extraordinarium amovere, etiamsi monasterium regularibus subdatur et ipse sacerdos a confessionibus sit regularis, nec tenetur causam amotionis cuiquam significare, excepta Apostolica Sede, si ab ea requiratur; de amotione autem debet Superiorem regularem monere, si moniales regularibus subdantur» (can. 527).

525.—Q. *Ad quantum tempus deputari valeat confessarius Monialium ordinarius?*

R. «Religiosarum confessarius ordinarius suum munus ne exerceat ultra triennium; Ordinarius tamen eum ad secundum, imo etiam ad tertium triennium confirmare potest, si vel ob sacerdotum ad hoc officium idoneorum penuriam aliter providere nequeat, vel major religiosarum pars, earum quoque quae in aliis negotiis jus non habent ferendi suffragium, in ejusdem confessarii confirmationem, per secreta suffragia, convenerit; dissentientibus tamen, si velint, aliter providendum est» (can. 526). Post tertium triennium necessaria est facultas S. Sedis ad quartum

triennium; attamen si ab Episcopo confirmaretur in suo munere absque speciali facultate S. Sedis, validae, quamvis illicitae, essent absolutiones.

526. — Q. *Quaenam qualitates de jure requirantur in confessariis Monialium?*

R. Sequentes ex praescripto can. 524, § 1: «In munus confessarii religiosarum et ordinarii et extraordinarii deputentur sacerdotes, sive e clero saeculari, sive religiosi de Superiorum licentia, morum integritate ac prudentia praestantes; sint insuper annos nati quadraginta, nisi ex justa causa, judicio Ordinarii, aliud exigat, nullam potestatem in easdem religiosas in foro externo habentes». Ex quo sequitur Vicarium Generalem nec Visitatorem, utpote habentes jurisdictionem in foro externo, non posse deputari in confessarium religiosarum, sicuti nec Superior regularis cui moniales subjectae sunt.

«Confessarius ordinarius non potest renuntiari extraordinarius nec, praeter casus in can. 526 recensitos, rursus deputari Ordinarius in eadem communitate, nisi post annum ab expleto munere; extraordinarius vero immediate ut ordinarius renuntiari potest» (can. 524, § 2).

§ II

DE MONIALIUM AB EPISCOPO DEPENDENTIA

527. — Q. *Quomodo Moniales dependeant ab Episcopo quoad administrationem bonorum suorum temporalium?*

R. «Sequentia servanda sunt vi can. 535, § 1: «In quolibet monialium monasterio etiam exempto: 1.º Administrationis ratio, gratis exigenda, reddatur semel in anno, aut etiam saepius si id in constitutionibus praescribatur, ab Antistita Ordinario loci, itemque Superiori regulari, si monasterium sit eidem subjectum; 2.º Si ratio administrationis Ordinario non probetur, ipse potest opportuna remedia adhibere, etiam removendo, si res postulet, oeconomam aliosque administratores; quod si monasterium sit Superiori regulari subjectum, eum Ordinarius, uti prospiciat, moneat; quod si ille neglexerit, ipse per se consulat».

«In aliis mulierum religionibus, ratio administrationis bonorum quae dotes constituunt, Ordinario loci reddatur occasione visitationis, et etiam saepius, si Ordinarius id necessarium duxerit» (ib., § 2).

«Loci Ordinarius jus insuper esto cognoscendi: 1.º De rationibus oeconomicis domus religiosae juris dioecesani;

2.º *De administratione fundorum legatorumque de quibus in can.* 533, § 1, nn. 3, 4» (ib. § 3).

528. Praeterea ex praescripto can. 533. «Pro pecuniae quoque collocatione servetur praescriptum can. 532, § 1; sed praevium consensum Ordinarii loci obtinere tenentur:

1.º Antistita monialium et religionis juris dioecesani pro cujusvis pecuniae collocatione; imo, si monialium monasterium sit Superiori regulari subjectum, ipsius quoque consensus est necessarius;

2.º Antistita in Congregatione religiosa juris pontificii, si pecunia dotem professarum constituat ad normam can. 549;

3.º Superior vel Antistita domus Congregationis religiosae, si qui fundi domui tributi legative sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam;

4.º Religiosus quilibet, etsi Ordinis regularis alumnus, si pecunia data sit paroeciae vel missioni, aut religiosis intuitu paroeciae vel missionis» (can. 533, § 1).

«Haec item servanda sunt pro qualibet collocationis mutatione» (ib., § 2).

529.—Q. *Quomodo moniales dependeant ab Episcopo quoad admissionem et rejectionem novitiarum?*

R. 1.º Quoad admissionem novitiarum juxta Codicem C. sequentia servanda sunt: «Religiosarum etiam exemptarum Antistita debet Ordinarium loci, duobus saltem mensibus ante, certiorem facere de proxima admissione ad novitiatum... (can. 552, § 1).

«Ordinarius loci vel, eo absente aut impedito, sacerdos ab eodem deputatus, adspirantis voluntatem, saltem triginta diebus ante novitiatum... diligenter et gratuito exploret, non tamen clausuram ingrediens, num ea coacta seductave sit, an sciat quid agat; et, si de pia ejus ac libera voluntate plane constiterit, tunc adspirans poterit ad novitiatum... admitti» (can. ib., § 2).

2.º Quoad rejectionem novitiarum, moniales, nec sorores, ad recipiendam aliquam novitiam, ab Episcopo cogi non possunt. Quam regulam generalem admittunt communiter auctores. Ratio est, quia de jure communi requiritur consensus Communitatis ad recipiendas novitias. Ergo non consentientibus, seu invitis monialibus, non poterit ulla admitti novitia, quamtumvis id praecipiat Episcopus, et licet Moniales non sint exemptae (cfr. Bouix I, 562).

ARTICULUS VI

DE SUFFRAGIIS PRO DEFUNCTIS

530.—Q. *Quaenam a nostris Constitutionibus statuta sint quoad suffragia pro defunctis facienda?*

R. Suffragia pro defunctis facienda a nostris Constitutionibus, n. 159, seqq., statuta, sunt prout sequitur:

In primis statim ac Frater aliquis obierit, Superior domus Provincialem, ipse vero Superiores singulorum conventuum suae Provinciae ac Praepositum Generalem, Praepositus vero Ordinem confestim moneat, ut pro defuncto subjecta suffragia fiant» (n. 158).

«Pro unoquoque Religioso defuncto, sive novitio sive professo, in eo conventu, cujus conventualis erat, Officium sepulturae et Officium integrum Defunctorum cum Absolutione et Missa cantabitur, insuper quilibet Sacerdos tres Missas pro eo dicet; in aliis vero conventibus Provinciae, cujus erat filius Missa canetur et Officium integrum Defunctorum recitabitur, omnes autem Sacerdotes Missam pro eo applicabunt. Praeterea in aliis totius Ordinis Prioratibus duae Missae privatae dicentur, et Responsorium: *Libera me, Domine* cum Oratione recitabitur. Fratres vero choristae ejusdem Provinciae unum integrum Officium Defunctorum, Fratres non clerici unum integrum rosarium, reliqui autem totius Ordinis Religiosi tertiam partem rosarii recitabunt» (n. 159)

«Si vero Religiosus aliquis in conventu, cuius non erat conventualis, obierit, fiet ibi pro eo Officium sepulturae cum Missa cantata et integro Officio Defunctorum recitato; at in conventu, ubi conventualis erat, omnia fiant ut in numero praecedenti praescripta sunt, excepto Officio sepulturae» (n. 160).

531. Pro Praeposito Generali in toto Ordine dupla suffragia fiant, et Officium Defunctorum ubique cantabitur; pro Definitoribus vero Generalibus et Procuratore Generali in toto Ordine, pro Superioribus Provincialibus in sua Provincia, et pro Superioribus localibus in suo conventu, praeter illa, quae pro ceteris Fratribus dicuntur, Missa una privata a Sacerdotibus singulis, unum Officium Defunctorum integrum a singulis Choristis, et rosarium integrum a non choristis recitentur (n. 161).

«Simul ac obitus Sanctissimi Domini Nostri Papae, et Cardinalis Protectoris scietur, Missa sollemnis cum Absolutione in fine pro eis in conventibus omnibus Ordinis cantabitur» (n. 163)

«Missionarii, in Missione vel in itinere ad illam decedentes, omnibus suffragiis gaudeant, in Provincia ,cuius erant filii. Pro Episcopis ex Ordine assumptis fiant ubique suffragia, quae pro Fratribus nostris in toto Ordine extra propriam Provinciam praescribuntur. At pro Religiosis qui fruentes exclaustrationis in-

dulto obierint, in omnibus Ordinis conventibus recitetur tantum Responsorium; *Libera me, Domine* cum Oratione, et in singulis conventibus suae Provinciae una Missa applicetur» (n. 164).

532. «Die Commemorationis Omnium Defunctorum Ordinis nostri, in omnibus conventibus Missa cum Absolutione ad tumulum cantabitur, omnesque huius diei Missae pro Defunctis Ordinis applicentur. Pridie autem, post vesperas Omnium Sanctorum Ordinis Vesperae, et tempore orationis matutinum et Laudes Officii Defunctorum cum Oratione praescripta recitabuntur» (n. 165).

533. «Feria secunda per integrum annum fiet in singulis Prioratibus Sacrum pro Defunctis nostris, pro quo nulla eleemosyna recipiatur, et, exceptis domibus Studiorum, Vesperae Defunctorum, post illius diei Vesperas recitentur, nisi fuerit festum primae aut secundae classis, quia tunc alio die non impedito dicentur. Tempore vero Paschali, a pervigilio Nativitatis Domini usque ad Octavam Epiphaniae et tribus anni temporibus, quibus officia ternaria recitantur, Vesperae Defunctorum omittuntur» (n. 166).

«Tribus praeterea anni temporibus, inter Octavam scilicet Epiphaniae, et Purificationem; inter Octavam Resurrectionis, et Ascensionem; inter festum S. Michaelis, et Festum omnium Sanctorum, fiat commemoratio pro defunctis; ita ut singulis illorum trium temporum recitetur triplex Officium integrum Defunctorum, et tres Missae cantentur; in Domibus vero Studiorum privatae dicantur». (n. 167).

Explanatur: Quoad Missas cantatas Ternarii, deficientibus diebus liberis, Missa de Requiem semper cantari potest, exceptis Festis duplicibus 1 et 2 classis, Festis de praecepto servandis, Feriis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis. (S. R. C. 5 Jul. 1855).

«...In obitu vero patris vel matris cujusvis Religiosi nostri professi, in conventu ubi Religiosus conventualis est, cantetur Missa de Requie cum Absolutione, vel, si cani non potest, duae Missae lectae applicentur» (n. 168).

«In Residentiis autem et Vicariatibus, in quibus saltem quinque Choristae adsunt, fient eadem suffragia communia ac in aliis conventibus; si autem in iis quinque Choristae non degunt, Definitorium Provinciale determinabit, quae fieri debeant» (n. 169).

534.—Q. *Quaenam mutua suffragia Fratres et Moniales O. N. peragere debeant?*

«In quolibet uniuscujusque Provinciae monasterio Monialium nostrarum sub jurisdictione Ordinis, Missa una conventualis celebretur et recitabitur unum Officium integrum Defunctorum pro quovis Fratre in ea Provincia obeunte; Conversae vero Moniales tres partes rosarii recitent. Fratres vero nostri in quolibet con-

ventu illius Provinciae pro Moniali decedente unam Missam conventualem canant, unumque nocturnum Defunctorum cum Laudibus recitent; Fratres autem non clerici integrum dicant rosarium» (n. 162).

535.—Q. *Quomodo obligent suffragia Religiosis Nostris debita?*

R. Non solum obligant ex praescripto Constitutionum, verum etiam ex quasi contractu. Ratio est, quia obligatio suffragiorum debita est Religioso defuncto ex pacto tacito inter Religionem et Religiosum, vi professionis, ratione cujus, qui profitetur donat se totum Religioni et obligatur ad praestanda Religioni, cui incorpatur, obsequia omnia et servitutem juxta Regulam. E contra Religio se obligat ad ei communicandum omnia spiritualia et temporalia, tam vivo, quam defuncto, quae in ejus favorem a Regula sunt praescripta.

ARTICULUS VII

DE EIS QUAE SPECTANT AD CONVENTUS STUDIORUM

536.—Q. *Quaenam statuta sint quoad erectionem Conventuum studiorum?*

R. Haec habent Constitutiones nostrae:

«Seminarium errorum ignorantia est; quapropter constituimus, ut in unaquaque Provincia sint Conventus ad excolendas scientias praesertim ecclesiasticas destinati. Designentur ergo a a Definitorio Provinciali Conventus, ubi Fratres professi, in inferioribus disciplinis rite instructi Philosophiae et affinium disciplinarum studio per triennium diligenter incumbant. Pariter in eodem Conventu vel in alio, praelegatur sacra Theologia cum adnexis disciplinis, saltem integro quadriennio (n. 280).

«Praeterea, ubi opus fuerit, habeatur Collegium, in quo juvenibus ad nostram Religionem adspirantibus, «una cum pietatis doctrina, ad aetatem accommodata, inferiores disciplinae tradantur quae tradi in gymnasiis solent; ita scilicet, ut non ante ad novitiatum accedant, quam humanitatis, ut ajunt, curriculum confecerint, nisi sat gravis interdum causa aliter decernendum suadeat» (Pius XI, in Ep. Ap. ad Summos Moderatores Ord. Reg.) (n. 282).

«Si autem aliqua Provincia hujusmodi Studiorum domus rite instructas habere nequeat, religiosi alumni mittantur ad recte ordinatum Collegium alterius Provinciae, vel, si id fieri non possit, ad scholas Seminarii episcopalis, vel ad publicum catholicum athenaeum» (n. 283).

537. «Praeter Priorem erit Supprior, qui munere Magistri spiritus fungatur, cuius speciali curae Fratres Studentes toto

studiorum curriculo committantur, ut eorum animos ad vitam religiosam informet opportunis monitis, instructionibus atque exhortationibus. Magister spiritus iisdem qualitatibus praeditus sit oportet ,quae in socio Magistri novitiorum requiruntur» (n. 285)

«Curent Superiores, ut quae suis in locis pro omnibus Fratribus circa frequentiam Sacramenti Poenitentiae et Eucharistiae aliaque pia exercitia praescripta sunt, in Collegiis perfectissime observentur» (n. 286).

«Praeter Priorem, Suppriorem et Lectores, sit in Collegiis sufficiens numerus Patrum, qui concionari, saecularium confessiones audire aliaque ministeria exercere valeant; nolumus enim studiorum tempore Praelectoribus vel alumnis imponi officia, quae a studio eos avocent, vel scholam quoquo modo impediant» (n. 287).

«Ut autem studiis tempus commodius distribuatur, quatuor Horae minores mane ante vel post orationem mentalem recitari possunt; Vesperae autem, Completorium, Matutinum et Laudes tempore in Horariis stabilito persolvantur. In Feriis secundis non dicentur Vesperae Defunctorum, et pro iis quae canenda sunt, propriae observabuntur Instructiones» (n. 289).

«Antequam annus scholasticus vel novus studiorum cursus incipiatur, Definitorium Provinciale approbet Professos, qui ad studia mittendi sunt; at si incepto jam cursu aliquis eo mitti debeat, Superioris Provincialis venia sufficiet. Qui ad studiorum Collegia mittendi sunt, virtute ac ingenio polleant» (n. 290).

538.—Q. *Quaenam statuta sint quoad designationem Praelectorum?*

R. «Superior Provincialis cum suo Definitorio vel Consilio magnam curam adhibeat in designandis Praelectoribus pro nostris Collegiis. Singulis autem trienniis post Capitulum Provinciale vel Congressum in Semiprovinciis, vel quando opus fuerit, Lectores designabuntur, non solum Collegii Philosophici et Theologici, sed et praeparatorii seu gymnasialis et Domus Professorum, necnon disciplinarum Philosophiae et Theologiae adnexarum» (n. 291).

«Tot erunt Lectores in unoquoque Collegio, quot necessarii judicabuntur ad singulas materias convenienter explicandas, ita ut etiam causa mortis vel infirmitatis Superior Provincialis alium substituere possit.

Curandum est, ut saltem S. Scripturae, Theologiae dogmaticae, Theologiae moralis et Historiae ecclesiasticae totidem habeantur distincti Praelectores» (n. 293).

539.—Q. *Quaenam statuta sint, ut Praelectores muneri suo rite satisfaciant?*

R. «Curent omnes Praelectores, ut muneri suo rite satisfacere valeant, omni assiduitate et diligentia, nulli parcentes labo-

ri, ad lectiones debita dignitate et claritate explicandas se praeparare. Quare, posthabitis aliis negotiis, studiis vacare contendant et exequantur fideliter regulas, quae unicuique in Instructionibus adsignantur, pro munere suo recte fungendo, et quoad materias tradendas» (n. 294).

«Ut lectiones opportune praemeditari valeant, Praelectores ab officio chori sint dispensati, si tamen quatuor saltem lectiones in hebdomada habeant, secus diebus a lectione liberis officio Chori interesse teneantur; aliis vero Communitatis actibus, praesertim orationi mentali intererunt, sicut et quibusdam Chori, ut in Instructionibus determinatur» (n. 295).

540.—Q. *Quaenam statuta sint quoad doctrinam a Praelectoribus tradendam?*

R .«Praelectores nostri ceterique Fratres universi opiniones male fundatas et novitatem praeseferentes deponant, et S. Thomam sequantur; ita ut Philosophiae rationalis et Theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem Praelectores nostri omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant; quae autem in Summa docuit praeferant iis quae alibi tradidit. Summam Angelici Doctoris interpretentur juxta ordinem a Definitorio Provinciali praescribendum, vel ejus loco legant probatos auctores Thomistas, ab eodem Definitorio designandos. Nullus vero Lector ex suggestu dictet, ut ibi lectiones a discipulis scribantur» (n. 296).

«In Asceticis autem et Mysticis disciplinis tradendis, Divum Ecclesiae universalis Doctorem ac Patrem nostrum Joannem a Cruce perquam fideliter et reverenter omnes nostri sequantur, aeque ac Divam Matrem Theresiam a Jesu; quorum caelesti doctrina, ut filios decet, nutriantur» (n. 297).

«Initio cuiuslibet anni scholastici, Praelectores tum cursus Philosophici tum theologici debent emittere coram Provinciale vel Superiore Collegii professionem fidei secundum formam a Sede Apostolica probatam» (n. 300).

541.—Q. *Quaenam statuta sint quoad cursum studiorum?*

R. «Ratio studiorum in omnibus Collegiis nostris ad Sacrorum Canonum praescripta et Apostolicae Sedis Instructiones omnino conformari debet» (n. 301).

«In Collegio adspirantium praecipuum locum obtineat religionis disciplina, quae, modo singulorum ingenio et aetati accommodato, diligentissime explicetur; linguas praesertim latinam et patriam alumni accurate addiscant; in ceteris vero disciplinis ea instructio tradatur, quae conveniat communi omnium culturae et statui clericorum in regione, ubi alumni sacrum ministerium exercere debent» (n. 302).

«In cursu vero philosophico, praeter Philosophiae rationalis, Ethicae et Juris naturalis partes et Historiam hujus scientiae, tradantur disciplinae affines» (n. 303).

«Cursus denique theologicus praeter Theologiam dogmaticam et moralem complecti praesertim debet studium S. Scripturae cum disciplinis accessoriis, Historiae ecclesiasticae, Juris Canonici, Theologiae mysticae, Liturgiae, Sacrae Eloquentiae et Cantus Ecclesiastici. Habeantur etiam lectiones de Theologia pastorali, additis exercitationibus practicis praesertim de ratione tradendi pueris aliisve catechismum, audiendi confessiones, visitandi infirmos, assistendi moribundis» (n. 304).

542. «Cum vero haec studiorum ratio, attentis variis Provinciarum circumstantiis, non possit esse ubique omnino uniformis, Superiores Provinciales cum suo Consilio, auditis etiam Lectoribus, conficiant programmata studiorum, quae, a Definitorio Generali examinata et approbata, exacte observentur.

Item, Superiores Provinciales cum suo Consilio designabunt, consultis Lectoribus, auctores qui pro textu deserviant in diversis disciplinis theologicis et philosophicis» (n. 305).

«Annus scholasticus novem saltem menses complectatur, in cujus fine examina locum habebunt» (n. 306).

«Pro numero et captu studentium, frequenter habeantur conclusiones aliaeque litterariae exercitationes, quibus dexteriores fiant in usu scientiae. Cum autem conclusiones defenduntur, non fiet in Choro mentalis oratio ab his qui eis adfuerint, et post coenam vel collationem indulgebitur recreationi» (n. 307).

543. *De examinibus studentium* sequentia statuunt nostrae Constitutiones, n. 308:

«Provincialis, vel alius cui rem ille commisserit, Superior Collegii ac Praelector respectivae scientiae, quotannis sub finem cursus studiorum, Fratres Studentes separatim examinabunt de iis quae illis temporibus didicerunt; et explorabunt, qua morum integritate illucusque processerint».

«Primo omnes examinatores, una cum Magistro spiritus, suffragium ferent quoad mores, et secundum judicium, quod sibi de alumno efformarunt, ipsum approbent vel reprobent. Si quis reprobatus fuerit, non subjiciatur suffragiis quoad scientiam, quousque judicio Provincialis emendatus fuerit et denuo pro utraque approbatione proponi possit; deinde Examinatores respectivi suffragabunt circa Fratrum scientiam, et prout meruerint ipsos approbent, suspendant vel reprobent, addendo simplici approbationi opportunam qualificationem, juxta uniuscujusque merita. Si qui reprobati fuerint, teneantur cursum illius anni repetere, nisi sub finem vacationum examen reparaverint; quod si nullam spem proficiendi praebeant, a studiis removeantur» (n. 309).

Quoad examina ad sacrum ministerium exercendum confer dicta n. 490.

544. Tam Superiores Provinciales, quam Priores, Supprio-res et Praelectores accurate et fideliter observent et observare faciant, quae, pro munere suo rite obeundo, in propriis Instructionibus praescriptae sunt, et etiam Scholares studeant proprias regulas diligenter servare.

ARTICULUS VIII

DE SCRIPTIS TYPIS MANDANDIS

545. — Q. *Quaenam statuta sint quoad scripta typis mandanda?*

R. A Constitutionibus nostris praescribitur: 1.º «Nullus ex nostris, sive per se sive per alium, etiam anonymum aut sub pseudonymo, libros seu quodlibet opus publicare faciat, nisi servata forma juris ac de Superioris Majoris venia, et postquam opus a duobus censoribus, ab eodem designatis, examinatum et approbatum fuerit. Quoties vero agitur de edendis libris ac quibuscumque aliis scriptis ad rem biblicam spectantibus, aut ad Mysticam Theologiam, aut denique ad Historiam Ordinis nostri, unus Praepositus Generalis licentiam concedere poterit. Si quis secus aliquid imprimi fecerit, pro culpae modo puniatur» (n. 315)

«Quoad libellos vero periodicos sufficiet, servatis de cetero de jure servandis, approbatio eorum indolis ac programmatis, a Praeposito Generali initio eorum fundationis concessa, quae perdurare intenditur, donec expresse revocetur; pro singulis vero fasciculis praecedat necesse est approbatio Provincialis vel ejus delegati. In diariis autem seu ephemeridibus, quae non sint Ordinis nostri, Religiosi ne scribant absque expressa licentia Superioris Provincialis, aut Praepositi si ipsi immediate subsint. In aliquo tamen casu urgenti Superior localis, auditis Discretis, veniam dare poterit» (n. 316).

«Constitutiones, Manualia, Ordinarium, Instructiones, folia Officiorum Ordinis et alia spectantia ad ejusdem leges, statuta, officia et ritus ne imprimantur, neque in vernaculis linguis evulgentur, absque licentia Definitorii Generalis; quae si obtenta fuerit, servetur in omnibus exemplar ab eodem approbatum» (n. 317)

De jure communi nunc attendi debet ad praescripta Codicis J. C., can. 1384-1405, in quibus de praevia censura librorum eorumque prohibitione agitur, his verbis: «Ecclesiae est jus exigendi ne libros, quos ipsa judicio suo antea non recognoverit, fideles edant, et a quibusvis editos ex justa causa prohibendi» (can. 1384, § 1).

«Quae sub hoc titulo de libris praescribuntur, publicationibus diariis, periodicis et aliis scriptis quibuslibet applicentur, nisi aliud constet» (ib. § 2).

Post hunc canonem generalem, Codex omnem materiam, de

qua agendum, in duo capita dividit, in quorum primo de praevia censura, in altero vero de probitione librorum pertractat.

CAPUT I

DE PRAEVIA LIBRORUM CENSURA

546. Nomine *censurae* in praesenti venit judicium de aliqua re, et ex can. 1384, § 1 est auctoritativa recognitio libri a potestate ecclesiastica. Censurae igitur ecclesiasticae subjicienda sunt, ita ut sine ea non edantur nec a laicis, sequentia:

«1.º Libri sacrarum Scripturarum vel eorundem adnotationes et commentaria;

»2.º Libri qui divinas Scripturas, sacram theologiam, historiam ecclesiasticam, jus canonicum, theologiam naturalem, ethicem aliasve hujusmodi religiosas ac morales disciplinas spectant; libri ac libelli precum, devotionis vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae aliique hujusmodi, quamvis ad fovendam pietatem conducere videantur; ac generaliter scripta in quibus aliquid sit quod religionis ac morum honestatis peculiariter intersit;

»3.º Imagines sacrae quovis modo inprimendae, sive preces adjunctas habeant, sive sine illis edantur» (can. 1385, § 1). Non vero statuae, nec picturae nec numismata.

«Licentiam edendi libros et imagines de quibus in § 1, dare potest vel loci Ordinarius proprius auctoris, vel Ordinarius loci in quo libri vel imagines publici juris fiant, vel Ordinarius loci in quo imprimantur, ita tamen ut, si quis ex iis Ordinariis licentiam denegaverit, eam ab alio Ordinario petere auctor nequeat, nisi eundem certiorem fecerit de denegata ab alio licentia» (ib. § 2)

«Religiosi vero licentiam quoque sui Superioris majoris antea consequi debent» (ib. § 3).

«Vetantur clerici saeculares sine consensu suorum Ordinariorum, religiosi vero sine licentia sui Superioris majoris et Ordinarii loci, libros quoque, qui de rebus profanis tractent, edere, et in diariis, foliis vel libellis periodicis scribere vel eadem moderari» (can. 1386, § 1).

«In diariis vero, foliis vel libellis periodicis qui religionem catholicam aut bonos mores impetere solent, nec laici catholici quidpiam conscribant, nisi justa ac rationabili causa suadente, ab Ordinario loci probata» (ib., § 2).

547. «Quae ad causas beatificationum et canonizationum Servorum Dei quoquo modo pertinent, sine licentia Sacrorum Rituum Congregationis edi nequeunt» (can. 1387).

«Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia, etc., in quibus earum concessiones continentur, ne edantur sine licentia Ordinarii loci» (can. 1388, § 1).

«Requiritur vero expressa licentia Sedis Apostolicae ut typis edere liceat, quovis idiomate, tum collectionem authenticam precum piorumque operum quibus Sedes Apostolica indulgentias annexuit, tum elenchum indulgentiarum apostolicarum, tum summarium indulgentiarum vel antea collectum, sed nunquam approbatum, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendum» (ib. § 2).

«Collectiones decretorum Romanarum Congregationum rursus edi nequeunt, nisi impetrata prius licentia et servatis conditionibus a Moderatoribus uniuscujusque Congregationis praescriptis» (can. 1389).

«In edendis libris liturgicis eorumque partibus itemque litaniis a Sanctae Sede approbatis, debet de concordantia cum editionibus approbatis constare ex attestatione Ordinarii loci in quo imprimuntur aut publici juris fiunt» (can. 1390).

Libri liturgici sunt *Missale et Breviarium Romanum,* quibus *accensendi sunt Martirologium et Calendarium Romanum*; *Pontificale Romanum*; *Caeremoniale Episcoporum*; *Caeremoniale Romanum*; *Rituale Romanum* et *Memoriale rituum,* et ex Decr. S. R. C. 17 maji 1911, (Decr. authent. n. 4266), ut libri liturgici habendi sunt *Propria* officiorum et missarum alicujus dioecesis, Ordinis seu Congregationis religiosae; *Instructio Clementina* pro expositione SS. Sacramenti; *Collectio Decretorum S. Rituum Congregationis.*

548. Quoad litanias pro publica recitatione vel cantu, approbatae jam sunt litaniae Omnium Sanctorum, sicut habentur in Breviario et in Instructione Clementina pro expositione quadraginta horarum; litaniae SS. Nominis Jesu; litaniae SS. Cordis Jesu; litaniae B. M. V. dictae Lauretanae; litaniae S. Joseph; litaniae pro agonizantibus, quae habentur in Rituali Romano, Tit. V, cap, VII. Nullus Sanctus addi potest, in hujusmodi litaniis, excepto nomine Fundatoris pro Ordinibus qui eundem nominant in *Confiteor.*

«Versiones sacrarum Scripturarum in linguam vernaculam typis imprimi nequeunt, nisi sint a Sede Apostolica probatae, aut nisi edantur sub vigilantia Episcoporum et cum adnotationibus praecipue exceptis ex sanctis Ecclesiae Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus» (can. 1391). Sollicita ergo ac specialis cura de istis versionibus ab Episcopis habenda est.

«Approbatio textus originalis alicujus operis, neque ejusdem in aliam linguam translationibus neque aliis editionibus suffragatur; quare et translationes et novae editiones operis approbati nova approbatione communiri debent» (can. 1392, § 1).

«Excerpta e periodicis capita seorsim edita novae editiones non censentur nec proinde nova approbatione indigent» (ib. § 2)

«Licentia, qua Ordinarius potestatem edendi facit, in scriptis concedatur, in principio aut in fine libri, folii vel imaginis im-

primenda, expresso nomine concedentis itemque loco et tempore concessionis» (can. 1394, § 1).

«Si vero licencia deneganda videatur, roganti auctori, nisi gravis causa aliud exigat, rationes indicentur» (ib. § 2). Differt ergo licentia librum edendi a censura, haec quippe librum, licentia vero personam scribentis immediate attingit.

549. Quoad censores sequenti statuit Codex J. C.: «In universis Curiis episcopalibus censores ex officio adsint, qui edenda cognoscant» (can. 1393, § 1).

«Examinatores in suo obeundo officio, omni personarum acceptione deposita, tantummodo prae oculis habeant Ecclesiae dogmata et communem catholicorum doctrinam quae Conciliorum generalium decretis aut Sedis Apostolicae constitutionibus seu praescriptionibus atque probatorum doctorum consensu continetur» (ib., § 2).

«Censores ex utroque clero eligentur aetate, eruditione, prudentia commendati, qui in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant» (ib., § 3).

«Censor sententiam scripto dare debet. Quae si faverit, Ordinarius potestatem edendi faciat, cui tamen praeponatur censoris judicium, inscripto ejus nomine. Extraordinariis tantum in adjunctis ac perquam raro, prudenti Ordinarii arbitrio, censoris mentio omitti poterit» (ib., § 4).

«Auctoribus censoris nomen pateat nunquam, antequam hic faventem sententiam ediderit» (ib., § 5).

CAPUT II

DE PROHIBITIONE LIBRORUM

550. — Q. *Quid nomine libri intelligatur?*

R. Ex vulgari acceptione, ait P. Vermeersch, Epit. 2, n. 723, liber designat volumen certae *molis,* et quod legentibus offerat argumentum *certae unitatis*; ideo ab hoc conceptu excluduntur ephemerides, folia et exigua opuscula. Molis aestimatio satis aequa est, quae decem folia requirit, folia quidem integra, ita ut operis in 8 sint 160 paginae, operis vero in 16, 320.

Sed P. Noldin, 2, n. 697, ait: «Novus Codex distinguit quidem et ipse inter libros aliasque publicationes, monet autem, ea, quae de libris praescribuntur, applicanda esse etiam publicationibus diariis, periodicis et aliis editis scriptis quibuslibet, nisi aliud constet.

Ergo quodvis scriptum, concludit P. Nold., quod *edatur,* etsi unico tantum folio constet, objectum est horum canonum, nisi constet, aliquem canonem ad determinatum genus scriptorum tantum referri.

551.—Q. *Quis possit libros prohibere?*

R. Ex can. 1395, § 1: «Jus et officium libros ex justa causa prohibendi competit non solum supremae auctoritati ecclesiasticae pro universa Ecclesia, sed pro suis subditis Conciliis quoque particularibus et locorum Ordinariis». Dicens «pro suis subditis» valere Ordinariorum prohibitiones, probabilius nunc tenetur immunes esse religiosos *exemptos* a tali prohibitione.

«Etiam Abbas monasterii sui juris et supremus religionis clericalis exemptae Moderator, cum suo Capitulo vel Consilio, potest libros ex justa causa suis subditis prohibere; idemque, si periculum sit in mora, possunt alii Superiores majores cum proprio Consilio, ea tamen lege ut rem quantocius deferant ad supremum Moderatorem» (ib. § 3).

«Libri ab Apostolica Sede damnati ubique locorum et in quodcumque vertantur idioma prohibiti censeantur» (can. 1396).

552.—Q. *Qui sin effectus prohibitionis librorum?*

R. «Prohibitio librorum id efficit ut liber sine debita licentia nec edi, nec legi, nec retineri, nec vendi, nec in aliam linguam verti, nec ullo modo cum aliis communicari possit» (can. 1398, § 1).

«Liber quoquo modo prohibitus rursus in lucem edi nequit, nisi, factis correctionibus, licentiam is dederit qui librum prohibuerat ejusve Superior vel successor» (ib. § 2).

«Ipso jure prohibentur:

1.º Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuslibet publicatae; itemque ejusdem versiones in quamvis linguam, ab eisdem confectae vel editae;

2.º Libri quorumvis scriptorum, haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta quoquo modo evertere nitentes;

3.º Libri qui religionem aut bonos mores, data opera, impetunt (1);

4.º Libri quorumvis acatholicorum, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri;

5.º Libri de quibus in can. 1385, § 1, n. 1 et can. 1391; itemque ex illis de quibus in cit. can. 1385, § 1. n. 2, libri ac libelli qui novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias,

(1) Verba—*data opera* et *ex professo*—sic intelligenda sunt: De aliqua re *data* opera agit liber, si *consulto, de industria* de ea agit; ergo aut saepius per decursum libri aut in notabili ejus parte, e. gr. integro capite, et quidem cum intentione lectorem ea de re instruendi: *ex professo,* v. gr. de religione agit liber, si in eo non solum obiter et per accidens, sed *copiose* et *notabiliter,* seu in magna ejus parte de ea sermo est, etsi non sit praecipuum libri argumentum.

miracula enarrant, vel qui novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si editi fuerint non servatis canonum praescriptionibus;

6.º Libri qui quodlibet ex catholicis dogmatibus impugnant vel derident, qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur, qui cultui divino detrahunt, qui disciplinam ecclesiasticam evertere contendunt, et qui data opera ecclesiasticam hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt;

7.º Libri qui cujusvis generis superstitionem, sortilegia, divinationem, magiam, evocationem spirituum, aliaque id genus docent vel commendant;

8.º Libri qui duellum vel suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis vel aliis ejusdem generis societatibus agentes, eas utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt;

9.º Libri qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent;

10.º Editiones librorum liturgicorum a Sede Apostolica approbatorum, in quibus quidpiam immutatum fuerit, ita ut cum authenticis editionibus a Sancta Sede approbatis non congruant;

11.º Libri quibus divulgantur indulgentiae apocryphae vel a Sancta Sede proscriptae aut revocatae;

12.º Imagines quoquo modo impressae Domini Nostri Jesu Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis alienae» (can. 1399).

553. «Usus librorum de quibus in can. 1399, n. 1, ac librorum editorum contra praescriptum can. 1391, iis dumtaxat permittitur qui studiis theologicis vel biblicis quovis modo operam dant, dummodo iidem libri fideliter et integre editi sint neque impugnentur in eorum prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata» (can. 1400).

«S. R. E. Cardinales, Episcopi, etiam titulares, aliique Ordinarii, necessariis adhibitis cautelis, ecclesiastica librorum prohibitione non adstringuntur». Ergo neque Provinciales nec alii Superiores majores ad normam can. 198, § 1, hac prohibitione adstringuntur.

«Ordinarii licentiam, ad libros quod attinet ipso jure vel decreto Sedis Apostolicae prohibitos, concedere suis subditis valent pro singulis tantum libris atque in casibus dumtaxat urgentibus» (can. 1402, § 1).

«Quod si generalem a Sede Apostolica facultatem impetraverint suis subditis permittendi ut libros proscriptos retineant ac legant, eam nonnisi cum delectu et justa ac rationabili causa concedant» (ib., § 2).

«Qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros

quoslibet a suis Ordinariis proscriptos, nisi in apostolico indulto expressa iisdem facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuslibet damnatos» (can. 1403, § 1).

«Insuper gravi praecepto tenentur libros prohibitos ita custodiendi, ut hi ad aliorum manus non perveniant» (ib. § 2).

«Librorum venditores libros de obscenis ex professo tractantes ne vendant, commodent, retineant; ceteros prohibitos venales ne habeant, nisi debitam licentiam a Sede Apostolica impetraverint, neve cuiquam vendant, nisi prudenter existimare possint ab emptore legitime peti» (can. 1404).

«Licentia a quovis obtenta nullo modo quis eximitur a prohibitione juris naturalis legendi libros qui ipsi proximum spirituale periculum praestant» (can. 1405, § 1).

«Ordinarii locorum aliique curam animarum habentes opportune moneant fideles de periculo et damno lectionis librorum pravorum, praesertim prohibitorum» (ib., § 2).

554. *Poenae in hujusmodi leges violatores*: Antiquae poenae ecclesiasticae in hac materia vigentes nunc abrogatae sunt ad mentem can. 6, 5.º, remanentibus tantum quae in Codice J. C. expresse continentur, nempe: excommunicatio S. Sedi speciali modo reservata, et alia excommunicatio nemini reservata. Attamen Superior ecclesiasticus, ad normam can. 2222, § 1, poenam arbitrariam ferre potest contra transgressiones, quas lex communis directe non persequitur.

1. *Excommunicatio S. Sedi speciali modo reservata.* «In excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam ipso facto incurrunt, opere publici juris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes» (can. 2318, § 1).

Qui veniant nomine *apostatarum, haereticorum* et *schismaticorum*, canon 1325, § 2 accurate determinat. Eorum libri haeresim vel schisma propugnantes aut ipsa religionis fundamenta quoquo modo evertere nitentes, ipso jure prohibentur (can. 1399, 2.º).

Libri per apostolicas litteras nominatim prohibiti. Ad hunc effectum necesse est, ut ipse Pontifex per litteras proprio nomine signatas librum prohibeat, expresso libri titulo nomineque auctoris. Non sufficit ergo ut eos prohibeat Cong. S. Officii.

Scienter legentes vel *retinentes,* excusat igitur quaelibet imputabilitatis imminutio ex can. 2229, § 2, necnon ignorantia crassa et supina, non vero affectata. Non comprenduntur vero *editores,* quia expresse non nominantur. Inter *defendentes* connumerantur ii «qui libri vetiti doctrinam sive argumentis sive commendationibus laudibusque» tuentur.

2. *Excommunicatio nemini reservata.* «Auctores et editores,

qui sine debita licentia sacrarum Scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam» (can. 2318, § 2) Soli igitur auctores et editores hanc censuram incurrunt, minime vero defendentes, legentes nec retinentes.

3. *Poena arbitraria.* Vi can. 2220, § 1, Episcopus, Abbas et Supremus Moderator possunt decreto, quo secundum canonem 1395 librum prohibent, poenam adnectere.

ARTICULUS IX

DE DISCIPLINA

555. – Q. *Quaenam statuta sint quoad disciplinam sumendam?*

R. Haec habent Constitutiones: «Praecipimus, ut per totius anni cursum, tribus in hebdomada diebus, Feria nimirum secunda, quarta, et sexta, quamdiu Psalmus *Miserere mei* cantabitur, singuli Fratres se ipsos in communi verberent... In Hebdomada vero majori, tribus continuis diebus, scilicet Feria quarta, quinta, et sexta, ad Christi passionem celebrandam, flagellabunt se in communi Fratres nostri, quamdiu Psalmus *Miserere* ter cantabitur.

Ad ordinaria tamen disciplinae lege, in praefatis feriis occurrentes dies festi quatuor Nativitatis Domini, feria secunda Resurrectionis et Pentecostes excipiuntur. Sed si in praedictis feriis secunda, quarta et sexta, Vigilia Nativitatis Christi, vel festum aliquod primae classis inciderit, pridie illorum dierum se Fratres verberabunt, nisi fuerit Dominica, quia tunc alio die libero fiet» (nn. 63 et 64).

Quod autem attinet ad Hebdomadam majorem inquiri possit, num etiam feria secunda disciplina communis sumenda sit. Textus Constitutionis non est omnino clarus, sed consuetudo et praxis communis Ordinis est, quod hac feria secunda disciplina in communi non sumatur.

«Hortamur autem tam Praelatos quam subditos, ut disciplinas aliasque mortificationes ordinarias ac extraordinarias, in refectoriis et capitulis nostris ab initio Religionis consuetas, curent frequenter exercere; et praesertim Praelati, ne consuetudo tam sancta tepescat, invigilent et, in hoc sicut in aliis, se ipsos ceteris exemplum praebeant» (n. 198).

ARTICULUS X

DE HONESTA FRATRUM RECREATIONE

556.—Q. *Quaenam statuta sint quoad honestam Fratrum recreationem?*

R. 1.º Hac de re haec statuunt Constitutiones nostrae: «praecipimus, ut quotidie statim a prandio in opportunum aliquem locum Fratres omnes conveniant, et ibi per unam circiter horam mutua caritate simul laeti permaneant; ubi de rebus spiritualibus ac honestis loquantur, et ordinarie iis, quae in communi dicuntur, attendant» (n. 142).

Cum jejuniorum tempore jam locum non habeat recreatio vespertina diebus dominicis et sollemnibus festis, servanda erunt in posterum, quae novae Constitutiones pro dictis diebus statuunt, ut sequitur:

«Per omne jejuniorum tempus a Regula praefixum, extra dies dominicos et sollemnia festa, recreatio serotina non sit, nisi aliqua justa causa recreationem dandam suadeat. Declaramus autem causam idoneam esse, eo forte die advenisse Praepositum vel alium Superiorem Generalem, Provincialem, Visitatorem, propriumve Superiorem recenter ingressum, aut post diuturnam absentiam reversum, insuper, in studiorum Conventibus, Fratres in conclusionibus eo die laborasse. Toto vero tempore, quo ex Regula non jejunatur, Fratres post coenam vel collationem aliquantulum, sed non ultra horam, recreentur» (n. 143).

557. «In conventibus extra civitates et oppida sitis, tempore recreationis possint omnes, prope et extra conventum de licentia Superioris exire et deambulare; caveant autem Superiores, ne in hoc sit excessus »(n. 144).

«Declaramus tempore ac loco quo Fratres recreantur, permitti posse aliquod genus honesti ludi, qui ad animum relaxandum aut ad valetudinem corporis prodesse possit» (n. 145)

«Novitii, simpliciter Professi, etiam Donati, et Studentes, cum ipsorum Magistro vel alio Patre, illius vices gerente, seorsum in locum recreationis conveniant, nisi cum Superior speciali de causa aliter decreverit» (n. 196):

«Singulis annis quater vel sexies, ut plurimum, omnes conventus Fratres foras exire possint. Caveat autem Superior ne conventus debita custodia destituatur, curetque ut in choro Officium divinum suis temporibus ab aliquibus decenter persolvatur, vel communi ejus recitationi ad normam n. 578 provideat. Ipsae autem recreationes extraordinariae non protrahantur ultra decimam horam, duas scilicet ante mediam noctem» (n. 147).

«Poterit Superior, sanitatis gratia vel ad animi distractionem, Religiosos alternis saltem hebdomadibus ad deambulandum in agrum mittere» (n. 148).

558. «Feria sexta, bis saltem in mense, post dimidiam horam recreationis collatio spiritualis habeatur, in qua Praelatus materiam aliquam spiritualem, veluti de oratione, mortificatione aliisque similibus, proponat, et omnes suo ordine, quod unicuique occurrerit, dicent» (n. 150).

PARS QUARTA

DE REGULARIUM REGIMINE

Regularium regimen vel ipsos Regulares respicit, vel personas extraneas; unde praesens pars in duas dividitur sectiones: in prima agetur de regimine Regularium ad intra; in secunda vero de eorum regimine ad extra.

SECTIO I

DE REGIMINE REGULARIUM AD INTRA

Sectio haec septem constat capitibus: in primo agetur de potestate in genere regendi Regulares; in secundo, de constitutione Praelatorum Regularium; in tertio, de eorum potestate; in quarto, de eorum obligationibus; in quinto, de Capitulis; in sexto, de Definitoriis; in septimo, de Vicariis.

CAPUT I

DE POTESTATE REGENDI REGULARES IN GENERE

559.—Q. ***Quid sit potestas?***

R. Potestas a verbo *possum* derivatur, ejusque significatio latissime patet, et solum penes materiam, cui accedit, diversificatur. Frequentius tamen jus et auctoritatem aliquid faciendi praesefert.

560.—Q. ***Quotuplex sit potestas regendi in Ordine religioso?***

R. Est duplex, nempe: potestas *dominativa* et potestas *jurisdictionalis*.

1.º Potestas *dominativa,* quae omni Superiori cujuslibet societatis, etiam imperfectae, ut familia, competit, est facultas edendi praecepta ad gubernanda membra societatis privatae: pro diversa ejus origine duplex est, *socialis* et *simpliciter dominativa*. Vel enim naturaliter oritur ex quavis *societate* quantumvis parva et imperfecta, ut familia. Cum enim omnis societas necessario regi debeat, ratio ordinis exigit, ut in ea sit Superior et sint sub-

diti, qui ei subjiciantur. Haec potestas est in patre respectu filii, in hero respectu famuli, etc. Vel ipsa oritur *ex voto obedientiae*, quo vovens Superiori suo se submittere promittit. Haec potestas dominativa est in Superiore regulari respectu subditorum. Unde patet in Superiore regulari haberi utramque potestatem, socialem et dominativam, et proinde in eo reperiri veram potestatem praecipiendi atque in *conscientia* obligandi independenter a voto obedientiae.

Hinc can. 561, § 2 statuitur: «Novitius potestati Magistri ac Superiorum Religionis subest eisque obedire tenetur».

2.º Potestas autem *jurisdictionalis* ea est, quae, ratione jurisdictionis ecclesiasticae, statui religioso accrescit seu supervenit. Etsi haec potestas non pertineat ad essentiam status religiosi, supposita tamen exemptione Regularium ab Episcoporum jurisdictione, necessaria est ad perfectam gubernationem Religiosorum in Praelatis Regularibus. Et verum, cum semper exstet in Ecclesia spiritualis jurisdictio specialis in status *eclesiasticos*, de quorum numero est status religiosus, potestas *jurisdictionalis* in Regulares exemptos est de jure penes R. Pontificem; siquidem eos exemptos a jurisdictione Episcoporum haberi vult. Porro S. Pontifex, cum nequeat in omnibus locis esse praesens, non potest modo debito exercere hanc jurisdictionem, quoad omnes Regulares, et omnium ordinariis et quotidianis necessitatibus occurrere. Ideoque vel debet ad hoc deputare speciales commissarios, qui loco Episcoporum spiritualem jurisdictionem exerceant, vel Praelatis e Religione communicanda est haec potestas, ita ut habeant simul et potestatem *dominativam* et *jurisdictionalem*.

Primum autem causaret omnes illas difficultates, propter quas SS. Pontifices censuerunt expediens esse, Religiones a jurisdictione Episcoporum eximere; unde remanet dicendum, quod, tali exemptione supposita, est valde conveniens, imo moraliter necessarium, ut Religio seipsam perfecte regat, habeatque vires necessarias unitas, quae religioso Ordini recte dirigendo necessariae sunt, illi concedere jurisdictionem spiritualem quasi Episcopalem. Praeterea, valde conveniens est, quod in ipsa Religione habeantur Pastores ordinarii, quibus ejus cura ex officio incumbat. Unde illa jurisdictio est ordinaria utpote adnexa officio Superioris.

561. — Q. *Quinam in Religione habeant potestatem jurisdictionalem?*

R. 1.º Illi Praelati, qui habent non solummodo in foro interno, sed etiam in foro externo, seu contentioso jurisdictionem ordinariam, et sunt triplicis generis, nempe: Generales, Provinciales et Superiores locales. Tres illae Praelatorum differentiae admitti debent: nimirum Praelatus supremus, qui a Papa immediate dependet, et Generalis vocatur; Praelatus medius, qui a

Generali dependet, et a quo dependent plures Praelati inferiores, qui eamdem Provinciam cointegrant; et Praelatus infimus, qui est Praelatus localis, et immediate praeest locis particularibus. Quod Generales et Provinciales sint Praelati proprie dicti, omnes auctores admittunt; quod vero attinet ad Superiorem localem, cujus jurisdictio restringitur ad unam domum, est etiam verus Praelatus, prout communiter docent auctores; quia ratio, propter quam datur jurisdictio ordinaria in utroque foro, verificatur in Superiore etiam unius domus, quae, quantumvis parva et modica, suo gubernatore necessariis mediis ad recte regendum instructo, carere non debet, sicuti carere non debet Episcopo modica et parva dioecesis.

2.º Hinc praedicti Praelati in hoc conveniunt, quod singuli eorum habent jurisdictionem immediatam et ordinariam in subditos; tam enim Generalis in toto Ordine, quam Provincialis in sua Provincia, et Superior localis in suo monasterio possunt cuilibet subdito praecipere, immediate ipsum compellere ad obediendum, cognoscere ejus crimen, punire tanquam Judices, et corrigere tanquam Patres; unde non comparantur ad invicem, tanquam Episcopus, Archiepiscopus et Patriarcha; solus enim Episcopus, habet immediatam jurisdictionem in suos subditos; Archiepiscopus et Patriarcha solum habent illam in casu appellationis aut visitationis. Quod haec potestas immediata competat semper, et non solum in actu visitationis, Generali et Provinciali, patet ex uso et consuetudine omnium Religionum. Ex hoc autem, quod quilibet ex istis Praelatis sit immediatus Pastor, et immediatus Judex ordinarius, non sequitur tamen absurdum illud, quod nemo potest duobus dominis servire; quia omnem perplexitatem et confusionem in subdito aufert ordo dominii et potestatis in istis Praelatis, ratione dependentiae, quae inter ipsos reperitur; unde praeceptum unius nequit alterius praecepto opponi: etenim Provinciales Generali, et Superiores locales Provinciali subduntur, sicut quilibet minimus Religiosus; quia praelatura inferior non eximit a debito obediendi praelaturae superiori; et haec subordinatio, ut constat experientia, sufficit ad tollendam perplexitatem in subdito, et confusionem in regimine.

3.º Quae autem praelaturae, sicut sub uno respectu inter se conveniunt, ita sub alio respectu inter se differunt. In primis principaliter differunt in amplitudine jurisdictionis: nam praelatura Generalis habet generalem amplitudinem, et jurisdictionem ad omnes, qui sunt in corpore totius Religionis; Provincialis autem, ad eos tantum, qui sunt in Provincia; denique localis, ad eos, qui sunt in Conventu. Ex hac vero differentia oritur et alia, differentia nempe finis: nam Praelatus Generalis respicit et intendit bonum commune totius Religionis; Provincialis, bonum totius Provinciae; et localis, bonum particulare sui Conventus. Praelatus supremus intra Religionem ab alio non dependet;

medius dependet a supremo; et infimus dependet a supremo et medio. Hinc Praelatus supremus potest limitare et coarctare potestatem et jurisdictionem Praelati medii et infimi; et Praelatus medius potest coarctare jurisdictionem Praelati infimi; ubi enim est subjectio et debitum obediendi, possibilis etiam est, imo et datur, sine injuria, limitatio et coarctatio jurisdictionis; potest enim quis velle uti suo jure, et praecipere Praelato dependenti, ut non se immisceat in hoc, vel illo negotio, in hoc, vel illo crimine; cum ergo iste teneatur obedire supremo, habebit limitatam auctoritatem et jurisdictionem a Praelato supremo. Additur, quod Praelatus supremus, cum habeat amplissimam et illimitatam jurisdictionem in singulos Religiosos, potest alicui praecipere et injungere munus aliquod particulare, ordinando, ut Praelato locali aliter praecipienti non obediat, in quo casu indirecte limitatur et restringitur jurisdictio et potestas Praelati medii et infimi. Verum tamen est, quod in Religionibus, cum potestas medii et infimi non dimanet a supremo totaliter, et cum supremus non ita sit dominus et supremus, ut non dependeat, tam a jure communi, quam a jure particulari cujusque Religionis, cujus statuta et leges observare, non autem violare debet, hinc fit, non indifferenter in omnibus restringi posse et limitari auctoritatem inferiorum; sed solum in iis, quae sunt secundum Regulam; nam ea, quae sunt contra, vel supra Regulam, praecipere nequit. Ubi tamen non constat supremi Praelati praeceptum limitativum auctoritatis Praelati medii, aut inferioris esse contra Regulam, ei est obediendum, ex regula generali: quod praesumptio justitiae stat pro praecepto, nisi evidenter constet de opposito.

4.º Restrictio autem et limitatio jurisdictionis Praelati inferioris requirit semper justam causam; cum enim unusquisque Praelatus habeat suam jurisdictionem ordinariam ex lege, quae tali officio suam convenientem jurisdictionem adaptat, habet quoad suam jurisdictionem jus in re; nequit ergo ea licite privari, quoad aliquam partem sine justa causa, et eo maxime, quia ex tali limitatione jurisdictionis oritur multa perturbatio et immutatio in regimine; et hinc sequuntur scandala, querelae et dominutio reverentiae erga Praelatum inferiorem: quae omnia reddunt illicitam hujusmodi restrictionem. Ideoque concludit Suarez, quod ad minimum haec limitatio sine causa est gravis offensa contra caritatem et justitiam legalem, et forte etiam contra justitiam commutativam, licet hoc ultimum non sit adeo certum. Attamen etsi limitatio haec sine causa sit illicita, non ideo tamen sustineri potest, eam esse invalidam; quia nulla reperitur lex positiva, quae hujusmodi restrictiones jurisdictionis sine causa factas, irritat; praeterea multa facta tenent, quamvis illicite sint facta. Insuper ratione boni communis, quod maxime exigit dependentiam et subordinationem inferio-

rum ad Superiores, expedit, ut talis restrictio teneatur et servetur, etiamsi satis non constet de justitia causae; quandoque enim, quae movent mentem Superioris ad sic restringendum, gravia sunt, et occulta, nec licet illa manifestare propter scandala, quae ex manifestatione prudenter sunt timenda; unde, si haec limitatio evidenter et clare non contineat intolerabilem errorem contra bonos mores, semper est sustinenda tanquam valida, et praesumenda tanquam justa et licita. Advertendum denique est, quod si limitatio et restrictio jurisdictionis concernat ea, ad quae Superior medius, vel infimus habent non ordinariam, sed tantum delegatam potestatem, ista potest sine illorum injuria a Praelato supremo limitari et restringi; cum enim a voluntate Superioris dependeat in esse, ita ab eodem dependet in conservari, neque alia causa requiritur, quam arbitrium concedentis; quod tamen cum sit arbitrium viri boni, debet esse rationabile, et summopere cavere, ne quoad hoc immisceatur acceptio personarum, quae aditum aperiat rixis et querelis: (Cfr. Rot. III, 301).

Ea vero, quae hac de re habent Constitutiones nostrae, supra n. 172 dicta sunt.

562.—Q. *Quotuplex sit jurisdictio Praelatorum Regularium?*

R. Est duplex, nempe *necessaria* seu *contentiosa* et *voluntaria*. *Contentiosa* ea est, quae strepitu forensi atque judiciali processu in quoscumque, ac proinde etiam in invitos exercetur; *voluntaria* autem ea est, quae sine strepitu forensi in volentes tantum exercetur: ut dispensare in votis, absolvere a reservatis, dispensare super impedimentis. Attamen hoc non semper verificatur, quandoquidem Superior dispensare potest cum invitis. Unde, v. gr., dispensatio dicitur quidem actus jurisdictionis voluntariae, quia ex sua natura non ad coactionem, sed potius ad favorem atque gratiam pertinet, licet quandoque de jurisdictione contentiosa nonnihil participare possit, quatenus per Superioris potestatem, etiam circa subditos invitos exerceri valeat. (Cfr. Zitelli, p. 34).

CAPUT II

DE CONSTITUTIONE PRAELATORUM REGULARIUM

Cum in Ordine nostro omnes Praelati constituantur per electionem canonicam, ideoque in praesenti capite tractandum est de electione per septem sequentes articulos, quorum primus erit de natura et forma electionis; secundus, de electoribus; tertius, de eligendis; quartus, de circumstantiis electionis; quintus, de vitiis electionis; sextus, de jure electi; septimus, de poenis male eligentium.

ARTICULUS I

DE NATURA ET FORMA ELECTIONIS

563.—Q. *Quid sit electio?*

R. Electio est personae idoneae ad praelaturam per eos, quibus jus eligendi competit, canonica vocatio, Superioris auctoritate confirmanda.

In electionibus religiosorum servandum est jus commune de quo in can. 160-182, praeter cujusque religionis constitutiones eidem non contrarias (can. 507, § 1).

564.—Q. *Quotuplex sit forma electionis?*

R. Est triplex, nempe: forma quasi inspirationis, compromissi et scrutinii. Prima adhiberi tantum potest, una cum aliis, in electione Romani Pontificis (1): pro ceteris electionibus ecclesiasticis duae aliae formae, compromissi et scrutinii, a Codice J. C. indiscriminatim admittuntur.

Per compromissum fit electio, si «electores unanimi et scripto consensu, in unum vel plures idoneos sive de gremio, electorum, sive extraneos jus eligendi pro ea vice transferant, qui nomine omnium ex recepta facultate eligant, ideo *compromissarii* vocantur, et si agatur de clericali collegio debent esse sacerdotes, secus electio est invalida» (can. 172, § 1 et 2).

«Compromissarii debent pro validitate electionis conditiones compromisso appositas, quae non sint contra jus commune, observare; si nullae conditiones additae fuerint, servandum ipsis est jus commune circa electiones; conditiones autem contra jus pro non appositis habeantur» (can. 172, § 3).

«Si ab electoribus in unam tantum compromissum fuerit personam, haec nequit seipsam eligere; si plures designati fuerint compromissarii, nemo ex iis proprio consensu potest accedere reliquis ipsum eligentibus ut electionem sui compleat». (ib. § 4).

565. Cessat compromissum et jus eligendi redit ad compromittentes:

1.º «Revocatione a collegio facta, re integra»; vel saltem a majore parte collegii, nondum incepta exsecutione compromissi (can. 173, n. 1.º).

2.º «Non secuta aut non servata aliqua conditione compromisso apposita» (ib. n. 2.º)

3.º «Electione absoluta, si fuerit nulla» (ib. n. 3.º).

566. *Per scrutinium* fit electio, quando electores singillatim et secreto votum suum per schedulam emittunt circa designa-

(1) Constitutio Pii X "Vacante Sede Apostolica" n. 55.

tionem personae ad praelaturam, et scrutatores, unde *scrutinium* dictum, hujusmodi schedulas colligunt, examinant atque computant.

«Suffragium est nullum, nisi fuerit:

1.º Liberum; et ideo invalidum est suffragium, si elector metu gravi aut dolo, directe vel indirecte, adactus fuerit ad eligendam certam personam aut plures disjunctive;

2.º Secretum, certum, absolutum, determinatum» (can. 169, § 1, n. 2.º). Cfr. Const. n. n. 367.

«Conditiones ante electionem suffragio appositae tanquam non adjectae censentur» (ib. § 2).

«Suffragium sibimetipsi nemo valide dare potest» (can. 170); et ideo «caveant omnes a directa vel indirecta suffragiorum procuratione tam pro seipsis quam pro aliis» (can. 507, § 2).

Deputatio scrutatorum. «Ante electionem per secreta suffragia deputentur, nisi jam propriis statutis deputati sint (1), e gremio collegii duo saltem scrutatores, qui una cum praeside, si et ipse e gremio collegii sit, jusjurandum interponant de munere fideliter implendo ac de secreto servando circa acta in comitiis, etiam expleta electione» (can. 171, § 1).

«Scrutatores curent ut suffragia secreto, diligenter, singillatim et servato praecedentiae ordine ab unoquoque electore ferantur; collectisque ad ultimum suffragiis, coram praeside electionis secundum formam propriis constitutionibus vel legitimis consuetudinibus statutam, inspiciant an suffragiorum numerum respondeat numero electorum, suffragia ipsa scrutentur palamque faciant quot quisque retulerit» (ib., § 2).

«Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, nihil est actum» (ib., § 3). Nihil dicit Codex, quid faciendum si numerus suffragiorum sit minor numero eligentium, in hoc casu aperienda sunt suffragia et ad ulteriora procedendum; acquivalet enim suffragii renuntiationi. Ita D. Toso., lib. II, can. 171).

«Suffragia statim, peracto unoquoque scrutinio, vel post sessionem, si in eadem sessione habeantur plura scrutinia, comburantur» (ib., § 4).

«Omnia electionis acta ab eo, qui actuarii munere fungitur, accurate describantur, et saltem ab eodem actuario, praeside ac scrutatoribus subscripta, in collegii tabulario diligenter asserventur» (ib., § 5).

567. Peracto scrutinio «is electus habeatur et a collegii praeside proclametur, qui requisitum suffragiorum numerum retulerit, ad normam can. 101, § 1, n. 1» (can. 174).

Canon 101, § 1, n. 1, haec praescribit: «Circa actus personarum moralium collegialium:

(1) In nostris Constitutionibus n. 369 dicitur: "Praeses et duo, qui ei proxime sedent.... semper apud nos scrutatorum munere fungi debent."

«1.º Nisi aliud expresse jure communi aut particulari statutum fuerit, id vim juris habet, quod, demptis suffragiis nullis, placuerit parti absolute majori eorum qui suffragium ferunt, aut, post duo inefficacia scrutinia parti relative majori in tertio scrutinio; quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium praeses suo voto paritatem dirimat aut, si agatur de electionibus et praeses suo voto paritatem dirimere nolit, electus habeatur senior ordine vel prima professione vel aetate.

568. – Q. *Quomodo electio fieri debet aput Moniales?*

R. 1.º Pro Monialibus eadem norma juris valet ac pro religiosis, sicut supra, n. 563, dictum est, praeter cujusque religionis constitutiones eidem juri communi non contrarias.

2.º Apud Moniales autem nostras, juxta ipsarum Constitutiones n. 5: «Electiones fiant per vota seu suffragia secreta, et juxta sacros canones; electioneque facta, schedulae suffragiorum coram omnibus comburantur, ita ut nomina eligentium nullo modo publicentur. Advertatur, tamen, autem nec Praepositum Generalem, nec Provincialem, et multo minus eorum socios in hujusmodi electionibus Monialium aliquod habere votum; sed dictus Praepositus Generalis, sive Provincialis nominare, seu proponere universo conventui tres, aut quatuor Moniales, ut ex illis, quam maluerint, eligant, non autem ad aliquam earum eligendam cogere possit; sed nihilominus remaneat eisdem monialibus libera facultas alias, quae sibi idoneae videbuntur eligendi. Post hoc poterit Praepositus, vel Provincialis talem electionem confirmare, juxta Sacros Canones.

Ad recipeinda autem vota earum, quae propter adversam valetudinem ad crates ferreas, seu cancellos accedere non poterúnt, Praesidens electioni destinet duas Moniales moribus, et aetate graves, et nulli supectas, quae ad excipienda vota se conferant, schedulasque deferant, quas eis non liceat aperire, vel mutare sub periculo animarum suarum, et facta electione hujusmodi, schedulae, ut et supra dictum est, similiter coram omnibus comburantur» (Const. MM. n. 7).

«In omnibus electionibus ad officia Monasterii habeatur pro electa, quae, demptis suffragiis nullis, retulerit partem absolute majorem eorum qui suffragium ferunt; sed post duo inefficacia scrutinia, peragatur tertium scrutinium in quo vocem passivam tantummodo habebunt duae, quae in secundo scrutinio plura quam aliae suffragia habuerunt. Ex his ergo duobus, quae hac tertia vice habuerit plura suffragia, quam altera, erit canonice electa, si vero utraque habeat aequalia, electa manebit, quae est professione antiquior; si vero sint professione pares manebit electa, quae est aetate provectior» (n. 8).

569.—Q. *Quisnam praesidere debeat in electione Priorissae?*

R. Ad normam can. 596, § 2: «In monasteriis monialium, comitiis eligendae Antistitae praesit, quin tamen clausuram ingrediatur, Ordinarius loci aut ejus delegatus cum duobus sacerdotibus scrutatoribus, si moniales eidem subjectae sint; secus Superior regularis; sed etiam in hoc casu Ordinarius tempestive moneri debet de die et hora electionis, cui potest una cum Superiore regulari per se ipse vel per alium assistere et, si assistat, praeesse». Ex declaratione Commis. Pontif., 24 novembris 1920, Ordinarius loci praeesse debet sive assistat per se ipse, sive per alium. (Acta A. S., XII, 573).

«In scrutatores ne assumantur ipsarum monialium confessarii ordinarii» (can. 506, § 3).

570.—Q. *Quaenam moniales habeant jus suffragii in electione Priorissae?*

R. Hoc jus exclusive competit monialibus choristis professis a votis sollemnibus, nam professae a votis temporariis voce activa et passiva carent tam in hac electione quam in Capitulis Monasterii. (can. 578, n. 3.° et Constit. MM. n. 250).

571.—Q. *Quaenam in specie notanda sint quoad electionem Priorissae?*

R. Haec reperiuntur in codice J. C. statuta: Ad officium Antistitae in Monasterio monialium inhabiles sunt, qui eandem religionem professae non sunt a decem saltem annis a prima professione computandis, quae non sunt de legitimo matrimonio natae et annos quadraginta non expleverunt. (can. 504). (Constit. MM. n. 228).

Quaelibet Priorissa permanebit per triennium in suo munere, quo transacto, poterit reeligi ad alterum triennium immediate cum duabus e tribus suffragiorum partibus (Const. MM. n. 9).

Moderatrices generales et Antistitae monialium, quae munus munus suum ad tempus determinatum exercent, inhabiles sunt ut tertio eligantur. Si quae causae graves contrarium suadeant, Episcopus S. Sedi postulationem religiosarum proponat; ita S. C. Relig. per litt. enc, 9 mart. 1920. A. A. S., XII, 365. Fundatores et fundatrices religionum, quoad hoc, nulla prae ceteris praerogativa gaudent, prout S. C. Relig. 6 mart. 1922 declaravit. A. A. S., XIV, 163, et ne tertio eligantur Moderatrices generales et Abbatissae monialium, dissuadet S. C. de Religiosis, per supradictas litteras, ob plura et gravia inconvenientia.

572.—Q. *Quaenam notanda sint quoad electiones Suppriorissae et Clavariarum?*

R. 1.º Quibusdam dotibus Suppriorissa praedita esse debeat, nullibi legitur. Constitutiones autem Monialium exponunt partes muneris illius, his verbis: «Suppriorissae munus est choro praeesse, illiusque curae incumbere, ut rite, moderate ac distincte recitetur, et cantetur divinum officium, in quo sedula opera impendatur.

Cum Priorissa defuerit, ejus loco praesidebit, semperque erit cum Monialibus, quando simul conveniunt, defectusque et errata, si quae committentur tam in choro, quam in refectorio corripiet, si tamen praesens Priorissa non fuerit» (c. 14, n. 117).

2.º Haec leguntur de Clavariis: «Clavariae singulis mensibus a Depositaria, Receptrice nuncupata, rationem exigent praesente Priorissa.

Ab ipsis etiam in rebus gravioribus eadem Priorissa consilium petet.

Habeatur arca, quae tribus clavibus obseretur pro conventus scripturis, et depositis custodiendis, et asservandis, quarum unam Priorissa, reliquas Clavariae antiquiores penes se retineant». (Const. MM. nn. 119-121).

3.º Suppriorissa et Clavariae eligantur per vota secreta (Constitut. MM. n. 116).

Juvabit hic inserere ea, quae spectant ad electionem Clavariae apud moniales nostras: Quaeritur: 1.º Si per mortem aut absentiam secundae Clavariae eligatur altera, an nova electa erit tertia? Resp. affirmative.

Quaeritur. 2.º Si autem prima Clavaria obierit, vel quavis ex causa defecerit, an secunda fiat prima, an vero noviter electa erit prima?

Resp. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam. (Ita R. adm. P. N. Gen. 20 Junii 1886).

ARTICULUS II

DE ELECTORIBUS

573.—Q. *Quibusnam competat jus eligendi Praelatos Regulares?*

R. 1.º *De jure communi,* id pertinet ad totam Communitatem, cui praeficiendus est Superior. Omnes tamen ex Communitate non debent concurrere ad electionem; sed certae conditiones in eis requiruntur.

2.º *De jure* autem *nostro,* vide infra dicenda, ubi de Capitulis et de Definitoriis.

574.—Q. *Quinam ad electionem vocandi sint?*

R «Salvis peculiaribus constitutionibus vel consuetudinibus, collegii praeses, statuto modo, loco ac tempore electoribus convenienti, convocet omnes de collegio; et convocatio, quando personalis esse debet, valet, si fiat vel in loco domicilii aut quasi-domicilii vel in loco commorationis» (can. 162, § 1).

«Si quis ex vocandis neglectus et ideo absens fuerit, electio valet, sed ad ejus instantiam debet, probata praeteritione et absentia, a competente Superiore irritari, etiam secuta confirmatione, dummodo juridice constet recursum saltem intra triduum ad habita notitia electionis fuisse transmissum» (ib. § 2).

«Quod si plures quam tertia pars electorum neglecti fuerint, electio est ipso jure nulla» (ib. 7 3).

«Defectus convocationis non obstat, si praetermissi nihilominus interfuerint» (ib., 7 4).

«Si agatur de electione ad officium quod electus ad vitam retinet, convocatio electorum ante officii vacationem nullum habet juridicum effectum» (ib., 7 5).

«Convocatione legitime secuta, jus eligendi pertinet ad eos qui praesentes sunt die in convocatione statuto, exclusa facultate ferendi suffragia non solum per epistolam, sed etiam per procuratorem, nisi lege peculiari aliud caveatur (can. 163).

575.—Q. *An electores convocati teneantur ad electionem convenire?*

R. *Per se loquendo* electores non tenentur electioni interesse; quia unusquisque potest renuntiare juri suo; sed inspicienda sunt particularia statuta quae forsan renuntiationem graviter prohibeant, et praeterea inspiciendum est bonum commune, quod unusquisque procurare debet. Quoad nos vide dicenda, n. 663, 3.º.

«Etsi quis plures ob titulos jus habeat ferendi nomine proprio suffragii, non potest nisi unicum ferre» (can. 164).

576.—Q. *Quinam suffragium ferre nequeunt in electionibus?*

R. Ad normam can. 167, 7 suffragium ferre requeunt. 1.º Incapaces actus humani; 2.º Impuberes; 3.º Censura vel infamia juris affecti, post sententiam tamen declaratoriam vel concondemnatoriam; 4.º Qui sectae haereticae vel schismaticae nomen dederunt vel publice adhaeserunt; 5.º Carentes voce activa sive ob legitimam sententiam sive ex jure communi aut particulari.

§ 2. Si quis ex praedictis admittatur, ejus suffragium est nullum, sed electio valet, nisi constet, eo dempto, electum non retulisse requisitum suffragiorum numerum, aut nisi scienter

admissus fuerit excommunicatus per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam.

«Si quis ex electoribus praesens in domo sit in qua fit electio, sed electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, suffragium ejus scriptum a scrutatoribus exquiratur, nisi aliter particularibus legibus vel legitimis consuetudinibus fuerit constitutum» (can. 168).

A Capitulo sive generali sive provinciali excluduntur qui voce activa carent sive ob legitimam judicis sententiam sive ex jure communi aut particulari.

Ipso jure carent voce: qui postulationem intra octiduum non praesentaverunt (can. 181, § 2), professi votorum temporariorum (can. 578, 3.º), exclaustrati (can. 639), saecularizati (can. 640), apostatae a religione etiam post reditum (can. 2385), Episcopi et Cardinales religiosi, post resignationem quoque (can. 629, § 2).

577. *Post sententiam* judicis condemnatoriam vocem non habent: qui contra auctoritatem Romani Pontificis ejusve Legati vel proprii Ordinarii, Generalis, Provincialis, eorumque mandata conspiraverint (can. 2331, § 2), religiosi qui sectis occultis nomen dederint (can. 2336, § 1), regulares introducentes vel admittentes mulieres in clausuram (can. 2342, 2.º), religiosi falsarii litterarum Sedis Apostolicae (can. 2360, § 2), sollicitantes ad turpia (can. 2368, § 1), sigillum sacramentale violantes (can. 2369, § 1), religiosi vitae communis legem in re notabili violantes (can. 2389), qui immixtionem potestatis saecularis in electionem sollicitaverint (can. 2390, § 2).

578. Jure particulari, ex constitutionibus nostris, ii qui sequuntur poena privationis activae ac passivae plectuntur: 1.º per sex menses subditi a Praeposito vel Vicario Generali vocati non venientes, n. 119; 2.º per annum negligentibus tempestive accedere ad Capitulum Generale, n. 360; 3.º per duos menses capitulari suffragium mittere renuenti, n. 366; 4.º pro toto Capitulo, Definitorio, Consilio in quo fit electio, incurrit qui secretum suffragii violat, n. 367; 5.º per tres menses violanti juramentum secreti Capituli conventus, n. 598; per tempus a Definitorio Provinciali praescribendum poenam graviorem subire renuenti, n. 680; convicto de peccato contra vota religiosa, n. 681; caret perpetuo voce activa ac passiva apostata ab Ordine, n. 682; illegitime appellantes ad Superiorem externum, n. 685; ab Ordine dimissi, n. 689.

Praeterea eligi non poterunt semel a nobis expulsi, apostatae, et qui a sententia aut decreto Ordinis ad Superiorem quempiam extra Ordinem, praeterquam ad Sacrorum Canonum praescripta, appellare ausi fuerint, et alii suis in locis (supra) indicati; item, qui cursum studiorum nondum a tribus annis

perfecerint, in aliquod officium eligi non poterunt in Capitulo Generali (n. 359), et in Capitulo Provinciali usque ad annum a cursu finito expletum (n. 488).

579.—Q. *Quomodo procedendum sit, dum aliquid delatum fuerit contra electores?*

R. Constitutiones nostrae, n. 383 indicant, quomodo procedendum sit, dum aliquid delatum fuerit contra Praepositum et Definitores Generales: «Si quid autem delatum fuerit contra Praepositum et Definitores Generales, et tribus ex quatuor e Definitorio visum fuerit rem esse animadversione dignam, secreto vocentur alii tres Patres loco antiquiores, qui cum aliis praedictis quatuor, re mature considerata, per vota secreta rem definiant, ne tempus electionibus praefixum prorogetur».

Idem statuunt, n. 493 pro Capitulo Provinciali.

580.—Q. *Quinam teneantur afferre ad Capitulum Provinciale attestationem de satisfactione Missarum?*

R. Socius vel Procurator ferat insuper testimonium, cum subscriptione Discretorum, de oneribus et satisfactionibus Missarum, ac de statu oeconomico Conventus. (Const. n. 604).

ARTICULUS III

DE ELIGENDIS

581.—Q. *Quaenam requirantur in iis, qui ad praelaturas regulares eligendi sunt?*

R. In eligendis nonnulla *positive* requiruntur; alia vero *negative*. Unde requiritur, ut qualitates requisitas habeant, et impedimento non prohibeantur.

Qualitates *de jure communi* requisitae sunt sequentes, nempe: a) ad munus Superioris majoris, ut eandem religionem professi sint a decem saltem annis a prima professione computandis» (can. 504); si quis ergo professus de una ad aliam religionem transierit, anni professionis transacti in religione *a qua,* computari nequeunt cum annis transactis in religione *ad quam* transitum fecit; b) inhabiles vero sunt ad munus Superioris Majoris, qui non sunt ex legitimo matrimonio, haec inhabilitas aufertur per subsequens matrimonium ex can. 1117: c); quoad aetatem requiritur *quod annos quadraginta expleverint,* si agatur de supremo religionis Moderatore aut de Antistita in monialium monasterio; annos triginta, si de aliis Superioribus Majoribus (can. 504).

Pro Superioribus localibus in religionibus virorum vel in Congregationibus mulierum nulla aetas nec anni professionis in

Codice determinata sunt; inspiciendae ergo sunt propriae constitutiones; nostrae autem praescribunt pro Prioribus, ut trigesimum aetatis annum et professionis octavum expleverint, nisi aetatis vel antiquitatis defectus vitae integritate et prudentia compensetur» (n. 517).

582. «Ut autem haec Praepositi electio, et ceterorum qui sunt in Capitulo Generali eligendi, purior fiat, in virtute sanctae obedientiae et sub praecepto omnibus Religiosis nostris tam subditis quam Praelatis praecipimus, ut nulli in toto Ordine unquam liceat directe vel indirecte, per se vel per alium procurare officium aliquod pro Religioso nostro, ex his quae per nostras Constitutiones ambiri non possunt juxta declarationem n. 692 contentam. Et sub eodem praecepto omnibus electoribus praecipimus, ut unusquisque illorum, tam in hac quam in omni alia electione in Capitulo Generali per secreta suffragia facienda, suffragium ferat pro eo uno, quem unicuique officio coram Deo judicaverit magis idoneum, ac neget suffragium ei quem noverit directe vel indirecte, per se vel per alium, praetendere ad aliquam praelationem vel officium promoveri, vel alio modo quartum votum de non ambiendo, vel praeceptum de non praetendendo pro alio juxta nostras Constitutiones violaverit. Idemque intelligi volumus in omnibus electionibus officiorum, ubicumque fiant, quae per quartum votum ambiri non possunt» (n. 391). Idem praescribunt nostrae Constitutiones, n. 500, servandum in Provincialis electione.

583.—Q. *An eligibiles sint, qui legitima de causa a chori frequentatione excusantur?*

R. Negative, secundum nostras Constitutiones, n. 517: «Qui vero ob adversam valetudinem communis ac regularis vitae actibus in Choro et Refectorio ceterisque locis majori ex parte nequeunt interesse, ad officium Prioris ne assumantur». Idem praescribitur n. 390 et 499, nisi valetudinis defectus singulari prudentia et virtute compensetur.

ARTICULUS IV

DE CIRCUMSTANTIIS ELECTIONIS

584.—Q. *Quonam tempore electio facienda sit?*

R. Tempore a lege praefixo, vel a Superiore designato. Quod si electio tempore a lege praefixo facta non fuerit, de jure communi ad proximum devolvitur Superiorem. Apud nos tempus, quo electiones fieri debent in Capitulis Generalibus et Provincialibus, a Constitutionibus determinatur; sed simul indicantur rationes, ob quas electiones retardari possunt ultra tempus a

lege praefixum. Itaque licitum est Capitulum Generale, vel Provinciale prorogari ultra tempus praefixum, quoties concurrunt rationes, v. gr. absentia Generalis, vel Provincialis recenter electi, ob quas prorogari potest.

2.º Si electio tempore praefixo facta, postea infirmetur, jus eligendi ad ipsum Capitulum revertitur.

585.—Q. *Quid intelligatur per tractatus consultorios?*

R. Hoc nomine veniunt deliberationes, seu tractatus inter vocales de meritis eligendorum. Cum tractatus hujusmodi ex sua natura tendant ad bonum commune per dignos Superiores obtinendum, semper praemitti possunt, imo et debent in casu, quo Electores non cognoscant merita Eligendorum.

586.—Q. *Quisnam censeatur magis idoneus?*

R. Sanctior est quidem simpliciter melior, sed non est semper magis idoneus; insuper vero requiritur, ut sit etiam melior in comparatione ad bonum commune. Praeterea, major idoneitas non tantum pendet a scientia, sed etiam ab aliis requisitis prudentiae, integritatis, aptitudinis, etc.

587.—Q. *Quid notandum sit circa juramentum ab electoribus ante electionem praestandum?*

R. Ex praescripto can .506, § 1: «Antequam ad Superiorum majorum electionem deveniatur in religionibus virorum, omnes et singuli e Capitulo jurejurando promittant se electuros quos secundum Deum eligendos esse existimaverint».

Quoad nos, in omnibus electionibus officiorum, quae per quartum votum ambiri non possunt, praecipiunt Constitutiones in virtute S. Obedientiae et sub praecepto, ut unusquisque suffragium ferat pro eo, quem unicuique officio coram Deo judicaverit magis idoneum. (n. 391, et 500).

588.—Q. *Quaenam notanda sint quoad absolutionem, quae electioni praemitti solet?*

R. Haec habet Instructio de Cap. (p. 40): «Quamvis haec absolutio, per se loquendo, sit de solemnitate et ex consuetudine; posset nihilominus evadere de substantia, si, ea non praemissa, deprehenderetur, aliquem aut censura irretitum, aut irregularitate impeditum, concurrisse ad suffragandum. Hoc itaque praestat haec absolutio, ut electiones legitimae sint et canonicae, nec revocentur in dubium ex orta suspicione quoad aliquem ex eligentibus fueritne censuratus, fueritne irregularis.

Absolutio haec et dispensatio non prosunt absentibus, neque se extendunt ultra privilegia a S. Sede concessa in favorem Praelati absolventis, et dispensantis; neque valerent ad convalidandam electionem, quando censurae et irregularitates jam essent

deductae ad forum contentiosum, vel essent ab homine, vel publice declaratae fuissent secundum jura.

Porro censurae, et irregularitates non declaratae, non ab homine, non deductae, ut supra, vere absolvuntur in casu, (juxta benigniorem sententiam) et respective dispensantur a Superiore, quamvis certae sint, et non ignoratae a personis, quae illas contraxerunt.

Cum tamen absolutio hujusmodi et dispensatio dentur unice *pro foro conscientiae*, taliter absoluti ac dispensati possunt accusari et puniri in *foro fori*; cumque non habeant effectum nisi pro electionibus faciendis, amittunt suam vim, electionibus peractis. Unde qui sic absolveretur, aut dispensaretur, et postea cognosceret se censura irretitum, vel irregularitate devinctum, deberet se gerere tanquam censuratum, sive irregularem, et recurrere pro absolutione, vel dispensatione».

589.—Q. *Quaenam notanda sint quoad secretum votorum?*

R. «Cum ex Sacrorum Canonum praescripto, electiones per secreta suffragia fieri debeant, adeo ut electorum nomina nunquam publicentur, praecipimus, ut nemo suffragium, quod pro aliquo fert, alicui ostendat omnesque in eo actu secreti jus stricte custodiant, sub poena privationis vocis et loci ipso facto incurrenda pro toto eo Capitulo aut Definitorio aut Domus Consilio, in quo fit electio» (n. 367). Cfr. can. 169, § 1, n. 2.º.

«Ut autem secretius suffragia ferantur, modus hic descriptus servetur. Praeses Capituli designet duos aut plures, juxta numerum electorum, Fratres professos fidos secreti custodes, qui prope Capituli locum, a Patribus et a se invicem ita separati sint, ut quid unus agat ab aliis cognosci nequeat. Quibus a secretis Fratribus in aulam vocatis, Praeses praecipiat in virtute sanctae obedientiae, ut nemo illorum unquam dicat quisnam electorum talia nomina postulaverit, aut etiam talia non petierit. In Definitoriis vero et Capitulis Conventualibus unus a secretis Frater sufficiat; ubi autem nec unus haberi potest, alio convenienti modo secretae suffragationi provideatur» (Const. n. 368).

590.—Q. *An et quomodo peccent vota eligentium manifestantes?*

R. Distinguendum est inter scrutatores, illosve qui auctoritate sua publica votorum habent notitiam, et eligentes seu alios qui in hanc notitiam devenerunt. Priores mortaliter peccant, si vota manifestent, etiamsi unius tantum electoris. Quoad posteriores, sententia communior docet eos graviter peccare; quia in re gravi praecepto C. Trid. et Codicis J. C., contrafaciunt. Alii tamen negant ibi dari praeceptum grave, nisi ex hoc grave electionis libertati immineat damnum; alias veniale tantum erit,

a qua labe rationabilis causa manifestationem purgat. Venialis culpa adest, quia eo quod praecipitur electionis secretum, eo ipso prohibetur quaecumque revelatio secreto non congruens.

Apud nos, secretarii externi ad schedulas scribendas adhibiti, specialem habent obligationem ex praecepto Constitutionum exortam. (n. 368).

591.—Q. *Quisnam sit effectus suffragii inutilis?*

R. 1.º Hujusmodi vota nullius sunt valoris, ideoque non sunt numeranda. Unde detrahenda sunt ab eligentium numero, et de electione judicandum aeque, ac si ita eligentes abessent, v. gr. si Capitulum decem constet electoribus, et unus schedulam albam in urnam deponat, Capitulum censetur novem tantum constare electoribus, ac proinde qui habet quinque voces, legitime censetur electus, nisi aliter statutum fuerit in Constitutionibus alicujus Religionis . (can. 101, § 1, n. 1.)

«Item, dicitur in Constitutionibus nostris, n. 378), declaramus votum esse affirmativum, in propositionibus quae per calculos deciduntur, si quis quacumque de causa immiserit ambos calculos in calicem album; esse negativum, si quis eos immiserit in calicem nigrum».

Suffragium *album,* ait P. Fanfani, n. 59, utpote maxime indeterminatum, est natura sua nullum, et aequivalet implicite renuntiationi vocis. P. Prümmer, q. 77, et D. Toso, libr. II, can. 189, ait: Denique, ut per se patet, qui schedulam albam in urnam deponit, nullum suffragium fert, et censetur sciens volens juri suo renuntiasse.

592.—Q. *Quaenam votorum quantitas requiratur ut valeat electio?*

R. 1.º *De jure communi*, generatim requiritur et sufficit absoluta major pars votorum.

2.º *De jure nostro,* haec habent nostrae Constitutiones: «Si quis prima vice suffragia plura solus, quam omnes alii simul habere inventus fuerit, erit canonice electus, statimque publicabitur: si vero nullus prima vice plura ceteris omnibus habeat, iterum suffragia feruntur: si autem neque secunda vice, unus plura quam reliqui omnes habuerit, procedatur ad tertium scrutinium, in quo habebunt vocem passivam duo tantum qui in secundo scrutinio plura quam alii suffragia habuerunt, et inter aequalia suffragia habentes, professione antiquiores, et inter professione pares, natu majores (n. 370).

«Cum vero agitur de electione Praepositi Generalis vel Superioris Provincialis, post secundum scrutinium inefficax, fiat tertium eodem modo quo praecedentia; et si etiam tertium inefficax evaserit, proponentur ad quartum duo, qui in tertio plura quam alii suffragia habuerunt, prout in praecedenti numero statutum est» (n. 371).

«Ex his ergo duobus ille, qui tertia vel quarta vice respective habuerit plura suffragia quam alter, erit canonice electus; si vero uterque habeat suffragia aequalia, electus manebit qui est professione antiquior, si autem sint professione pares, manebit electus qui est aetate provectior; quod etiam in quavis electione servetur» (n. 372).

593. Quisnam vero censeatur professione antiquior, ita explicandum est: Eum Religiosum antiquiorem alio esse, qui primus quam alius in eodem conventu Professionem emittit, etiamsi uterque eadem hora profiteatur: inter eos vero, qui in diversis conventibus profitentur, declaramus, eos aequales esse, qui eodem unius diei mane profitentur; et similiter, qui eodem vespere professionem emittunt: tametsi inter duos, qui seu mane, seu vespere profitentur, aliquantum spatii a Professione unius usque ad Professionem alterius intercedat: inter quos tamen, qui est aetate major, erit loco prior.

ARTICULUS V

DE VITIIS ELECTIONIS

594.—Q. *Quaenam vitia invalidare possint electiones?*

R. Sunt praecipue sequentia:

1. «Si plures quam tertia pars eligentium neglecti fuerint». (can. 162, § 3).

2. «Si quis collegio eligentium extraneus ad suffragium admissus fuit» (can. 165); scientibus et non contradicentibus electoribus legitimis, alias valida erit electio, si requisitus numerus suffragiorum validorum fuerit electo tributus».

3. «Si laicus contra canonicam libertatem electioni ecclesiasticae quoquo modo sese immiscuerit» (can. 166).

Praeterea vitiantur electiones per simoniam, per subornationem et per vim vel metum.

595.—Q. *Quotuplici modo committi possit simonia in electionibus?*

R. Quadruplici modo, nempe: 1.º Dando pecuniam ad alicujus votum obtinendum. Nomine pecuniae hic intelligitur quodcumque munus, sive a manu, sive a lingua, sive ab obsequio. 2.º Si ad votum obtinendum promittatur praelatura aliqua: v. gr. promitto tibi votum meum ad officium Provincialis, si mihi des tuum ad officium Prioris. 3.º Si detur pecunia, ne quis in tali electione suffragetur personae dignae. 4.º Si, ubi quis electus est, pecunia detur, ne quis illius electioni contradicat, si eidem juste contradici possit.

596.—Q. *An valeat electio per simoniam vitiata?*

R. Negative ad normam can. 729, haec statuentis: Firmis poenis in simoniacos jure statutis, contractus ipse simoniacus et, si simonia committatur circa beneficia officia, dignitates, subsequens provisio omni vi caret, licet simonia a tertia persona commissa fuerit, etiam inscio proviso, dummodo hoc non fiat in fraudem ejusdem provisi aut eo contradicente».

597.—Q. *Quaedam conditiones requirantur, ut electio simoniaca sit nulla?*

R. 1.º Requiritur, ut simonia sit externe manifestata. 2.º Plures requirunt, ut non sit pure conventionalis, quia canones, poenas statuentes, de simonia reali loquuntur. Alii vero requirunt, ut sit ab utraque parte completa, quae sententia stylo et praxi curiae Romanae innititur. 3.º Requiritur, ut pactum simoniacum electionem, vel saltem confirmationem praecedat.

598.—Q. *Quaenam poenae statutae sint contra simoniam in electionibus commissam?*

R. «Delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis ac dignitatibus ecclesiasticis:

1.º Incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam;

2.º Ipso facto privati in perpetuum manent jure eligendi, praesentandi, nominandi, si quod habeant;

3.º Si clerici sint, praeterea suspendantur» (can. 2392).

599.—Q. *Quid et quotuplex sit subordinatio?*

R. 1.º In materia electionum, nomine subornationis venit procuratio vocum, sive pro se, sive pro alio. De hac hic solum agitur.

2.º Est duplex, scilicet bona et mala. *Bona* est, quae fit ad bonum finem, mediis utendo licitis. *Mala* est, quae fit ad malum finem, vel, licet ad bonum finem, pravis tamen fit mediis.

600.—Q. *Quaenam conditiones requirantur, ut subornatio sit bona et licita?*

R. Requiritur :1.º ut recta sit intentio; 2.º ut nulla intercedat fraus, aut minae, seu vis, preces importunae, aut aliud quodvis medium injustum; 3.º ut nullum adhibeatur mendacium ad suffragia procuranda.

Si autem desit una ex his conditionibus est mala; imo, quum sermo est de subornatione, semper in malo sensu intelligitur, nisi aliter ex contextu constet.

601.—Q. *An subornationem committat, qui agit tantum pro exclusione unius, vel alterius, suffragia non petens pro ejusdem concurrente?*

R. Pauci negant; quia non procurat pro se, vel pro alio; quod tamen requiritur ex Clementis VIII Decreto, et ex can. 507, § 2.

Communiter autem affirmant auctores; quia ille, qui suffragia ab uno avertit, si sint pauci competitores, eo ipso eadem alteri vel aliis revera procurat. Insuper in hoc etiam militat legis ratio; nam per hujusmodi actus arceri possunt digniores, seu minus digni praeferri dignioribus (Cfr. Piat .I-539, 2.ª edit.)

602.—Q. *Quaenam poenae latae sint in subornatores?*

R. Cum subornatio libertati electionis officiat, puniri debet ad normam can. 2390, § 1, quo statuitur ut «libertatem electionum ecclesiasticarum quovis modo per se vel per alios impedientes, vel electores aut electum, peracta canonica electione, propter eam quoquo modo gravantes, pro modo culpae puniantur».

603.—Q. *Quibus modis minuatur, seu violetur electionis libertas?*

R. Tribus modis, videlicet: 1.º per vim seu metum; 2.º per laicorum immixtionem; 3.º minuendo vel augendo eligibilium, vel eligendorum numerum.

604.—Q. *An electio valeat metu extorta?*

R. Negative, «quia suffragium est nullum, nisi fuerit liberum, et ideo invalidum est suffragium, si elector adigatur metu gravi atque, uti patet, injusto et ab extrinseco incusso. Parum autem refert, ait Toso, De personis, can. 169, metu ac dolo quis directe utatur, idest ad extorquendum suffragium, an indirecte, videlicet ad alium finem, dummodo elector de facto adigatur ad eligendam certam personam aut plures disjunctive (can. 169, § 1, n.º 1.º).

605.—Q. *Quandonam electio facta dicatur per laicorum immixtionem?*

R. «Si laici contra canonicam libertatem electioni ecclesiasticae quoquo modo sese immiscuerint, electio ipso jure invalida est» (can. 166). Hic nomine laicorum, intelligi videtur, ait D. A. Toso in hunc canonem, tum quaelibet privata persona tum quaelibet persona publica laica, sive physica sive moralis, ac propterea supremi quoque nationum Principes, Gubernia, civiles auctoritates... Itaque ad hunc effectum producendum requiritur: 1) quod electioni sese immiscuerint; 2) quod id fecerint contra ecclesiasticam libertatem.

606.—Q. *Quaenam statuta sint circa huiusmodi electiones?*

R. Ex praescripto canonis 2390, § 1: «Libertatem electionum ecclesiasticarum quovis modo per se vel per alios impedientes, vel electores aut electum, peracta canonica electione, propter eam quoquo modo gravantes, pro modo culpae puniantur».

«Quod si electioni a collegio clericorum vel religiosorum peragendae, laici vel saecularis potestas sese illegitime, contra libertatem canonicam immiscere praesumpserint, electores qui hanc immixtionem sollicitaverint vel sponte admiserint, ipso facto privati sunt pro ea vice jure eligendi; qui vero suae electioni taliter factae scienter consenserit, fit ad officium vel beneficium, de quo agitur, ipso facto inhabilis» (ib. § 2).

607.—Q. *An electio ex parte eligibilium, vel eligentium coarctari possit ad personas determinatas?*

R. 1.º Hoc non potest fieri per statutum Superioris, neque introduci potest per consuetudinem. Potest tamen ex Constitutione coarctari ad certum genus personarum, v. gr. qui sunt Doctores, vel qui sunt de gremio Capituli; at semper excipitur casus, in quo ibi non esset persona digna; tunc enim electores licite eligunt extra illud genus. Fieri tamen potest, ut per accidens electio ad duos coarctetur.

2.º Jamvero duplici modo coarctatio ex parte eligentium electionis libertati praejudicare potest: minuendo scilicet eligentium numerum, vel illum augendo. Nullus Superior, praeter S. Pontificem, potest numerum eligentium minuere, nisi procedat via juris. Neque augere valet numerum eligentium, nisi possit dispensare in lege vocales obligante ad habendam hanc vel illam qualitatem, seu conditionem, quam non habet extraneus, cui Superior jus eligendi vult concedere.

ARTICULUS VI

DE JURE ELECTI

608.—Q. *Quale jus electo per electionem acquiratur?*

R. 1.º Ante acceptationem electus jus ad rem habet imperfectum; 2.º per ejus acceptationem completur illud jus, ita ut jus habeat ad confirmationem, quae in scriptis dari debet can. 177, § 3). Recepta confirmatione, electus obtinet plenum jus in officio, nisi aliud in jure caveatur (ib. § 4). 3.º Quum electus nondum habeat jus in re, i, e. praelaturam nondum possideat, si ante confirmationem moriatur, per mortem illius non vacat de novo praelatura; sed prima praelaturae vacatio usque ad confirmationem alterius Praelati perdurat.

609.—Q. *Quandonam requirendus sit electi consensus?*

R. «Electio illico intimanda est electo, qui debet saltem intra octiduum utile a recepta intimatione manifestare utrum electioni consentiat an eidem renuntiet; secus omne jus ex electione quaesitum amittit» (can. 175).

«Si electus renuntiaverit, omne jus ex electione quaesitum amittit, etsi renuntiationis eum postea poeniteat; sed rursus eligi potest; collegium autem intra mensem a cognita renuntiatione ad novam electionem procedere debet» (can. 176, § 1)

«Acceptatione electionis electus, si confirmatione non egeat, plenum jus statim obtinet; secus, non acquirit nisi jus ad rem» (ib., § 2).

«Ante acceptam confirmationem ipsi praetextu electionis non licet sese immiscere administrationi officii sive in spíritualíbus sive in temporalibus, et actus ab eo forte positi nulli sunt» (ib., § 3). Si electio confirmatione indigeat, saltem intra octiduum a die acceptatae electionis confirmationem a competente Superiore petere per se vel per alium debet; secus omni jure privatur, nisi probaverit se a petenda confirmatione justo impedimento fuisse detentum» (can. 177, § 1).

610.—Q. *An electus respuere possit praelaturas?*

R. Ante confirmationem, valide semper potest, etiam absque ratione, et eo ipso quod non acceptat, electio in personam sui factam viribus evacuatur; ob justas autem causas non acceptatio est etiam licita. Jamvero post confirmationem, non amplius potest; quia per confirmationem consummatur electió, vi cujus vinculum nascitur spirituale, quod ab electo solo solvi nequit (Cfr. Instr. de Cap., p. 61).

Attamen Constitutiones nostrae haec habent:

«Ille vero (Praepositus) sicut et universi, qui ad praelationes et officia in quolibet Capitulo Ordinis eligentur, onus impositum, Dei auxilio fretus, sine ulla repugnantia accipiat et ferat» (n. 393): nam Deus qui imponit onus, manum etiam Ipse supponet, ne ei ferendo sit impar.

611.—Q. *An et quomodo in Ordine nostro confirmandi sint recenter electi?*

R. Ex praescripto nostrarum Constitutionum Praepositus Generalis, Definitores Generales et Procurator Generalis (nn. 393 et 399) statim confirmantur, sicut et Provincialis et Definitores Provinciales (nn. 502 et 507); ac propterea de ipsis, ante confirmationem, nihil inquirendum est (nn. 532 et 426).

«Peractis universis electionibus, Praeses imponat praeceptum scriptum, ut intra viginti quatuor horarum spatium, Patres Capituli ad illum deferant, si in recenter electis aliquod impedimentum canonicum vel a nostris Constitutionibus ortum co-

gnoverint, propter quod mereantur non confirmari. Si vero de aliquo ejusmodi impedimenta vel culpae legitime probentur, minime confirmetur; sed alius in ejus locum eligatur» (nn. 532 et 426).

«Ii ergo, quibus nihil objicitur, per secreta suffragia in Definitorio ad confirmationem approbentur, et statim confirmentur a Praesidente Capituli in hunc modum: «Ego N. nomine meo et omnium Capituli Gremialium confirmo te, vel vos, in tale officium. Statimque omnes Capituli Patres professionem fidei a S. Sede praescriptam facient. Superiores vero electi, qui Capitulo non interfuerint, eam coram sua Communitate emittent, cum eorum litterae patentes legentur in Capitulo Conventuali» (n. 533).

612.—Q. *Intra quod tempus debeant Priores, Vicarii et Suppriores apud nos possessionem personaliter accipere?*

R. «Priores et Vicarii electi quam primum possessionem sui officii personaliter accipiant; quod si post duos menses a receptis litteris patentibus nondum possessionem acceperint, et non fuerint legitime impediti, a Definitorio Provinciali declarentur officio privati, et congrua poena plectantur» (Const. n. 519). Idem praescribitur, n. 588, de Suppriore.

613.—Q. *An electus possit administrationem suscipere ante confirmationem?*

R. De jure communi, negative; ut patet ex dictis n. 609. Notandum tamen, quod Praepositus Generalis eo ipso, quod electus fuerit, censetur confirmatus a S. Pontifice, ita ut absens possit statim exercere officium suum in totum Ordinem.

614.—Q. *Quomodo Provincialis recenter electus, qui non posset accedere ad Capitulum apud nos debeat, vel possit confirmari?*

R. Duplex via fieri potest: una est, ut Praeses Capituli, a quo de jure confirmatio danda esset, eam mittat per epistolam ad recenter electum, iisdem pene verbis queis confirmaret praesentem; nullum enim dubium, quod confirmari possint absentes, uti confirmantur saepe saepius nonnulli in Comitiis Generalibus, aut Provincialibus. Altera vero est, ut, absoluto Capitulo, confirmaretur Provincialis recenter electus a Praeposito, tanquam a proximo et immediato Superiore. (Cfr. Instr. de Cap., p. 60).

615. – Q. *An Superior possit confirmationem electionis electo denegare?*

R. Negative, si electum repererit idoneum et electio ad normam juris fuerit peracta. (can. 177, § 2) et Const. n. 427.

ARTICULUS VII

DE POENIS MALE ELIGENTIUM

616. – Q. *An electio indigni sit valida?*

R. Negative, ut constat ex can. 2391, § 1; si enim Collegium quod *indignum* scienter elegerit, ipso facto privatur pro ea vice jure ad novam electionem; ergo prima electio indigni est nulla, alias non haberet locum *nova* electio.

617. – Q. *Quaenam sint poenae in eligentes indignum statutae?*

R. «Collegium quod indignum scienter elegerit ipso facto privatur pro ea vice jure ad novam electionem procedendi» (can. 2391, § 1).

«Singuli vero electores qui substantialem electionis formam scienter non servaverint, possunt pro gravitate culpae ab Ordinario puniri» (ib. § 2).

«Clerici vel laici qui indignum scienter praesentaverint vel nominaverint, jure praesentandi vel nominandi ipso facto pro ea vice carent» (ib. § 3).

618. – Q. *Ad quem pertineat eligendi potestas, quando capitulariter eligitur indignus?*

R. Si... collegium jure eligendi privetur in poenam, libera officii provisio ad eum Superiorem devolvitur, a quo confirmanda esset electio vel cui jus providendi successive competit» (c. 178)

CAPUT III

DE PRAELATORUM REGULARIUM POTESTATE

Potestas Praelatorum Regularium ratione objecti est quadruplex, nempe: legislativa, dispensativa, absolutiva et coërcitiva: ratione autem subjecti est triplex, videlicet: potestas Generalis, Provincialis, et Superioris localis. Hinc praesens caput in septem dividitur articulos, quorum primus erit de potestate legislativa; secundus, de dispensativa; tertius, de absolutiva; quartus, de coërcitiva; quintus, de potestate Generalis; sextus, de potestate Provincialis; septimus, de potestate Superioris localis.

ARTICULUS I

DE POTESTATE LEGISLATIVA PRAELATORUM REGULARIUM

619.—Q. *An Praelati Regulares veras ferre valeant leges?*

R. Affirmative, quia in ipsis residet potestas jurisdictionis tam fori interni, quam externi: adeoque potestas expedita veras condendi leges, juxta nempe cujuslibet Ordinis Constitutiones. Quomodo autem potestas legislativa exerceri debeat, traditur generatim in Constitutionibus cujuslibet Ordinis. Apud nos exercetur in Capitulo Generali, sicut infra n. 686 videbimus, et constat ex nostris Constitutionibus, n. 408.

ARTICULUS II

DE POTESTATE DISPENSATIVA PRAELATORUM REGULARIUM

620.—Q. *An Praelati Regulares dispensare valeant cum suis subditis in generalibus Ecclesiae legibus?*

R. Affirmative ad normam can. 1245, § 3: «In religione clericali exempta eandem dispensandi potestatem habent Superiores ad modum parochi (nempe in casibus singularibus justaque de causa) quod attinet ad personas, de quibus in can. 514, § 1, scilicet: aegrotis professis, novitiis, aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis, a lege communi de observantia festorum itemque de observantia abstinentiae et jejunii vel etiam utriusque.

Ab obligatione divini officii recitandi dispensare possunt suos subditos ad normam can. 81-84. Toso. Libr. II. De Personis, canone 135 in fine.

621.—Q. *An dispensare valeant in Regula vel in Constitutionibus?*

R. Cum Regulam vel Constitutiones mutare nequeant, totam Communitatem dispensare non possunt, ejusmodi enim dispensatio mutationem Regulae vel Constitutionum importaret. Possunt tamen in praeceptis Regulae, vel Constitutionum dispensare cum individuis, qui hujusmodi favore indigent, nisi agatur de observantia aliqua magni momenti, in qua prohibetur dari dispensatio.

622.—Q. *An dispensare valeant in votis subditorum?*

R. Cum distinctione :1.º in votis Religionis substantialibus, negative; in aliis vero, affirmative, nisi illa vota sint reservata S. Pontifici, vel sint juramento, aut promissione in utilitatem tertii firmata.

2.º «Vota ante professionem religiosam emissa suspenduntur, donec vovens in religione permanserit» (can. 1315).

623.—Q. *An dispensare possint in poenis incursis?*

R. Distinguendum est: Si S. Pontifex sibi reservat hanc dispensationem, negative. Secus generatim, affirmative. In poenis autem speciali Ordinis jure statutis, Praelatus Superior, non autem inferior, dispensare potest, nisi pars laesa punitionem petat.

In poenis ab inferiore Praelato inflictis, communiter docent auctores non posse Praelatum Superiorem contra infligentis voluntatem dispensare, nisi causa, via appellationis, ad ipsum deferatur. Quibus tamen satis probabiliter alii contradicunt. Post mortem vero, vel cessationem muneris Praelati inferioris, poterit Superior, justa interveniente causa, hujusmodi poenas relaxare.

Desuper haec habent Constitutiones nostrae: «Si qua poena, usque ad gravem inclusive, imposita fuerit, non retardetur ejusdem executio, quamvis illi quibus imponitur recursum fecerint ad Superiores Majores, et si subditus in contumacia perseveraverit, nolens poenam impositam subire, augeatur poena pro qualitate contumaciae vel contemptus aliarumque circumstantiarum» (n. 622).

624.—Q. *An possint Praelati regulares dispensare in irregularitatibus?*

R. *Affirmative,* quando irregularitas proveniat ex delicto *occulto*; excipitur irregularitas orta ex homicidio voluntario vel procuratione abortus (can. 985, n. 4.º), aliave deducta ad forum judiciale (can. 990, § 1).

Ab irregularitatibus ex defectu dispensare tantum potest Romanus Pontifex.

625.—Q. *Quamnam vim habeat dispensatio ab irregularitatibus data in Visitatione?*

R. Haec dispensatio sese non extendit ad publicas irregularitates; sed aufert occultas, dummodo ad illas se extendat potestas Praelati, et intendat ab illis absolvere.

ARTICULUS III

DE POTESTATE ABSOLUTIVA PRAELATORUM REGULARIUM

626.—Q. *An Praelati Regulares possint absolvere suos subditos a censuris S. Pontifici reservatis?*

R. *Affirmative* ad normam can. 2237, § 2: «In casibus vero occultis, firmo praescripto can. 2254 et 2290, potest Ordinarius poenas latae sententiae jure communi statutas per se vel per alium remittere, exceptis censuris specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatis». Ergo etiam Praelati regulares, qui in religionibus clericalibus exemptis pro suis subditis sunt Ordinarii, ad normam can. 198, § 1, nempe Superiores majores.

627.—Q. *An Praelati regulares absolvere possint suos subditos a casibus, in Codice J. C., Ordinario reservatis?*

R. *Affirmative*, sunt enim Ordinarii suorum subditorum, et ideo ab eis absolvere possunt professos, et etiam novitios et suos familiares, et etiam confessarii regulares absolvere possunt saeculares a praedictis casibus, quia per Codicem J. C., ait P. Noldin, De Poenis Ecclesiasticis, n. 95, hoc privilegium non est revocatum. Et P. Prümmer, Man. T. M., n. 427, inquit: Sententia probabilior et tuta in praxi docet *confessarios regulares mendicantes*... posse absolvere a casibus ex jure Episcopo reservatis, et in Man. J. C., q. 245, vocat hanc sententiam valde communem et in praxi tutam.

628.—Q. *Quisnam sit effectus absolutionis, quae datur in fine Visitationis?*

R. 1.º Subditi ab omnibus absolvuntur censuris, a quibus absolvere possunt Superiores, non tantum si sint occultae, sed etiam si sint publicae.

2.º Quantum vero ad peccata, illa absolutio intelligenda est de poenis peccato debitis, non vero de remissione culpae.

ARTICULUS IV

DE POTESTATE COËRCITIVA PRAELATORUM REGULARIUM

629.—Q. *An Praelatis Regularibus competat potestas coërcitiva?*

R. Affirmative, ut constat ex praxi et usu omnium Religionum (1). Ceterum haec potestas est ipsis omnino necessaria;

(1) Cfr. Pejska, pag. 242.

nam sine illa, frustranea esset potestas legislativa; ac proinde disciplina regularis observari et conservari non posset.

Haec potestas est duplex, una nimirum, quae ex voto obedientiae, alia autem, quae a jurisdictione ecclesiastica provenit. Prior modo paterno exercetur; posterior importat perfectam potestatem coërcitivam.

630.—Q. *Quanta sit illa potestas quoad poenas spirituales?*

R. 1.º Vi can. 2220, § 1: «Qui pollent potestate leges ferendi vel praecepta imponendi, possunt quoque legi vel praecepto poenas adnectere».

2.º Possunt quaslibet poenas ferre spirituales, dummodo delicto sint proportionatae. Possunt igitur quascumque censuras ecclesiasticas ferre contra contumaces, sive per sententiam specialem, sive eas in leges introducendo, servando tamen juris principia. Excipitur tamen interdictum seu suspensio generalis. (can. 2269, § 1).

3.º Non autem possunt irregularitatis poenam imponere; solus enim S. Pontifex irregularitates statuere potest. Superior tamen declarare potest irregularitatem a subdito incursam fuisse.

631.—Q. *An possint in poenam Religiosum Clericum transferre ad statum laicale?*

R. Negative, hoc enim est reservatum Romano Pontifici, si in majoribus ordinibus sit constitutus. (can. 211, § 1).

ARTICULUS V

DE POTESTATE GENERALIS IN ORDINE NOSTRO

632.—Q. *Qualem et quantam potestatem habeat Praepositus Generalis?*

R. I. Non habet *potestatem legislativam*. Haec potestas tantum competit Capitulo Generali, cujus Praepositus est Praeses. Est igitur Co-legislator et qua talis subjectus est legibus nostris, sicut alii Religiosi. Etsi nequeat condere leges, poterit tamen facere decreta, seu statuta pro tempore sui Generalatus, cum id pertineat ad munus Praelaturae, quod gerit.

633. II. *Quoad potestatem administrativam et dispensativam,* sequentia habentur in *Constitutionibus nostris*. 1.º «Habebit auctoritatem omnem quae sive ex jure, sive ex privilegiis Praeposito Generali conceditur» (n. 445).

2.º «Poterit Praepositus per se solum negotia omnia, Capitulo Generali vel Definitorio Generali vel Capitulo Provinciali aut Definitorio Provinciali non reservata, expedire... Po-

terit etiam Religiosos quoscumque mittere ad missiones, seu ad novas Provincias erigendas, exceptis habentibus officia, quae per nostras Constitutiones ambiri non possunt, nisi de illorum consensu» (n. 449).

3.º «In iis, quae ad gubernationem spectant, Praepositus etiam cum Definitorum Generalium consensu, vel suffragiis dispensare non valeat dempto casu postulationis; in iis vero, quae ad mores attinent, neque per Constitutiones ei prohibentur, poterit dispensare; at hoc ex justa causa raroque efficiet; qua in re si deliquerit, in Capitulo Generali graviter puniatur» (n. 450).

4.º «Animadvertant autem diligenter Praelati Superiores propter bonum pacis, ne inferiorum Praelatorum officiis se ingerant: nam, etsi Superioribus ea quae inferiorum sunt ministeria subjacere, non dubitamus, simili tamen potestate eos uti non oportet, nisi ob inferiorum defectum, sive alias cum prudentiae ratio, vel bonum regimen in casu aliquo particulari id postulaverit» (n. 451).

5.º «In his, quae ad mores attinent, Capitulum Generale dispensare non valeat cum uno vel pluribus Conventibus ultra triennium... Per haec tamen non intendimus coarctare auctoritatem Praepositi in foro interiori et casibus occultis, quam habet ex jure, vel per privilegia juxta nostras Constitutiones» (n. 413).

6.º «Ad Definitorium Generale spectat decidere dubia circa Ordinarium Manuale, etc. Nolumus autem impedire recursum ad Praepositum Generalem, qui potest facere id, quod est de jure, et non contradicit Constitutionibus» (n. 461).

634. 7.º His attente consideratis, licebit duplicem eruere conclusionem, nempe: a) In ordine ad administrationem Praepositus Generalis potest omnia negotia expedire, quae privative non sunt reservata sive Capitulo Generali, vel Provinciali, sive Definitorio Generali, vel Provinciali. b) In ordine ad dispensationem, in iis, quae pertinent ad mores, potest dispensare, nisi dispensatio expresse reservetur per Constitutiones alii potestati in Ordine.

8.º Quoad libros imprimendos, vide n. 545.

9.º «Choro assignandi, nisi annum decimum quintum egerint et quadragesimum non excesserint, ad habitum non recipiantur. Donati vero nisi annum decimum sextum egerint et trigesimum quintum non excesserint, ad novitiatum non admittentur: justa tamen de causa Superior Major dispensare poterit cum his, qui quadragesimum vel trigesimum quintum respective excesserint» (n. 232).

Pro exitu extra Provinciam ultra quingenta Kilometra, vel ultra mensem commoratus, aut pro accessu ad Urbem, requiritur Praepositi Generalis expressa venia, excepto casu urgenti, in quo tamen Praepositus statim moneatur (n. 117). «Ad balneares au-

tem, ut ajunt, stationes et loca ad salutares aquas potandas Fratres nostri ne pergant, nisi ex magna necessitate et de speciali licentia Praepositi Generalis» (n. 154).

635. Sequentia habet Antonius a Sp. S.: 1.º Generales non possunt suos subditos mittere ad Indos et Infideles causa praedicationis, ubi imminet periculum martyrii, vel ad haereticos et schismaticos, si ibi non fuerint Ordinis conventus; quia res est difficillima, multisque animae et corporis periculis exposita, atque ita Regulae praescriptum excedunt. Excipiuntur tamen illi, qui voto eundi ad missiones quaslibet adstringuntur (n. 70).

2.º Generales possunt transferre suos subditos de una ad aliam Provinciam, si detur justa causa; alias peccabunt contra caritatem et rectum regimen; subditi tamen tenentur semper illis obedire. Non possunt ad instantiam quarumcumque personarum extra Ordinem existentium alicui Religioso suae Religionis aliquod officium, aut dignitatem conferre, seu poenas remittere. Ita prohibuit Clemens VIII. (n. 77).

3.º Possent tamen aliquam gratiam facere suis subditis ad instantiam extraneorum. Generalis non potest eximere aliquem Religiosum ab obedientia sui Praelati immediati, quia hoc esset contra bonum regimen et observantiam Religionum. (n. 79).

4.º Non potest praecipere suo subdito, ut acceptet Episcopatum, vel aliam dignitatem extra Ordinem; quia potestas ejus non ordinatur ad bonum Ecclesiae, sed ad bonum Religionis. (n. 97).

5.º Generalis potest, justa interveniente causa, ad se vocare causas pendentes coram Praelatis inferioribus. Sed bene dicitur, justa interveniente causa; nam sine illa nulio modo hoc facere potest. Ratio est, quia licet Superiores Praelati habeant sibi subordinatos inferiores, hoc non est ita intelligendum, ut possit de eorum jurisdictione ad libitum disponere, sed tantum secundum exigentiam rationis, et in ordine ad bonum commune. Si ergo sine causa ad se advocarent negotia inferiorum, facerent contra exigentiam rationis, juxta dicta n. 561-4.º (n. 147)

636. III. Quoad *potestatem coërcitivam*, «poterit culpas omnes usque ad graviorem inclusive punire; et suspendere ab officio, justis de causis, Priores et Vicarios per annum, dummodo intra id tempus Capitulum Provinciale vel Generale non celebretur» (Const. n. 449).

ARTICULUS VI

DE POTESTATE PROVINCIALIS IN ORDINE NOSTRO

637.—Q. *Quaenam statuta sint a legibus nostris quoad potestatem Provincialis?*

R. I. *Quoad potestatem legislativam*: Etsi *de jure communi* non repugnet, quod Provincialis, in Capitulo Provinciali, statuta perpetua facere possit, in nostra tamen Religione nullam habet potestatem legislativam. Tantummodo potest, Capitulo consentiente, condere aliqua Statuta temporalia, et pro suo tempore duratura dumtaxat; et ut statuta hujusmodi vim habeant obligandi, a Definitorio nostro Generali necessario confirmari debent. (Const. n. 523). Ex eo tamen non sequitur Provincialem non posse, si id prudenter sibi expediens videbitur, pro hoc vel illo monasterio Statutum aliquod facere.

638. II. *Quoad potestatem administrativam et dispensativam*: 1.º «Habebit auctoritatem omnem, quae sive a jure sive ex privilegiis Provincialibus competit» (Const. n. 542). «Nemo in ejus Provincia, sine illius venia, habitu nostro, sive inter Fratres, qui si Choro assignandi sint, de eis fiat periculum an latinam linguam aliasque humanas litteras ita didicerint, ut facile ad alias scientias transire possint, sive inter Moniales eidem subjectas indui, neque profiteri, neque ad Ordines etiam Minores promoveri, neque Confessarii aut Concionatoris officio fungi poterit.

Ipsius erit singulis suae Provinciae Fratribus Conventum, ubi habitent, assignare, indeque ad alios transferre» (n. 543).

2.º «Poterit Provincialis per se solum in sua Provincia negotia omnia, Capitulo Generali, vel Provinciali, Praeposito, Definitorio Generali vel Provinciali non reservata, expedire, et culpas omnes, usque ad graviorem inclusive punire; et in iis, quae ad mores attinent, nec per Constitutiones ei prohibentur, dispensare; at hoc ex justa causa raroque efficiet; qua in re si deliquerit, in Capitulo Provinciali tempore suae visitationis puniatur. Poterit et alia praestare, quae in Constitutionibus ei committuntur» (n. 546).

3.º «Examinatores vero synodales, Poenitentiarii, Consultores Sacrarum Congregationum, Visitatores et qui similia munera publica extra Ordinem habent, quae sine Praepositi vel Provincialis venia a Religiosis nostris acceptari nequeunt, ad sua officia exercenda, petita benedictione, foras exire poterunt» (n. 107).

4.º «Nemo confessiones mulierum audiat, qui triginta annos non expleverit, nisi Provincialis cum aliquo justis de causis dispensaverit... Nullus vero e nostris esse possit ordinarius

confessarius religiosarum absque licentia Provincialis» (n. 186). Provincialis «praeterea, confessarios ordinarios et extraordinarios pro Monialibus Ordinario loci praesentabit» (n. 651).

5.º «Ad confessiones ordinarie audiendas non decumbentium, etiam principum et praelatorum, exire (Fratres nostri) non possit, nisi de licentia Provincialis» (n. 105).

6.º «Ubi conventus nostri Ordinis non fuerit, Religiosi nostri ad consanguineos invisendos, si ibi pernoctare debeant, a Superiore locali non mittantur, nisi de *Provincialis in scriptis licentia*» (n. 109).

7.º «Superior localis, nec exire nec subdito exeundi veniam dare possit ultra centum Kilometra a conventu, vel extra Provinciam, vel ultra tres dies, absque expressa Provincialis licentia» (n. 116). «Superior autem Provincialis nec ipse exire nec subditis extra Provinciam ultra quingenta Kilometra eundi, vel ultra mensem commorandi licentiam concedere valet... Si autem ultra hebdomadam protrahi debet commoratus in alia Provincia, hujus Provincialis de loco et causa commoratus certior fiat; ad concionandum vero in aliam Provinciam inconsulto ejusdem Provinciali nemo mittatur» (n. 117).

8.º «Ad mortuos sepeliendos et Processiones publicas Fratres nostri non exeant, nisi in terris infidelium vel ubi haereses grassantur, aut quando peculiaris aliqua necessitas id exigat judicio Provincialis» (n. 106).

9.º «Nulli saecularium in eodem (loco ubi Fratres nostri sepeliuntur) Capella vel peculiare sepulcrum, sine Praepositi vel Provincialis scripta venia detur; quod si Praepositus, vel Provincialis consuli nequeat, id fiat de consensu Conventus. (n. 170).

10.º «In eo conventu, ubi Frater aliquis in morbum inciderit, maneat quousque convalescat, nisi Praepositus vel *Provincialis* aliud praeceperit. In hospitalibus vero et in aedibus saecularium, etiam consanguineorum, neque curentur aegri Fratres neque convalescant, nisi juxta consilium medicorum remedium aliquod sumi oporteat, quod intra conventum sumi omnino non possit, quo in casu solummodo, Frater aliquis infirmus, de licentia Provincialis, cum consensu Superioris localis et Discretorum aut Consiliariorum..., poterit extra claustrum mitti» (n. 154).

11.º «Ad loca, ubi conventum non habemus, nullus Frater ad conciones ultra triduanas faciendas mittatur, juxta dicta, n. 116, sine venia Provincialis, qui concionatoris, extra conventum per notabile tempus permansuri, probitatem consideret. Ubicumque vero contigerit Fratres nostros ad missiones pro fidelibus habendas vocari, semper requiratur licentia Provincialis» (n. 181)

12.º «Qui pro jurisdictione ad confessiones audiendas et pro facultate concionandi Ordinarios locorum adierit, licentiam non tantum a Praeposito Generali vel a Superiore Provinciali, sed a suo etiam Superiori locali subscriptam ferat» (n. 187).

13.º «Ut autem idoneos Dei ministros Religio nostra habere possit, Superior Major nemini ad concionandum, aut confessiones Fratrum vel saecularium audiendas veniam det, priusquam studiorum cursum absolverit atque examen de universa Theologia, ut in n. 310, praescribitur, subierit» (n. 184).

14.º «Nullus locus, pro nostris Conventibus construendis admittatur, quin prius a Praeposito Generali vel a Provinciali illius Provinciae, una cum duobus aliis Religiosis, aut uno ad minus, pro hoc munere a Capitulo Provinciali deputatis, vel si Provincialis aliqua justa causa sit impeditus, saltem a duobus praefatis Religiosis visitetur, inspiciatur et accurate consideretur» (n. 206).

15.º «Si vero primo anno extra Novitiatus Conventum (Fratres Donati Novitii) morentur, sub disciplina degant Supprioris, vel alius Magistri a Superiore Provinciali nominati (n. 263)

16.º Ob morbos adventitios novitiorum, «de consensu Prioris et Magistri novitiorum, a Superiore Majore soliti propositionis termini, et Professionis etiam tempus prorogari poterunt, ut morbi exitus exspectetur (n. 252).

17.º «Si elapso Novitiatus anno, Provincialis absolute negaverit licentiam alicui novitio emittendi professionem, statim dimitatur, etiamsi a Conventu fuerit approbatus» (n. 255).

Potest, vi can. 574, § 2, professionem sollemnem, renovata a religioso temporaria professione, prorogare, non tamen ultra aliud triennium.

18. «Ordinamus, ut nemo Eremum petat... visitaturus, exceptis Definitoribus et Procuratore Generalibus, sine scripta Praepositi vel Provincialis venia; quam nisi detulerit, a Priore non recipiatur... Monemus autem Praepositum et Provincialem, ut Religiosis nostris, raro, et re quoque bene pensata, facultatem invisendi Eremum concedant; iisque per duos aut tres dies in Eremis commorandi tempus praescribatur» (n. 325).

19.º «Fratres nostri in Eremo commorantes litteras nemini mittant nisi iis de quibus n. 8. Quod si quidpiam grave ac urgens contingat, ob quod necessario alicui scribendum sit, nonnisi de Praepositi aut Provincialis licentia, si adsint, fíat, aut de Prioris venia, vel Prior ipse ejus nomine epistolam scribat». (n. 330).

20.º Antequam annus scholasticus vel novus studiorum cursus incipiatur, Definitorium Provinciale approbet Professos, qui ad studia mittendi sunt; at si incepto jam cursu aliquis eo mitti debeat, Superioris Provincialis venia sufficiet» (n. 290).

21.º «Superior Provincialis cum suo Definitorio vel Consilio magnam curam adhibeat in designandis Praelectoribus pro nostris Collegiis» (n. 291). Superior Provincialis mortis vel infirmitatis causa alium Praelectorem substituere potest (n. 293).

22.º «Superiores Provinciales cum suo Consilio, auditis etiam Lectoribus, conficiant programmata studiorum, quae a Definitorio Generali examinata et approbata, exacte observentur. Item, Superiores Provinciales cum suo Consilio designabunt, consultis Lectoribus, auctores qui pro textu deserviant in diversis disciplinis theologicis et philosophicis» (n. 305).

23.º Provincialis, vel alius cui rem ille commiserit... quotannis sub finem cursus studiorum Fratres Studentes separatim examinabit (n. 308).

24.º «Superior Provincialis, per sex menses ante Capitulum Provinciale conventualitatem Religiosorum, qui possunt habere vocem in illo Capitulo mutare non potest, nisi vel ipsis religiosis petentibus et de consensu primi Definitoris... Provincialis, aut ipsis non petentibus de consensu duorum Definitorum... Provincialium. Conventualitas vero primi Discreti, nonnisi ipso consentiente, aut consentiente Definitorio, a quo fuit electus, unquam mutari potest» (n. 137).

25.º Prior «si quam bonam consuetudinem ab antecessoribus introductam invenerit, sine Provincialis permissu nec eam tollat, nec novam inducat» (n. 576).

26.º «Provincialis, intra spatium duorum mensium, a die cessationis sui officii, poterit sibi in tota Provincia elígere Conventum quem libuerit; quo tempore elapso, et non facta electione, amittat praedictum jus. Si vero in posterum aliquod munus extra illum Conventum ei assignetur (ad quod munus acceptandum non tenebitur, nisi agatur de officio quod ambiri non potest), ad electum Conventum, expleto munere, possit redire. Vacet etiam ab officiis domesticis per sex menses, et in communi tabula ejus nomen non scribatur» (n. 550).

27.º Prior «nihil de novo poterit aedificare, neque in aedificiis factis aliquid mutare, sine licentia in scríptis Superíoris Majoris et absque consensu eorum quorum de jure, nisi in aliquo casu gravi et urgenti, et tunc teneatur quam primum admonere Superiorem Majorem» (n. 585).

28.º «Si autem is (primus Discretus) obierit, vel quavis ex causa defecerit, Provincialis cum suo Definitorio in ejus locum alium idoneum quamprimum eliget» (n. 616).

«In absentia primi vel secundi vel tertii Discreti ultra mensem debet Provincialis providere de alio vel de aliis, qui suppleant vices usque ad adventum absentium» (n. 607).

29.º Officium sepulturae pertinet ad R. P. N. Generalem, quoties Frater aliquis in conventu in quo aderit, obierit. (Cfr. Ord. n. 172). Ergo dum est absens, de jure pertinet ad Provincialem, sive etiam ad Priorem. Idem dicendum pro exequiis nostrarum Monialium, saltem pro eis, quae sunt immediate sub Ordine.

639. III. Quoad *potestatem absolutivam.* Quae dicta sunt de potestate absolutiva Praelatorum Regularium, intelligi debent de hujusmodi potestate Provincialis in sua Provincia exercenda, nisi habeatur exceptio in lege posita.

Quod vero spectat ad absolutionem a casibus in O. N. reservatis, vide supra n. 596.

640. IV. Quoad *potestatem coercitivam.* Quilibet Provincialis in tota sua Provincia, respectu subditorum suorum, eamdem habet potestatem, (nisi alias speciali aliquo jure illi sit limitata) ad coercendos subditos suos censuris et aliis poenis ecclesiasticis (excepto interdicto locali), quam in tota dioecesi sua habent Episcopi respectu subditorum suorum. Quinimo ampliorem, quam Episcopus, hac in re habet potestatem.

Quilibet namque Provincialis in aliena Provincia existens, contra subditum suum, etiam ibi existentem, *juridice* et *contentiose* procedere potest, eumque punire, si eum in delicto aliquo reperiat culpabilem, cum ejus potestas coercitiva a territorio nullo modo dependeat, sed extendatur ad omne territorium, utpote directe personam delinquentis afficiens. Id non possunt Episcopi respectu suorum subditorum.

Inde infertur Provincialem posse tempore jam visitationis transacto, corrigere, castigareque suum subditum delinquentem. Item *de jure communi* negotia et causas Prioris, sive immediati Praelati, praevinere posse, cum ipse in quolibet suae Provinciae conventu totam Prioris potestatem eminenter habeat. (Cfr. n. 561).

ARTICULUS VII

DE POTESTATE PRIORIS IN ORDINE NOSTRO

641.—Q. ***Quaenam statuta sint a Legibus nostris circa potestatem Prioris?***

R. 1.º Prior «si quam bonam consuetudinem ab antecessoribus introductam invenerit, sine Provincialis permissu nec eam tollat, nec novam inducat» (Const. n. 576).

2.º «Prior, in iis quae ad quotidianam communis vitae disciplinam pertinent, juxta occassiones occurrentes cum suis et secum dispensare poterit. Caveat autem ne levi de causa etiam in rebus minimis dispenset, cum sine culpa dispensare non possit, si justa causa desit» (n. 577).

3.º «Nulli Religioso det veniam perennem, neque cum integra Communitate ad aliquid in communi et regulari vita mutandum vel omittendum, nisi raro et ex gravi causa, Discretorum suffragiis approbanda, dispenset ; neque vero tunc, nisi Provincialem prius consulerit, si fieri possit, sin autem, postea illum de re cito certiorem faciat». (n. 578).

Ille numerus nostrarum Constitutionum est maximi momenti quoad regularem disciplinam. Cum frequentes mutationes quoad actus Communitatis non modicam soleant causare perturbationem disciplinae regulari, Constitutiones nostrae hac in re potestatem Prioris arcte limitant. Ideoque si ipsa lex non det Priori facultatem faciendi aliquam immutationem in horario, vel aliam mutationem, aut omissionem in actibus Communitatis, requiritur consensus Discretorum, simulque praemonendus est Provincialis et consulendus: si autem id non sit possibile, postea de re certior fiat Provincialis. Attendant igitur Visitatores et Provinciales, ut Constitutiones desuper exacte observentur.

4.º «Prior, dum in Conventu adest, Vicarium eligere nequeat; cum autem recedit extra conventum ultra triduum abfuturus, succedit in gubernatione domus Supprior; qui erit Vicarius etiam mortuo Priore, et in omni alio casu in quo Prioris officium vacet, quousque novus Prior sui officii possessionem acceperit (n. 584).

5.º «Prior toti Conventui praeceptum imponere sine Discretorum consensu non poterit; similiter, nihil de novo poterit aedificare, neque in aedificiis factis aliquid mutare, sine licentia in scriptis Superioris Majoris et absque consensu eorum quorum de jure, nisi in aliquo casu gravi et urgenti, et tunc teneatur quam primum admonere Superiorem Majorem» (n. 585).

Varia in diversis locis jam tradita sunt de potestate Prioris; recurratur itaque ad ea loca, quae in Indice rerum indicabuntur et ad Constitutiones nostras nn. 575-587.

CAPUT IV

DE OBLIGATIONIBUS PRAELATORUM REGULARIUM

Variis in locis variae obligationes Praelatorum Regularium jam traditae sunt. In praesenti autem capite tantum agemus de visitatione regulari, de professione fidei et lectione Decretorum Apostolicorum apud Regulares facienda. Unde duplex articulus.

ARTICULUS I

DE VISITATIONE REGULARI

642.—Q. *Quid sit Visitatio regularis?*

R. Visitatio regularis est inquisitio generalis de Regularium subditorum vita et moribus, quae ad hoc fuit inventa et instituta, ut Praelatus, tanquam bonus Pastor pecoris sui vultum agnoscens, delinquentes contra disciplinam regularem, juxta cujuslibet demeritum corrigere, castigare atque emendare posset, et bene in via Domini ambulantes, juxta cujuslibet qualitates et

merita praemiare, atque promovere, eoque modo disciplinam et observantiam regularem restituere, conservare, protegere atque augere.

643. – Q. *Quonam jure teneantur Superiores Regulares ad faciendam regularem Visitationem?*

R. Ad id tenentur ex jure naturali, ecclesiastico, et speciali cujuslibet Ordinis.

1.º *Ex jure naturali*: Haec enim obligatio ex ipsa natura Offciii pastoralis promanat, cujus ratione Superiores Regulares, tanquam veri Pastores, tenentur inquirere et corrigere subditorum suorum defectus atque excessus, ne sanguis eorum de suis manibus requiratur.

2.º *Ex jure ecclesiastico*: in Codice namque J. C., can. 511, praecipitur ut «Majores religionum Superiores quos ad hoc munus constitutiones designant, temporibus in eisdem definitis, omnes domos sibi subjectas visitent per se, vel per alios, si fuerint legitime impediti».

Superiores Majores in nostris Constitutionibus, nn. 447 et 544, designati ad normam hujus canonis sunt Praepositus Generalis in toto Ordine et Provincialis in sua respectiva Provincia.

«Bis in triennio suam Provinciam visitabit (Provincialis); at si justa causa subsit, poterit alicui visitationem alicujus Conventus committere praescribetque illi auctoritatem qua functurus est, quemadmodum ei videbitur expedire» (n. 544).

644.—Q. *Quanta sit potestas Visitatoris?*

R. Potestas Visitatoris ex officio eadem est in Visitatione, quam extra Visitationem: potestas autem Visitatoris delegati dependet a concessione delegantis. Hinc ejus potestas eadem est ac delegantis, si hic totam suam potestatem delegato communicet; est autem restricta, nec extenditur ultra limites delegationis, si in hoc praefiniti sint limites.

«Visitatores Generales delegati congregare poterunt Definitorium Provinciale in loco opportuniori, eorumque auctoritas et jurisdictio durabit usque ad eorum exitum a Provinciis visitatis, nisi aliter ipsis ordinaverit Praepositus Generalis. Quod si Visitator fuerit ejusdem Provinciae, quam visitat, finietur illius officium, quando terminat Visitationem ultimi Conventus, si sit illius Conventualis; secus, quando exit ab ultimo Conventu visitato. Nullus autem Visitator possit interrumpere Visitationem exeundo a Provincia sine necessitate a Praeposito Generali approbanda: (Const. n. 648).

Visitator Generalis in Conventibus suae visitationi submissis, praesidet in actibus Communitatis, et locum tenet post Definitores Generales et Procuratorem Generalem (n. 140).

Visitator vero Provincialis in conventu, quem actu visitat, praesidet et sedet ante Provinciales hospites..

«Si moriatur Generalis vel Superior Provincialis, aut eorum officium quomodocumque vacet, Visitatores respectivi ab eisdem delegati poterunt inceptam jam Visitationem, etiamsi eam inceperit post mortem seu vacationem, sed ante ejusdem notitiam, prosequi, donec Visitatio absolvatur, vel ipsi a successore revocentur» (Const. n. 649).

645.—Q. *Ad quem pertineat regimem Provinciae, vel Conventus durante Visitatione?*

R. 1.º Regimen externum contentiosum devolvitur ad Visitatorem: Superiores quidem hac potestate non spoliantur, sed durante Visitatione suspenditur.

2.º Ast potest Superior voluntariam exercere jurisdictionem erga suos subditos, v. gr. varias ipsis concedere dispensationes, dummodo per hoc non impediat, vel perturbet Visitatoris jurisdictionem.

Leges autem nostrae desuper haec habent:

3.º «Non se ingeret Visitator gubernationi conventus quoad ejus temporalia bona; sed omnia ea Superiori locali ministrisque remittat, ut tempus omne rebus majoris momenti possit impendere». (Const. n. 646).

646.—Q. *Quomodo recipiendus sit Visitator?*

R. «Quoties Praepositus aut Provincialis aliusve Religiosus, ab alterutro delegatus, visitaturus accedit, statim ac Conventum ingressus fuerit, ad signum campanulae ad Chorum, ubi ipse aliquantulum orabit, omnes Fratres conveniant, benedictionem ab ipso, ut mox est, flexis genibus accepturi juxta Manuale; nec incipiat visitationem simul ac pervenerit» (n. 636).

«Cum R. P. Provincialis ad visitandum conventum suae Provinciae venerit, magna et animi humilitate, et externa simul reverentia recipi debet; ideo si adventus ejus praesciatur, Fratres omnes cappis induti, per choros divisi, eum in choro, vel sacristia aliove commodiori loco genuflexi exspectabunt, ad quem cum praedictus R. P. pervenerit, orabit aliquantulum in loco ante SS. Eucharistiam vel altare praeparato; tunc Prior, vel Praeses conventus accedens, genuflexus offert ei aspergulum cum deosculatione ejusdem asperguli, et manus; praedictusque R. P. Provincialis surgens aspergit prius se, deinde Priorem, postea omnes Fratres; redditoque aspergulo Priori, sedebit in sede, vel a latere altaris, vel alio commodiori loco praeparata, et omnes Fratres accedent ad osculandam ejus manum.

«Eodem modo recipietur Visitator in conventu, quem visitaturus est, licet non sit Provincialis». (Man., p. 129).

«Non permittat se honorificentius recipi quam Manuale no-

strum praescribit, et honorem debitum cum humilitate recipiat. (Praxis Visit., p. 3).

647.—Q. *Quomodo Visitator incipere debeat Visitationem?*

R. «Cum jam ei videbitur opportunum, inquiunt nostrae Constitutiones n. 637, die aliqua mane vel vespere Fratres convocet; et praemisso Hymno *Veni Creator Spiritus,* ad legum custodiam eos in Capitulo breviter hortetur: Mox si Praepositi, aut Provincialis delegatus fuerit, litteras functionis sibi commissae legat, et statim subjectum praeceptum scripto ferat: Auctoritate Domini nostri Jesu Christi, et officii, quo fungor, omnibus hujus conventus Fratribus praecipio in virtute sanctae obedientiae, et sub praecepto, ut unusquisque cum rogatus fuerit, aperiat, an in hoc conventu, vel Fratre quovis, aliquam culpam deprehenderit contra Dei, vel Ecclesiae legem, contra Regulam, et Constitutiones, aut Ordinationes Praelatorum Ordinis».

«At quia Visitator, non tam judicem, quam patrem inter Nos repraesentare debet; publice omnibus exponet communem correptionis fraternae doctrinam, ne forte caritatis lex alicujus Fratris ignorantia violetur: quod accuratius efficiet erga singulos, quos interrogabit, antequam illi quidpiam corripiendum deponant» (n. 638).

Explanatur. a) In Praxi Visitationis haec habentur: «Die, qua Visitationem incipere voluerit, ...signum dabitur eodem modo, et cum tot pulsationibus, quot pulsari solet ad Capitulum conventuale ordinarium, sed aliquantulum sedatius, et ipse ultimus accedens geneflexus, et aliquantulum orans incipit Hymnum *Veni Creator Spiritus.* (p. 4).

b) Si fuerit Generalis, vel ejus delegatus, post illud verbum praecepti *aperiat,* dicat sic: an in Superioribus hujus Provinciae, vel in hoc conventu etc.»

c) Vi illius praecepti denuntianda non sunt: 1.º illa peccata, quibus constat a Visitatore nullum esse afferendum remedium. 2.º Neque si Frater sit emendatus, nisi versaretur in proximo periculo relabendi in eadem peccata. 3.º Neque peccata, quae audierunt tantum, sed non viderunt, nisi ob delicti gravitatem a Visitatore etiam de auditis respondere praeciperentur. 4.º Neque peccata Visitatori jam cognita. 5.º Neque peccata, quae jam Superiori locali, vel Provinciali denuntiata sunt, nisi alias constet a Superiore nullum remedium adhibitum esse, vel frustra adhibitum fuisse. 6.º Neque peccata a Religioso revelata ad petendum consilium. 6.º Neque peccata occulta, quae non praejudicant bono Communitatis. Quod peccata etiam occulta a Religioso commissa deferri possint Visitatori, ob renuntiationem juri, quod habent ad correctionem fraternam, intelligi debet de peccatis levibus, quorum propalatio famae non infert grave damnum,

sed non de gravibus peccatis occultis, quorum manifestatio graviter laedit famam proximi.

Cetera peccata gravia denuntianda sunt, quinimo illa venialia, quae nata sunt grave damnum observationi regulari causare, si non corrigantur.

d) Postmodum praecipiat omnibus, ne durante Visitatione domo exeant absque expressa ipsius venia, quam pro rebus omnino necessariis solummodo concedet. Horam praescribat, qua ordinate accedere debeant ad deponendum, incipiendo a majoribus.

648. — Q. *Quomodo Visitator perficere debeat Visitationem?*

R. Haec habent Constitutiones nostrae:

«Deinde ecclesiam visitabit, praesertim loca ubi Eucharistia et Oleum Sanctum servantur et ubi confessines excipiuntur, et exequias pro Defunctis, prout in Manuali traditur, peraget; clausuram attente examinabit; communes etiam conventus officinas visitabit; expendens an aliquid pro status nostri ratione supersit, aut desit» (n. 639).

«Audiet ad normam Instructionis pro Visitatore, singulos Fratres, qui obligatione tenentur respondendi secundum veritatem, nec Superioribus fas erit quoquo modo eos ab hac obligatione avertere, aut eis propter hoc aliquam molestiam afferre, vel Visitationis scopum aliter impedire» (n. 640). Cfr. can. 513, § 1.

«Librum onerum et satisfactionum Missarum pariterque accepti et expensi leget ac recognoscet, et si quid quoad Missas contra praescripta Ecclesiae ac nostra invenerit, aut aliquid ex bonis Conventus male insumptum fuerit, pro culpae modo poenam irrogabit. De Domus etiam bonis promovendis eos, qui rerum notitia pollent, interrogabit. Praeterea, Tertium Ordinem nostrum aliasque pias Associationes, in nostra ecclesia erectas, paterne visitabit eorumque libros recognoscet» (n. 641).

«Visitatio haec, quoad culparum inquisitionem, et correptionem, quatuor, vel plurimum quinque dies durabit; et Visitator pacis bonum tueri, ac post profectionem suam auctum in conventu relinquere curabit» (n. 643),

Explanatur. a) «Accedens Prior secum ferat scripta nomina, cognomina, aetatem, officia, et gradus singulorum, et Visitatori tradat. Ferat similiter libros actuum Capituli Generalis, et Definitorii Provincialis; et videat Visitator, an acta sint in modum libri compacta, ut praecipit Constitutio, an aliqua desiderentur; et omnia bene observentur, libros etiam Visitationum; ferat similiter librum actuum Capituli conventualis, et Visitator videat, an actus Capituli in illo describantur juxta Constitutiones et Instructionem libri actuum Capituli conventualis. Visitator

ipsum Priorem et alios omnes examinet, et interroget, an caritas, et pax vigeant, et an sit aliquis querulus, et rixosus?

Quaerat de tribus votis in commune, an exacte observentur?

Si horae orationis et Vigiliae noctis coram SS. Sacramento, et examina conscientiae exacte fiant?

Si divinum officium sedate, clare, et cum pausa persolvatur?

Si Missae devote, et cum pausa dicantur, et si unaquaque dimidium horae, aut circiter insumatur, et Fratres diebus praescriptis communicent?

Si omnes ad chorum, refectorium, et cetera Communitatis officia conveniant?

Si domi exeant cum licentia juxta Constitutiones, consultis Discretis, et pro rebus necessariis, et praescriptis in Constitutionibus?

Si in recreationibus excedatur modus, aut numerus?

Si sint aliqui nimium affecti parentibus, et de eis nimis cogitent, et velint in eorum negotiis se intromittere?

Si sint, qui frequenter cum saecularibus agant?

Si aliquis in visitandis mulieribus sit frequens, aut cum illis minus modeste, et religiose se gerat?» (Ita Praxis Visit., p .5).

Quibus addi possunt: si jejunia et abstinentiae rite observentur?

An exacte habeatur qualibet hebdomada culparum Capitulum?

An silentium regulare rite colatur?

b) Visitatio Ecclesiae fieri potest ante vel post interrogationes. Requirat Visitator librum, ubi notata sint omnia supellectilia sacristiae, et per se, vel per socium certior fiat, an omnia conserventur, vel deperdita sint, vel consumpta.

«Praepositus et Provincialis, et quilibet alius Visitator ab eis delegatus, cum Collegia nostra studiorum visitabunt, de studiorum progressu, si in Domino crediderint opportunum, periculum faciant, et ob ingenii tarditatem aut ob culpas improbatos a scholis amovebunt. Explorabunt etiam an circa doctrinam, quae in secunda Parte ordinata sunt, observent, omnemque ejus generis culpam severe puniant; novitatumque amatores a scholis arcebunt» (n. 647).

649.—Q. *An Visitator loqui possit de auditis in Visitatione cum socio vel consiliario?*

R. Affirmative, si id tendat in spiritualem delinquentis utilitatem, vel in bonum Communitatis. Sed imponi debet strictum secretum iis, quibuscum communicat Visitator.

650.—Q. *An Visitator ex denuntiatione paterna possit punire delinquentem?*

R. Controvertitur: alii affirmant, modo poena sit moderata et talis, ut neque delinquenti infamiam irroget, neque delic-

tum si grave sit, manifestet; quia hujusmodi punitio limites paternae correctionis non excedit. Alii autem negant posse puniri delinquentem, nisi delictum sit notorium et probabile in judicio, vel directe vergens in damnum Communitatis. In aliis casibus poterit delinquentem severe corripere. Si autem nolit sese emendare, Visitator non habet amplius quid faciat, nisi orare pro eo, super eum vigilare, occasiones auferre, quae absque delinquentis infamia auferri possunt. Certe excipitur casus, quo correctio et punitio, etiam publica, necessaria esset ad salutem delinquentis.

651.—Q. *An et quomodo Visitator procedere possit a denuntiatione paterna ad judicialem?*

R. Ad 1.m. Affirmative, dummodo mediis justis acquisierit notitiam delinquentis; secus si hanc notitiam injuste acquisierit.

Ad 2.m. Eo in casu modum procedendi exponit Praxis Visitationis, prout sequitur: «Si culpam in aliquo graviorem, vel gravissimam (quod Deus avertat) deprehenderit, pleniorem informationem facere debet, in primis eosdem testes denuntiantes, denuo sub juramento (medio Secretario, qui vices notarii gerat) examinando, et ratificando, et alios ab ipsis nominatos adhibendo, et si contestes invenerit, vel saltem unum de visu, et alios vehementer suspicionem probantes, reum ad se vocabit et si confessus fuerit, eum ad audiendam sententiam citabit, et ipsi poenam a Constitutione taxatam imponet.

Si autem non confessus fuerit, et unus tantum contra ipsum deposuerit, defensionem ejus audiat, et si non se plene purgaverit, citato ad audiendam sententiam, ferat eam, et poenam ei extraordinariam imponat mitiorem ordinaria arbitrio suo.

Si vero negaverit et defensiones petierit, eas illi concedat, et testes ab ipso delatos sub juramento examinabit, et tandem secundum allegata, et probata sententiam ferat.

Si ex delicto scandalum publicum exortum fuerit, coram omnibus Capituli Patribus sententiam ferat; sin minus, coram duobus Patribus illi bene affectis.

De his culpis, si fuerint, ante vel post Capitulum publicum agere, et examinare poterit Visitator; si poena reservata Definitorio, et ipse ab Definitorio auctoritatem non habeat, facto juridice processu, illum mittat ad Definitorium» (p. 15).

652.—Q. *Quomodo Visitator absolvere debeat Visitationem?*

R. «Postmodum, aiunt Constitutiones, Capitulum convocabit, et leves, quas invenerit culpas puniet; exclusisque suffragium ferre non valentibus, ceteris interea stantibus, Prior prostratus se ipsum accusabit, qui si reus inveniatur alicujus culpae non omnibus notae, coram iis, qui majori illum amore prosequuntur, corripiatur, ne culpa aliis nota fiat.

Si autem Visitator in aliquo Fratre culpam graviorem vel gravissimam (quod Deus avertat) invenerit, sese gerat secundum praescripta a nostris constitutionibus et jure communi. Deinde ceteros ordinate corripiat, et indulgentias juxta privilegia eis concedens, Capitulum absolvet» (n. 642).

Explanatur. a) «Postquam omnes accesserunt, ipse Visitator accedat, et genuflexus aliquantulum oret, dicitque Hymnum *Veni Creator Spiritus,* etc.

Finita exhortatione, omnes accedunt ad Visitatorem, eo nempe ordine : 1.º Novitii, 2.º Donati professi, 3.º Fratres Choristae professi, 4.º Patres Sacerdotes non Capitulares et hospites.

Demum accedunt Patres Capitulares, et prius Prior, vel Vicarius canonicus genuflexus suam audit monitionem, stantibus interim omnibus Patribus propter reverentiam sui Superioris; qua finita surgit, deosculatur scapulare, et suo loco sedet.

Post illum accedunt Patres bini, et bini, et eodem modo suas audiunt monitiones humiliter, et poenitencias libenti animo recipiunt. Quibus omnibus expeditis, Visitator, si aliquas Ordinationes, seu Acta proferre voluerit, ea legenda tradat Secretario, vel Socio suo.

Postea ad sonum campanae conveniunt omnes, et disciplinam recipientes, absolutionem recipiunt» (Praxis Visit. p. 14).

b) «Visitator Generalis conveniat cum Provinciali, ut in ultimo, vel saltem in aliquo ex ultimis conventibus visitandis simul adsint, ut ille eum monere possit de iis, quae pro Provinciae promovendo bono, vel malis arcendis monenda judicaverit, et similiter ipsius culpas, quae fuerint, ad subditorum aedificationem coram Patribus Capitularibus, ante Priorem tamen, media caritate corripiat. Si vero aliqua culpa non omnibus nota in eo inveniatur, non publice, sed privatim coram illis, qui magis ei afficiuntur, corripiat» (l. c., p. 16).

653.—Q. *Quaenam statuta sint quoad Ordinationes a Visitatore faciendas?*

R. «Poterit Praepositus, vel Provincialis, et quilibet Visitator ab eis delegatus, aliqua statuta salutaria condere; et praeceptum toti Conventui imponere, quae, si a Visitatore delegato condita et imposita fuerint, obligabunt tantum quousque Praepositus, vel Provincialis factus certior, aliud decernat. Acta itaque, et praecepta, si quae remanserint, in arca communi serventur, et tantum perdurent de una Visitatione in aliam, a Superiore ejusdem auctoritatis faciendam, ubi de novo non approbata, expirent. Et quilibet Visitator diligenter inquirat, inspiciatque omnia acta, mandata, praecepta, aut censuras sui Antecessoris, ut de earum observantia, integraque adimpletione, et quid circa ea confirmare, aut revocare expediat, exactius judicare possit. Volumus autem, ut expiret praeceptum in proximo Capi-

tulo Generali Ordinario, si praeceptum a Visitatore Generali impositum, vel in proximo Capitulo Provinciali Ordinario, si impositum fuerit a Visitatore Provinciali, post publicationem actuum eorumdem Capitulorum, quamvis res praecepta usque ad aliam Visitationem ut simplex mandatum vim habeat, nisi aliter Praeposito Generali vel Provinciali expedire videbitur (Const. n. 645).

654.—Q. *Quomodo Visitator se gerere debeat post Visitationem?*

R. «Expleta Visitatione, per aliquot dies in Conventu immorabitur, prout ad Fratrum solatium, in Domino arbitrabitur oportere; et singulos privatim alloquetur, eorum spiritum examinabit, omnesque in Domino solabitur. Quod si delegatus fuerit a Praeposito vel Provinciale ipsi deleganti reddet rationem de statu, in quo Conventum reperit, et reliquit. (n. 644).

655.—Q. *Quaenam statuta sint quoad Visitationem Monialium?*

R. 1.º «Visitator Monialium, tantummodo ad clausuram visitandam monasterii septa ingrediatur, et cetera omnia, quae juxta formam Visitatoribus suo loco praescriptam, ad suum officium attinent, exterius existens ad cancellos expediat.

Visitator autem clausuram ingressurus ab uno saltem clerico vel religioso, etiam converso, maturae aetatis comitari debet, qui toto tempore, quo in Monasterio moratur, ab eo non discedat» (n. 657).

Episcopus in concernentibus observantiam clausurae toties quoties expedire judicaverit, potest visitare monasterium Monialium, earum ecclesiae communicatorium, et crates confessarii, quoad concernentia clausuram. Potest visitare nedum crates et moenia exteriora monasterii, sed etiam chorum interiorem, dormitoria, cellas, aliaque loca pro clausurae custodia.

Codex J. C., can. 600, n. 1.º sequentia praescribit: «Ordinario loci aut Superiori regulari, monasterium monialium visitantibus vel aliis Visitatoribus ab ipsis delegatis licet clausuram ingredi dumtaxat inspectionis causa, cautoque ut unus saltem clericus vel religiosus vir maturae aetatis eos comitetur».

Ad modum autem visitandi clausuram, haec habet Praxis Visitationis: «Visitator videbit, an clausura sit undique sufficens non solum quoad exitum, sed etiam quoad prospectus, scrutabiturque portam regularem, an habeat duas seras, quarum claves apud Superiorissam et Ostiariam servabuntur. An porta aperiatur, sicut oportet, a duabus, quando aperienda est.

Rotas sacristiae, et portariae intus, et foris bene prospiciet, an fixuras, vel foramina habeant, unde videri, vel videre possint Moniales, aut vero manus hinc inde mitti possint.

Idemque, et in confessionariis diligenter inspiciet Fenestellam, qua Monialibus Ven. Sacramentum ministratur, visitabit, ac videbit si decenter, ac reverenter teneatur.

Sciat si ad rotas cum capellanis, aut factoribus, aut ancillis, quas foris habent, nimium commorentur» (p. 17).

ARTICULUS II

DE PROFESSIONE FIDEI FACIENDA

656.—Q. *Quaenam statuta sint quoad professionem fidei faciendam?*

R. Praescripto Codicis J. C., can. 1406, sequentia statuta sunt: § 1: Obligatione emittendi professionem fidei, secundum formulam a Sede Apostolica probatam, tenentur:

1.º Coram praeside ejusve delegato, qui oecumenico vel particulari Concilio aut Synodo dioecesanae intersunt cum voto seu consultivo seu deliberativo; praeses autem coram eodem Concilio vel Synodo;

2.º Coram Sacri Collegii Decano, Cardinalibus primis in ordine presbyterorum et diaconorum et S. R. E. Camerario, promoti ad cardinalitiam dignitatem;

3.º Coram delegato ab Apostoliica Sede, promoti ad sedem episcopalem, etiam non residentialem, vel ad regimen Abbatiae vel Praelaturae nullius, Vicariatus Apostolici, Praefecturae Apostolicae;

4.º Coram Capitulo Cathedrali, Vicarius Capitularis;

5.º Coram loci Ordinario ejusve delegato et coram Capitulo, qui ad dignitatem vel canonicatum promoti sunt;

6.º Coram loci Ordinario ejusve delegato et coram aliis consultoribus, assumpti ad officium consultorum dioecesanorum;

7.º Coram loci Ordinario ejusve delegato, Vicarius Generalis, parochi et ii quibus provisum fuit de beneficiis quibusvís, etiam manualibus, curam animarum habentibus; rector, professores sacrae Theologiae, juris canonici et philosophiae in Seminariis, initio cujuslibet anni scholastici vel saltem initio suscepti muneris; omnes promovendi ad ordinem subdiaconatus; librorum censores, de quibus in can. 1393; sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri concionatores, antequam facultate donentur ea munia exercendi;

8.º Coram Ordinario eiusve delegato, Rector Universitatis vel Facultatis; coram Rectore vero Universitatis vel Facultatis ejusve delegato, professores omnes in Universitate seu Facultate canonice erecta, initio cujusque anni scholastici vel saltem initio suscepti muneris; itemque qui periculo facto, academicis gradibus donantur;

9.º Coram Capitulo vel Superiore qui eos nominavit eorumve delegato, Superiores in religionibus clericalibus.

§ 2. Qui priore dimisso, aliud officium vel beneficium aut dignitatem etiam ejusdem speciei consequuntur, rursus debent fidei professionem emittere ad normam hujus canonis.

Obligationi fidei professionem emittendi non satisfacit qui eam per procuratorem vel coram laico emittit. (can. 1407).

Reprobatur quaelibet consuetudo contra canones hujus tituli. (can. 1408).

657. Ad normam Codicis J. C. et legum nostrarum obligationem emittendi «Fidei Professionem» secundum formulam a Sede Apostolica probatam tenentur:

a) Superiores Generales et Provinciales;

b) Gremiales Capituli Generalis et Provincialis;

c) Priores et Vicarii canonice electi qui Capitulo Provinciali non interfuerunt.

d) Praelectores initio cujuslibet anni scholastici;

e) Promovendi ad ordinem Subdiaconatus;

f) Sacerdotes confessionibus excipiendis destinati;

g) Sacri concionatores;

h) Parochi.

658. Ad «Jusjurandum» juxta Motum Proprium «Sacrorum Antistitum» Pii PP. X tenentur omnes supradicti.

S. Congregationi S. Officii propositum fuit sequens dubium: «An praescriptiones ad duo supra memorata capita (circa Consilia vigilantiae et Juramentum Antimodernisticum) spectantes, post dictum diem festum Pentecostes, in vigore manere pergant an non?». Die 20 martii 1918 expresse declarandum decreverunt Emi. ac Rmi. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales: «Praescriptiones praedictas, ob serpentes in praesenti modernisticos errores latas, natura quidem sua, temporarias esse ac transitorias, ideoque in Codicem Juris Canonici referri non potuisse; aliunde tamen, cum virus *Modernismi* diffundi minime cessaverit, eas in pleno suo robore manere debere usquedum hac super re Apostolica Sedes aliter statuerit». Quam resolutionem SSmus. D. N....., adprobare ac Suprema Sua auctoritate confirmare dignatus est, die 22 martii 1918 (Acta Ap. S., X, 136). Ab omnibus ergo qui ex Codice emittere debent fidei professionem, juramentum antimodernisticum praestandum est.

659.—Q. *Quaenam Decreta Apostolica legenda sint?*

R. Nulla adest obligatio legendi publice antiqua Decreta S. Sedis; praescribit vero Codex J. C., can. 509, § 2, n. 1, ut curent Superiores locales: «Ut saltem semel in anno, statis diebus, publice legantur... decreta quae publice legenda Sancta Sedes praescribet». (Cfr. Constitutiones nostras, n. 580).

CAPUT V

DE CAPITULIS

In praesenti capite agetur de Capitulis, quae in O. N. celebrantur et de Fratrum filiatione et conventualitate. Quapropter in quinque dividitur articulos, quorum primus erit de Capitulo Generali; secundus, de Capitulo Provinciali; tertius de Congressu ad eligendum Vicarium Provincialem et Substitutum ad Capitulum Generale, quartus de Capitulo conventuali; quintus de Fratrum filiatione et conventualitate.

ARTICULUS I

DE CAPITULO GENERALI

660.—Q. *Quid et quotuplex sit Capitulum Regulare?*

R. 1.º Nomine Capituli regularis intelligitur adunatio Religiosorum pro negotiis ad Religionis ipsorum statum pertinentibus. Non igitur quaelibet Religiosorum adunatio Capitulum constituit, sed illa tantum, in qua tractantur negotia ad Religionem spectantia.

2.º Triplex distinguitur regulare Capitulum, nempe: *Generale,* seu totius Ordinis; *Provinciale,* seu unius Provinciae; *Conventuale,* aut *locale,* seu unius conventus tantum.

661.—Q. *Quotuplex distinguatur Capitulum Generale?*

R. Duplex distinguitur, nempe: *Ordinarium* et *extraordinarium,* prout statuto tempore vel extra illud celebratur.

§ I. DE CAPITULO GENERALI ORDINARIO

662.—Q. *Quaenam statuta sint quoad Capitulum Generale Ordinarium?*

R. 1.º Haec habent Constitutiones nostrae: «Capitulum Generale, sexto quoque anno, a feria quarta ante Dominicam tertiam post Pascha inclusive usque ad Dominicam quartam exclusive (nisi arbitrio majoris partis Capituli, per secreta suffragia, prorogari debeat) in Conventu qui a saecularium strepitu, si fieri possit, remotus sit, celebretur (1). Ad quod, praeter Gremiales ac Fratres Patrum obsequio necessarios, alii non accedant; ut autem omnibus Capituli locus innotescat, et iis, qui longius distant, accedendi tempus suppetat, ante praece-

(1) Praeter Constitutiones nostras vide etiam Instructionem practicam, De Capitulis Generalibus et Provincialibus in O. N. celebrandis.

dentis Capituli dissolutionem, proxime futuri Capituli locus a Definitorio Generali designetur» (n. 357).

663. 2.º «Ferent ibi suffragia Praepositus Generalis, Definitores Generales, Procurator Generalis tam officio functi quam recenter electi; Provinciales, vel Vicarii Provinciales a jure, idest quos in secunda medietate trienni Provinciae praesidere contigerit, juxta Constitutiones nostras infra n. 508, et eorum Socii aut eorum Substituti; Vicarii Provinciales canonice electi, seu Semiprovinciarum, aut eorum Substituti; et Procuratores Missionum aut eorum Substituti. Si quis autem ex illis fuerit legitime impeditus, Procuratorem pro se mittere non possit». (n. 358).

3.º «Unicuique Missioni immediate gubernandae praeest Vicarius Provincialis, a Praeposito Generali, audito Definitorio Generali, nominatus aut, si agatur de Missione alicui Provinciae concredita, nominatus a Provinciale illius Provinciae, audito ejusdem Definitorio, et a Praeposito Generali confirmatus; qui durabit in officio usque ad tempus Capituli Provincialis, sed reeligi poterit ordinario modo de triennio in triennium» (n. 31 Append. Const.)

«Sexto circiter mense ante Capituli Generalis celebrationem, die a Vicario Provinciali ejusque Consiliariis designata, in qualibet Missione fiat Congressus ad eligendos Procuratorem et Substitutum ad idem Capitulum, in quo Congressu vocem habeant activam universi Missionarii Sacerdotes in ea Missione degentes, passivam vero idipsi Sacerdotes Missionarii, dummodo praediti sint dotibus, per Constitutiones nostras in Sociis ad Capitulum Generale requisitis» (n. 37 ejusdem Append.)

4.º «Praedicti omnes Generale Capitulum componentes, sine ulla nova evocatione, ad destinatum diem, ad Conventum designatum conveniant, sub poena privationis ab officiis, et per annum vocis passivae, nisi accedere impediantur gravi et urgenti causa a Definitorio nostro Generali expresse approbanda; et Provinciales, quantum fieri possit, cum Sociis Provinciae simul iter agant, et accedant» (Const. n. 360).

5.º «Quod ad consessum attinet, hoc ordine sedebunt; Praepositus recenter electus, deinde Praepositus officio functus; Definitores Generales noviter electi juxta seriem suarum electionum, Definitores Generales officio functi, Procurator Generalis noviter electus, Procurator Generalis officio functus; Provinciales, seu Vicarii Provinciales a jure, ac deinde Vicarii Provinciales canonice electi, pro antiquitate suarum Provinciarum aut Semiprovinciarum; postea Socii in eodem ordine; denique Procuratores Missionum juxta earum antiquitatem; et tam intra quam extra Capitulum, tempore quo celebratur, in eo Conventu sedebunt et praesidebunt ordine, quo in Capitulo sedent, sed gubernatio domus Superiori locali relinquatur. In Capituli

loco, Procuratores Generales, Provinciales et Vicarii Provinciales ad dexteram, Socii vero et Procuratores Missionum ad sinistram Praepositi sedebunt» (Constit. n. 361).

664.—Q. *Quaenam suffragia fieri debeant pro felici exitu Capituli Generalis?*

R. Haec habent Constitutiones nostrae: «Instante jam Capituli celebratione, in Conventibus totius Ordinis pro felici exitu preces enixe fundantur, iis potissimum diebus quibus Capitulum agitur. In singulis praeterea Fratrum Conventibus Missa una *de Spiritu Sancto,* si ritus permittat, secus addita Ejusdem collecta tamquam pro re gravi, quotidie dicatur, pro qua nulla eleemosyna recipiatur, et Litaniae Sanctorum similiter quotidie communiter recitentur, praeter jejunia, disciplinas et alia ejus generis opera, quae a Fratribus pro communi bono sponte exerceri solent. Pridie vero quam Patres Capitulum ingrediantur, locus modeste preparetur» (n. 380).

«Singuli vero Patres Capituli, antequam discedant, faciant unum sacrum privatum pro Defunctis nostri Ordinis et pro benefactoribus nostris, pro quo nulla recipiatur eleemosyna» (n. 429).

665. «Mane ipso incipiendi Capituli, in singulis Conventibus cantetur Missa de Sollemnitate Sancti Patris Joseph, Protectoris Ordinis nostri, et Litaniae Sanctorum recitentur. Post horam ad initium Capituli praefixam, absentes ulterius non exspectentur, dempto Praeposito Generali, qui exspectandus erit per octo dies et non ultra, si absens vel infirmus fuerit, dummodo major pars Patrum Capituli, qui jam ad Conventum convenerint, intra id tempus eum accedere posse judicaverit. Postquam Patres Capitulum constituentes Sacrum privatum singuli fecerint, solemni Missa etiam absoluta, in chorum omnes conveniant, aliquantumque ibi orando quiescant. Deinde, signo Capituli dato, e Choro Hymnum; *Veni, Creator Spiritus,* canentes, Capituli locum ingrediantur, quo simul ac pervenerint, coram effigie Christi Crucifixi genua flectant. Praesesque subjungat orationem: Deus, qui corda fidelium et Actiones nostras, detque statim surgendi signum et omnes ordine praescripto sedeant, sedatis animis primum actum in Domino incepturi» (n, 381).

666. «Primum igitur Praepositus seu Praesidens et Definitores Generales duos secretarios Capituli eligant per vota secreta, qui juramentum fidelitatis proprii muneris fungendi praestent, quo non solum sensum verborum, sed nec verbum aliquod addere vel mutare valeant» (n. 382):

«Deinde omnes Gremiales Capituli Generalis juramentum secreti eorum quae in Capitulo tractabuntur praestent, quod

tunc obligabit cum major Definitorii pars statuerit juramentum in illo eventu debere observari. Praeterea, antequam deveniatur ad electionem Praepositi Generalis et Provincialium, si qui in Capitulo sint eligendi, omnes et singuli Gremiales jurejurando promittant se electuros quos secundum Deum eligendos esse existimaverint. Postea attente legantur ex Constitutionibus nostris capita duo, scilicet de Praepositi electione ac de ejus officio, et numerus 692 (*Praeter ea*), ne quid memoria excidat» (n. 384).

667. «Primo mane feriae sextae ad Praepositum eligendum praefixae, electores singuli sacrum de Spiritu Sancto faciant, aût addita Eiusdem collecta juxta n. 380; et in Conventu ubi Capitulum celebratur, Missa de eodem Spiritu Sancto, uti votiva sollemnis pro re gravi et publica causa, cantetur, ad Dominum pro bono electionis exitu deprecandum» (n. 396).

668. «His expletis, omnes in Chorum conveniant ac signo campanulae dato, annuente Praeside, Hymnum: *Veni Creator Spiritus,* concinentes, in Capituli locum procedant, ubi, post orationem; Deus qui corda fidelium, per horam dimidiam in oratione quiescant; qua peracta, Praeses subdat Antiphonam: Sub Tuum praesidium, et Orationem; Deus, qui Beatissimae semper Virginis... singulari titulo, necnon Antiphonas recitari solitas S. P. N. Joseph, S. P. N. Eliae, S. M. N. Teresiae et S. P. N. Joannis a Cruce cum respectivis Orationibus; moxque, in Choro vel Oratorio Fratribus Conventus interea orationi vacantibus, Patres sedeant» (n. 387).

669. Antequam ad electiones adveniatur, Praeses et duo, qui ei proxime sedent (qui semper apud nos scrutatorum munere fungi debent), juramentum interponant de munere fideliter implendo ac de secreto servando circa acta in Capitulo, etiam expleta electione. Deinde, omnibus electoribus considentibus, Praeses et Scrutatores adeant singuli unum ex illis Fratribus, et ab eo duo vel tria nomina illorum, qui vulgo deputantur eligendi, deposcant, ex quibus eligant unum quem maluerint, statimque in Capituli locum ferendis suffragiis praeparatum redeant, et in vas appositum suffragium injiciant, schedulasque superfluas secum retineant et sedeant; statimque vero ac illi redierint, loco illis proximi idem facturi exsurgent, et sic ceteri ordinate suffragentur» (Const. n. 369).

Notandum est, absente aliquo Definitore Generali, P. Procuratorem Generalem a jure subintrare in quocumque Definitorio Generali, ac proinde eo in casu non esse eligendum substitutum. (Const. n. 464).

Substitutus vel substituti permanebunt in Definitorio sicut ceteri Definitores, quoadusque confirmentur novi Definitores; nisi forte ante confirmationem istorum quis ex absentibus

accedat: quo in casu, is suum locum petet, et ad propriam sedem redibit postremus inter substitutos electos». (Cfr. Instr. de Cap. p. 10).

670.—Q. *Quid agendum, si quis ex Sociis non possit exhibere Litteras patentes suae electionis?*

R. «Socius, qui quacumque ex causa careat Litteris patentibus, unde constet de jure acquisito suffragandi in Capitulo, dum hujusmodi defectus suppleri possit per exemplar patentium Litterarum, quod Romam mitti debet post Capitulum Provinciale, aut per duos testes idoneos fidem facientes de legitimo titulo, non est cur sit excludendus homo innocens a sua Provincia opportuno tempore missus» (l. c., p. 12).

671.—Q. *Quid agendum, si quis ex Vocalibus accedat Capitulo jam incepto?*

R. «Ut quis admittatur legitime ad vocem activam in Capitulo, sequentia debent praecedere ex nostris Constitutionibus: Explorandae sunt Litterae patentes illius, si accedat ut Socius, declarandus est a Definitorio ut capax ferendi suffragii, absolvendus est ad cautelam, et juramentum emittere debet de servando secreto. Habita igitur ratione temporis, quo Vocalis ad Capitulum accedit, suppleantur necesse est circa illum in toto, vel in parte, quae modo diximus» (l. c., p. 13).

672.—Q. *Quid agendum, si quis e Gremialibus decumbat in conventu ad Capituli celebrationem electo?*

R. Sequentia praescribunt Constitutiones nostrae, n. 369:

«At si quis ex electoribus ob infirmam valetudinem capitulari aulae interesse nequeat, ejus suffragium, ab uno ex supra memoratis Fratribus conscriptum, exquiratur a duobus Scrutatoribus et a Secretario interno Capituli».

673.—Q. *Quid agendum, si quis Vocalis renuntiet voci activae pro aliqua sessione?*

R. «Si contingat aliquem ex Gremialibus renuntiare voci pro aliquo actu, vel pro aliqua sessione particulari, in arbitrio Capituli est eidem assentiri, sive hoc fiat per communem acclamationem, sive per pluralitatem suffragiorum. Et bene potest Capitulum acquiescere dicto duorum Testium, dum coram his renuntiatio data fuerit, eaque admissa, procedere ad ulteriora, quoad illa tantum, quae sunt expedienda in sessione, cui particulariter renuntiatum fuit.» (l. c., p. 15).

674.—Q. *Quid agendum in casu, quo aliqui ab aula Capitulari ex motivo discordiae exeant?*

R. «Decrevit S. Congregatio Ep. et R., 19 Jan. 1720, quod, si aliqui ex Gremialibus exeant ab aula Capitulari, et citati non revertantur, possint reliqui, instante termino pro electionibus a lege praefixo, uti jure proprio, et eligere; protestantibus licet, et appellationem interponentibus. Vocalibus egressis: etiamsi inter istos adnumeretur Praeses, quo suffragari nolente, pertinebit ad Primum post eum explere partes Praesidentis». (l. c., p. 15).

Attendi autem non debet ad potestationem, ut nulla electio fiat; quia publicae utilitati interest, ut fiat electio; nec dici potest contemptus elector, qui praesens in conventu ad electionem non accedat, ad sonum campanae, quo omnes vocantur.

675.—Q. *A quonam faciendae sint propositiones in Capitulo?*

R. «Proponet in Capitulo Praepositus seu Praesidens quae dicenda occurrunt; si vero aliqua ipse praetermiserit, vel quavis de causa proponenda judicantur, quilibet Definitor, sentiente alio, petita venia poterit ea proponere, ut decidantur. Idemque dicendum, quando quatuor ex aliis Capituli patribus id in scriptis postulaverint, nisi quod proponendum est spectet ad dispensationem, etiam pro una vice, in materia regiminis aut ad addendum aut minuendum aliquid a Constitutionibus seu Declarationibus, quae vim Constitutionis habent; in quo casu, nisi Praesidens cum quatuor Definitoribus, aut major pars Capituli id petat, proponi non possit. Ut vero maturius omnia examinentur, graviora dubia ab una in alteram sessionem item in scriptis proponantur» (Const. n. 362).

676.—Q. *Quonam pacto decidantur dubia in Capitulo?*

R. «Si qua vero controversia in Capitulo Generali vel Provinciali circa suffragia orta fuerit, Scrutatores ac Definitores reliqui, majori suffragiorum parte, illam definient; quorum decisioni omnes obedient sub poena privationis ab officiis, vocis etiam et loci per tres annos ipso facto incurrenda. Si vero dubia circa alias materias oriantur, aut agatur de Capitulo Conventuali, eorum decisio ad totum Capitulum pertinebit per majorem partem suffragiorum» (Constitut. n. 379).

677.—Q. *Quanam ratione ferenda sint suffragia?*

R. 1.º Haec habent Constitutiones nostrae:

«Tam electiones quam alia quaelibet, si a jure communi vel nostro consensus requiratur, in omnibus Capitulis, Definitoriis et Domorum Consiliis per secreta suffragia fiant. Si tamen

agatur de re minoris momenti, per unanimem, ut ajunt, acclamationem decidi potest» (n. 364).

2.º «Reclamante aliquo, tempore suffragationis, et asserente errasse se in dando suffragio, lacerandae sunt schedulae in calicem immissae, sive extrahendi sunt globuli in calicem injecti, tali cum cautela, ut non cognoscantur vota affirmativa, vel negativa, et hinc suffragatio repeti debet. Si autem reclamatio fiat incoepta votorum publicatione, nullo prorsus modo attendenda est, et Scrutatores prosequantur in publicandis suffragiis. Ita cohaerenter ad placita Canonistarum, voluerunt PP. Definitorii Generalis coadunati anno 1752, tum 1 Aug. tum 3 Novembris» (Instr. de Cap., p. 50).

678.—Q. *Quid agendum sit in paritate votorum in aliis materiis ac electionibus?*

R. «Declaramus, quotiescumque ad aliquid requiritur consensus vel decisio per secreta suffragia Conventus, Examinatorum, Discretorum, Capituli cuiuscumque et similium, sensum esse requiri majorem partem, nisi in nostris Constitutionibus aliter exprimatur; quod si Capituli Generali vel Provinciali aliquid occurrat, quod omnino videatur decidendum, et suffragia fuerint aequalia, tunc novem Patres loco antiquiores per secreta suffragia determinent an dubium sit tale, quod indigeat aliqua decisione, si decidendum esse affirment, iterum capitulo proponatur, et si secunda vice suffragia denuo fuerint aequalia, Praeses cum quatuor Patribus primo loco sedentibus per secreta suffragia alterutram partem approbent. In ceteris vero casibus, nisi aliud in Constitutionibus exprimatur, statim Praeses suo voto paritatem dirimat» (n. 377).

679.—Q. *Quid agendum sit in casu, quo numerus votorum dividi nequeat in partes aequales?*

R. «Ne qua vero de suffragiorum partibus oriatur contentio cum in numeros aequales dividi non possunt, declaramus, si forte contigerit decem vel undecim esse suffragia, quartam partem duobus tantum suffragiis constare, ac ad hujus numeri proportionem, ceteros esse supputandos, cum tres e quatuor suffragiorum partibus Constitutio requirit; ita ut, cum numerus scindi nequit totus in quartas, suffragia quae supersunt ab eo in quatuor partes aequaliter diviso annumerentur tribus suffragiorum partibus. Cum vero duas e tribus suffragiorum partes Constitutio requirit, declaramus ita esse computanda suffragia quae supersunt numero in tres partes aequales diviso, ut, si supersint unum vel duo, duobus suffragiorum partibus annumerentur» (n. 415).

680.—Q. *Quandonam et quanto tempore exspectandus sit Praepositus, Provincialis, Definitor noviter electus, si absit a loco Capituli?*

R. «Si Praepositus electus absit, per octo dies a datis litteris computandos expectetur, si major Capituli pars intra id tempus eum accedere posse judicet, quo in eventu statim moneatur, et interim a Capituli celebratione Patres abstineant. Quod si major Capituli pars censeat eum accedere non posse, non expectetur. Similiter, si quacumque de causa, etiamsi intra dies octo posset accedere, non accedat, dictis diebus octo elapsis, sub eodem Praeside ad reliquos Capituli actus procedatur. (n. 395).

Si Definitor Generalis vel Procurator Generalis absit, et judicio majoris partis Capituli intra spatium viginti quatuor horarum possit accedere, expectandus erit, pro electionibus faciendis post electionem Procuratoris Generalis. (n. 399).

«Si Provincialis electus absit, per tres dies a data notitia computandos, expectetur, si major Capituli pars intra id tempus eum accedere posse judicet; quo in eventu statim moneatur, et interim a Capituli celebratione Patres abstineant. Quod si major pars censeat intra praedictum tempus eum accedere non posse, non expectetur, sed statim ipsamet die, vel proxime sequenti, Provinciale praecedentis trienni, si adfuerit, sin minus antiquiore Definitore praesidente, ad reliquos Capituli actus procedatur. Similiter, si quacumque ex causa, etiamsi intra tres dies posset accedere, non accedat, praedictis diebus elapsis, ad reliquos Capituli actus procedatur (n. 504).

Si autem aliquis Definitor Provincialis sit absens, et judicio majoris partis Capituli intra spatium viginti quatuor horarum possit accedere, erit expectandus pro electionibus faciendis post electionem quarti Definitoris (n. 507).

681.—Q. *Quid agendum, si quis electus ad officium, illud non acceptet, aut officio jam admisso renuntiet?*

Praenotandum. «Non acceptat officium, qui nullo modo acquiescit electioni factae in personam sui. Renuntiat officio, qui post datum consensum recusat assumere exercitium illius, vel renuit continuare in officio exercendo» (Instruct. pro Cap., p. 61).

R. «Si quis ex electis ad aliquod officium sive in Capitulis sive in Definitoriis eidem officio renuntiaverit, vel illud acceptare renuerit, poterit sive Capitulum sive Definitorium respective per secreta suffragia et per majorem sufragiorum partem acceptare aut respuere renuntiationem, et etiam imponere praeceptum acceptandi officium» (n. 376).

Modus procedendi in impositione praecepti: Electus exponit Patribus Capituli rationes ob quas non valet acceptare onus Officii, rogatque, ut admittant suam non admissionem; tunc, Electo aula Capitulari egresso, Praeses proponit an Gremiales velint illi morem gerere, nullum imponentes praeceptum. In casu quo non admitterent rationes ab Electo exhibitas, revocatur in aulam Capitularem, ipsique a Praeside indicatur Patres non admisisse ejus rationes, ideoque petitur num adhuc perseveret in sua recusatione acceptandi Officium. Si vero recuset, praeceptum imponitur, postquam hoc decisum fuerit per secreta suffragia.

Juxta nostras Constitutiones, n. 421, dicendum est quod «omnes electiones et renuntiationum acceptationes, quae interim dum Capitulum Generale celebratur occurrunt, excepta ea electione qua quis pro Definitore absente sufficitur, ad totum Capitulum Generale pertineat...» «renuntiationem quoque Superiorum Provincialium, Sociorum et Substitutorum ad Capitulum Generale acceptare, ad Definitorium Generale spectat, quando illam faciunt extra Capitulum Provinciale; tempore enim quo Capitulum, quodcumque sit, celebratur, ad ipsum pertinebit acceptare renuntiationem quamlibet ab officio, in quod aliquis ordinarie eligi solet» (nn. 462 et 558).

682.—Q. *Quomodo Praeses Capituli agere debeat, cum aliquid contra recenter Electos deponitur, ne confirmentur?*

R. «Ex nostris Constitutionibus (n. 426,) culpae, sive impedimenta, quibus positis non est aliquis confirmandus in officio eidem collato, *probandae sunt legitime*. Necesse ergo est, quod probationes sint graves, solidae, facientes vim homini prudenti; nec ullus habendus est tanquam *probatus legitime* reus, deficiente examine testium, eodemque inaudito, nec dato illi tempore ad se defendendum» (Instr. de Cap., p. 64 et Const. n. 532) Cfr. supra n. 611.

683.—Q. *Quid incumbat Judicibus ad inquirendum de culpis circa electiones commissis?*

«Antequam Capitulum dissolvatur, tres Judices Capituli, qui erunt tres primo loco sedentes, teneantur inquirere et punire tam illos qui contra justitiam et caritatem circa electiones deliquerint, quam alios non Gremiales, qui prius non rogati circa electiones factas quocumque modo se ingesserint» (n. 424).

Igitur auctoritas Judicum non extenditur ultra sessionem ultimam Capituli: eorumque officium est, expendere accusationes et depositiones; ac servatis de jure servandis, pronuntiare sententiam, et infligere poenas cohaerenter ad nostras leges. Si ob defectum temporis nequeant sufficienter expendere accu-

sationes, poterunt eas mittere ad Definitorium Generale». (Instr. de Cap. p. 65).

684.—Q. *Quaenam advertenda sint quoad electiones Superiorum Majorum in Capitulo Generali faciendas?*

R. 1.º *Animadversio generalis*: Prae oculis habendum eos, qui ob quorumvis Praelatorum nostrorum mortem, depositionem, vel infirmitatem, vel quamlibet aliam causam eliguntur ad eas Praelationes, vel officia tempore intermedio, quod ab uno in aliud Capitulum labitur, assumi posse in Capitulis proxime sequentibus ad easdem Praelationes, et officia per electionem ordinariam majoris partis suffragiorum. Pariter electi ad quaelibet officia in Provinciis aut Semiprovinciis novíter erectís, reeligi poterunt ad aliud triennium electione ordinaria. (Const. n. 481).

2.º *Quoad electionem Praepositi Generalis.* Haec habent Constitutiones nostrae: «Eligi poterit Praepositus non ex praesentibus tantum, sed ex universo Ordine quicumque maxime idoneus, qui sit a legitimo matrimonio natus et in quo nullus sit ex defectibus supra n. 359 enumeratis. Si vero Praepositus eligatur ex Provincialibus, vel alias aliquod officium, vel Praelationem habeat, eo ipso vacent illa omnia.

«At praeterea eligi non poterit, qui sexennium a suscepto Sacerdotii ordine, et decennium a prima Professione in nostra Discalceatorum Religione, quadragesimumque aetatis annum non compleverit, neque eligatur qui ob adversam valetudinem, ab esu carnium abstinere, et Chori, ac Refectorii actibus ordinarie interesse nequiverit, *nisi valetudinis defectus singulari prudentia, et vitae sanctitate compensetur*» (n. 390).

Constitutiones nostrae n. 359 sequentia praescribunt: «Eligi vero poterunt a Capitulo ex universo Ordine quicumque Sacerdotes professi, a jure vel per nostras Constitutiones voce passiva non privati, et qualitatibus quae propriis locis notantur affecti; sed eligi non poterunt semel a nobis expulsi, apostatae, et qui a sententia aut decreto Ordinis ad Superiorem quempiam extra Ordinem praeterquam ad Sacrorum Canonum praescripta, appellare ausi fuerint, et alii suis in locis indicati; item qui cursum studiorum nondum a tribus annis perfecerint, in aliquod officium eligi non poterunt in Capitulo Generali».

«In Capitulo Generali eligetur (Praepositus Generalis) et sexennium tantum durabit; nec reeligi poterit ad sexennium immediatum, nec in eo Capitulo in quo officio defungitur eligi poterit in aliquod officium, nec in Definitorio Generali quod immediate post Capitulum Generale celebratur; officioque fungetur usque ad electionem novi Praepositi vel, eo absente, usque ad finem Capituli» (n. 444).

3.º *Quoad electiones Definitorum Generalium et Procuratoris Generalis.* Haec habent Constitutiones nostrae:

«Deligantur quatuor Definitores Generales et Procurator Generalis ex universo Ordine idonei quicumque nullo defectuum n. 359 designatorum affecti inhabiles, qui sint prudentia, doctrina et communis boni zelo insignes, et annum aetatis trigesimum et a prima professione decimum expleverint; quae conditiones requirantur etiam in eorum Substitutis. Eligentur primo Definitores, respectu habito ad repraesentationem diversarum linguarum, singuli seorsum ordine servato. Postea eligetur Procurator Generalis, qui sedulus ac prudens sit ad totius Ordinis gerenda negotia. Qui vero ex illis jam habebant aliquod officium, illud amittunt, si novum aceptant; secus retinent» (n. 397).

«Praecipimus autem, ne ex iis qui proximo sexennio integro, scilicet, electi in Capitulo Generali praecedenti vel in Definitorio Generali immediate post Capitulum Generale sexennale, Definitoris Generalis officio functi sunt, in idem officium resumantur, excepto uno, qui solus resumi possit ad aliud immediatum sexennium tantum. Qui vero per duo sexennia integra et continua Definitoris vel Procuratoris Generalis officio functus sit, aut partim unius et partim alterius, ad neutrum officium tertio immediate resumi possit» (n. 398).

685. «Statim post electiones, aperiantur publice in Capitulo litterae directae Capitulo Generali, quae alibi quam in Capitulo aperiri non possint: quemadmodum, quae Definitorio mittuntur, alibi quam in ipso Definitorio legi non possunt, at quae subscriptae non fuerint, non legantur, sed statim publice in Capitulo conscindantur. Idemque de litteris non subscriptis in quocumque Capitulo et Definitorio servandum erit. Quae vero subscriptae erunt, remittantur Definitorio Generali examinandae, et quae offensionem, infamiam vel culpam alicujus non continent, legantur omnes publice in Capitulo: illae quidem, quae ad leges spectant, antequam de legibus agatur: reliquae vero, absolutis Constitutionibus, seu Ordinationibus» (nn. 404 et 422).

Eadem statuuntur de Capitulo Provinciali. (nn. 522 et 529).

Litterae autem «quae Definitorio Provinciali mittuntur, alibi quam in ipso Definitorio legi non possint, sub poena depositionis ab officio (n. 522).

686.—Q. *Quaenam sit potestas Capituli Generalis?*

R. 1.º Est suprema potestas in Ordine; quia repraesentat totum Ordinem. Hinc potest condere leges, quae totum Ordinem ligant et ipsummet P. Generalem.

2.º Ad modum autem quod attinet procedendi in legibus condendis, sequentia observari debent:

«Cum igitur, praeter Constitutiones jam stabilitas, aliquid de novo Constitutionibus addendum fuerit, vel per modum declarationis quae vim Constitutionis habet, vel quocumque alio modo, id fieri non possit, nisi in tribus Capitulis Generalibus immediatis tamquam ordinatio approbetur: in primo cum duabus e tribus, in secundo et tertio cum tribus e quatuor suffragiorum partibus; quod si in quocumque ex praedictis Capitulis non approbetur, statim eo ipso expiret» (n. 410).

«Nulla etiam Constitutio abrogari vel tolli possit, nisi evidens sit utilitas, ob quam ab eo quod aequum diu visum est maturo consilio recedatur, et nisi per duo sexennia multis experimentis probatum fuerit, et in tribus Capitulis immediatis, ad eam abrogandam vel tollendam, tres e quatuor suffragiorum partes concurrant, reservato Beneplacito Apostolicae Sedis quoad Constitutiones ab eadem Sede Apostolica confirmatas; quod si in aliquo Capitulo numerus iste suffragiorum desit, eo ipso Constitutio intacta permaneat» (n. 412).

687. «Statuimus praeterea quod ad dispensandum in aliqua Constitutione in materia regiminis, quae non sit de jure communi, etiam una vice tantum et ad tempus et propter incidentes casus, requirantur tres e quatuor suffragiorum partibus. Per haec tamen non intendimus coartare auctoritatem Praepositi in foro interiori et casibus occultis, quam habet ex jure vel per privilegia juxta nostras Constitutiones» (n. 413).

«Si autem quidpiam instet cui omnino a Superioribus provideri neccesse sit, Constitutionibus intactis, provideatur per Instructiones vel per simplices declarationes, quae circa aliquod dubium versantur, sive per simplicem ordinationem aut simplicia acta: idem enim sunt. Quae supradicta, si fiant in Capitulo Generali, sicut cetera ibi decidenda (nisi aliud in Constitutionibus disponatur), per majorem partem suffragiorum decidantur, et ab uno in aliud Capitulum sexennale durent, et si ibi non confirmentur, eo ipso deficiant; legantur vero saltem semel in anno in refectorio vel Capitulo Conventuali, et stricte ab omnibus observentur. Si quid autem in Capitulo Generali vel Provinciali occurrat, quod omnino decidendum videatur, et suffragia fuerint aequalia, servetur quod supra n. 377 in hoc casu servandum decernitur» (n. 414).

«Omnes electiones et renuntiationum acceptationes, quae interim dum Capitulum Generale celebratur occurrunt, excepta ea electione qua quis pro Definitore absente sufficitur, ad totum Capitulum Generale pertineant» (n. 421).

«Agatur, si opus sit, de institutione vel divisione Provinciarum, vel de nova circumscriptione et suppressione illarum; an aliquis Conventus deserendus videatur; et si quid a Capitulo decisum fuerit, recurratur ad Sanctam Sedem pro Beneplacito Apostolico obtinendo» (n. 423).

Pro eligendo Secretario Definitorii Generalis servanda semper sunt, quae nostrae Constitutiones n. 430 disponunt, ut sequitur: «Absoluto Capitulo, Praepositus et Definitores... Secretarium Definitorii primum eligent, qui juramentum fidelitatis proprii muneris fungendi praestet, quo non solum sensum verborum, sed nec verbum aliquod addere vel mutare valeat». Idem disponunt nostrae Constitutiones n. 536 de electione Secretarii Definitorii Provincialis.

§ II. DE CAPITULO GENERALI EXTRAORDINARIO

688. «Capitulum Generale extraordinarium celebrari debet, quando intra primum triennium post Capitulum Generale ordinarium officium Praepositi vacaverit, ipsius morte aut alia quacumque causa. Definitor Generalis, qui actu fungitur officio Vicarii Generalis, Capitulum Generale quantocius convocet ad novum Praepositum Generalem eligendum, qui Ordinem regat usque ad proximum Capitulum Generale ordinarium» (n. 438).

«Ut autem omnia ad ejus celebrationem necessaria opportune parari queant, et Patribus etiam ex dissitis regionibus tempus ad locum Capituli accedendi suppetat, tres menses inter diem convocationis et celebrationis intersint. Congregabitur autem Capitulum Generale in Conventu pro Capitulo ordinario jam designato, nisi Definitorio Generali alius Conventus designandus videatur» (n. 439).

689. «In hoc extraordinario Capitulo suffragium ferant Definitores Generales et Procurator Generalis actu fungentes officio, Provinciales, vel Vicarii Provinciales a jure, eorumque Socii aut Substituti, Vicarii Provinciales canonice electi aut eorum Substituti et Procuratores Missionum eorumve Substituti; qui Socii et Procuratores et Substituti manent in suo officio de uno in aliud Capitulum triennale, et de uno in alium congressum; et quoties intra triennium Capitulum Generale congregatur, jus habent in eo suffragium ferendi» (n. 440).

«Ad hoc Capitulum, praeter electionem Praepositi, pertinet alia conferre officia in Ordine vacantia, et dispensationes in casibus Capitulo vel Definitorio Generali reservatis concedere. De aliis praesertim in Constitutionibus et Ordinationibus edendis, nisi gravis et urgens causa aliud exigat, nihil tunc agitur, et officia non vacantia intacta permaneant» (n. 441).

690. «Praeter Capitulum Generale extraordinarium pro electione novi Praepositi celebrandum, poterit Definitorium Generale ob causam urgentem Patres ad Capitulum Generale congregare; quo in Capitulo jus et officium suffragandi habebunt, praeter Praepositum Generale officio actu fungentem, omnes

n. 440 recensiti. In eo, nisi urgens necessitas aliud exigat, ea tantum negotia pertractentur quae Capituli convocationem suaserant; perficiantur tamen electiones ad officia vacantia, si quae sint, quemadmodum supra dictum est» (n. 442).

«Quidquid autem in his Capitulis agendum est, fiat juxta praescriptiones pro Capitulo Generali ordinario statutas; Missae vero et preces pro felici exitu Capituli fiant ut in n. 380 praescribitur, sed tantum per tres dies» (n. 443).

ARTICULUS II

DE CAPITULO PROVINCIALI

691.—Q. ***Quotuplex distinguatur Capitulum Provinciale?***

R. Duplex, unum nempe est *ordinarium,* alterum vero extraordinarium.

Ordinarium autem statuto tempore celebratur; extraordinarium dumtaxat convocatur ad novum Provincialem eligendum (Const. nn. 486 et 508).

§ I. DE CAPITULO PROVINCIALI ORDINARIO

692.—Q. ***Quaenam statuta sint quoad Capitulum Provinciale ordinarium?***

R. Haec habent Constitutiones nostrae:

1.º «Tertio quoque anno, a Feria sexta ante Dominicam tertiam post Pascha inclusive usque ad Dominicam quartam exclusive, in Conventu per Definitorium Provinciale designato, qui a saecularium strepitu, si fieri possit remotus sit, Capitulum Provinciale celebretur, ea tamen lege, ut Capitulum Provinciale, immediate praecedens Capitulum Generale, uno anno ante illud celebretur; ad quod Capitulum, praeter Gremiales et Fratres Patrum obsequio necessarios, alii non accedant, et ut omnibus Capituli tempus et locus innotescat, ante discessum e praecedenti Capitulo, sequentis Capituli locus designetur; si vero tempore celebrationis ejusdem, Capitulum Generale extraordinarium ob mortem Praepositi celebretur, tunc Capitulum Provinciale Ordinarium protrahatur, sed non ultra duos menses die assignato ab ipso Capitulo Generali extraordinario» (n. 486)

2.º «Ferent ibi suffragia Provincialis tam de novo electus quam officio functus; Definitores Provinciales tam officio functi quam recenter electi; Priores, eorumque Socii, ac Procuratores Vicariatuum, et nullus alius, nequidem Praepositus, si forte in eo loco fuerit; omnesque vocem habentes, sine ulla nova

evocatione ad destinatum diem ad Conventum designatum conveniant» (n. 487).

3.º «Ipso mane incipiendi Capituli in omnibus Provinciae Conventibus canetur Missa *de Spiritu Sancto,* uti votiva sollemnis pro re gravi et publica causa, et Littaniae Sanctorum recitabuntur; iisque diebus, quibus Capitulum celebratur, fiat, oratio, et alii actus pii ad Dominum exorandum pro felici successu Capituli; et post horam ad initium Capituli praefixam, absentes ulterius non exspectentur, dempto Provinciale vel Vicario Provinciali, qui exspectandus erit per tres dies tantum, nisi major pars Patrum Capituli, qui jam ad destinatum Conventum pervenerint, judicaverint intra idem tempus eum accedere non posse» (n. 489).

«Mox Provincialis et Definitores Secretarium ex ipsis Capituli Patribus eligent, qui juramentum fidelitatis praestet, sicut de Secretariis Capituli Generalis n. 382 dictum est» (n. 492).

«Deinde omnes Gremiales Capituli Provincialis juramentum secreti praestent, quod tunc obligabit, cum major Definitorii pars statuerit juramentum in illo eventu debere observari. Illud tamen Provinciali, si absens fuerit, Praeposito, Capitulo et Definitorio Generali poterunt revelare, et tunc omnes isti teneantur secretum servare. Praeterea, antequam deveniatur ad electionem Provincialis, omnes et singuli e Capitulo jurejurando promittant se electuros quem secundum Deum eligendum esse existimaverint. Postmodum attente legantur ex Constitutionibus nostris duo capita de electione Provincialis ac de ejus officio, et numerus 692 *(Praeter ea)* ne quid memoria excidat» (n. 494).

Primo mane diei sequentis electores singuli Missam *de Spiritu Sancto,* privatim, si ritus permittat aut addita Ejusdem collecta, Conventus vero solemnem faciant pro bono exitu electionum» (n. 496).

«Singuli vero Patres Capituli, antequam discedant, faciant unum Sacrum privatum pro defunctis, et benefactoribus illius Provinciae, pro quo nulla recipiatur eleemosyna» (n. 535).

693.—Q. *An, urgente necessitate, Capitulum Provinciale prorogari possit?*

R. Haec potestas non datur in terminis Capitulo Provinciali, sicut Capitulo Generali datur; attamen ex contextu satis liquet Capitulum etiam Provinciale habere hanc potestatem. Etenim si Provincialis vel Vicarius Provincialis in ínítío est absens, per tres dies exspectari debet; item Provincialis recenter electus. Porro Capitulum jus habet electiones praescriptas faciendi et negotia sibi reservata expediendi; quo jure absque culpa ex sua parte privari non potest. Ast, nisi Capitulum prorogari posset, absque sua culpa hoc jure quandoque privaretur.

694.—Q. *Quaenam advertenda sint circa electiones in Capitulo Provinciali faciendas?*

R. 1.º *Quoad electionem Provincialis.* Haec habent Constitutiones nostrae: «Eligi poterit Provincialis ex Conventualibus tantum uniuscujusque Provinciae, etiamsi extra Provinciam existant, quicumque maxime dignus in quo nullus sit ex defectibus n. 488 enumeratis. At eligi non poterit, qui sexennium a suscepto Sacerdotii ordine, et decennium saltem a prima Professione emissa in nostro Ordine, et trigesimum quintum aetatis annum non compleverit; insuper qui non sit ex legitimo matrimonio natus». (n. 498).

«Neque eligatur qui ob adversam valetudinem ab esu carnium abstinere, et Chori ac Refectorii actibus ordinarie interesse non valuerit, nisi valetudinis defectus singulari prudentia et virtute compensetur. Nunquam Provincialis reeligi poterit ad triennum immediatum; nec eligi ad aliquod officium de non ambiendo in eo Capitulo, in quo officio defungitur, nec in Definitorio, quod immediate post Capitulum Provinciale celebratur» (n. 499).

Cum a Constitutionibus nostris non praescribatur temporis spatium, per quod vacare debet Provincialis, sequitur eum posse eligi ad quodcumque officium post absolutum scilicet Definitorium immediate subsequens Capitulum Provinciale.

2.º *Quoad electionem Definitorum Provincialium.* Haec habent Constitutiones nostrae: «Eligentur quatuor Definitores ex filiis tantum illius Provinciae, etiamsi extra Provinciam existant, qui ex nullo defectuum n. 488 designatorum sint inhabiles, et qui prudentia et boni communis zelo praestent, annumque trigesimum aetatis, et a professione octavum attigerint; quae conditiones requiruntur etiam in eorum substitutis; eligenturque singuli seorsum, ordine servato.

Eligi autem non poterunt in Definitores qui per sexennium praecedens officio Prioris, aut partim Prioris et partim Definitoris functi sint; neque reeligi poterunt ad idem officium Definitoris, nisi intra triennium, excepto uno qui solus resumi potest ad aliud triennium immediatum tantum ex Definitoribus triennii praecedentis, qui scilicet fuerint electi in Capitulo Provinciali triennali, vel in Definitorio immediate post dictum Capitulum celebrato» (n. 505).

3.º *Quoad* electionem Sociorum et substitutorum ad Capitulum Generale.

Post Definitorum Provincialium electionem, creabuntur ex tota Provincia, etiamsi extra Provinciam exsistant, duo Socii Provincialis, ituri cum eo ad Capitulum Generale, et duo Substituti; qui omnes sint Sacerdotes, nullo defectuum n. 488 notati, et qui a professione octo annos et aetatis triginta expleverint; in qua electione Provincialis non feret suffragium, sed cum duobus qui ei proximi sedent, suffragia scrutabitur. Primus tamen So-

cius electus, si ex gremio Capituli sit, feret suffragium in electione Substitutorum, et primus Substitutus in electione secundi. Si vero Provincialis officio functus non interfuit Capitulo Generali ordinario, quia juxta nostras leges tempore sui regiminis non erat congregandum, ipse erit a jure primus Socius Provincialis noviter electi, et in hoc casu eligentur in Capitulo Provinciali dumtaxat secundus Socius et duo Substituti» (n. 513).

«Si Provincialis vel Vicarius Provincialis sit legitime impeditus, quominus Capitulo Generali intersit, primus Socius ejus vices gerat; secundus vero Socius et Subsituti impeditis ex ordine succedant» (n. 515).

«Officia Sociorum durent per triennium, ita ut, si quacumque de causa congregetur Capitulum Generale extraordinarium, conveniant ad illud et ibi vocem habeant; quod etiam de Substitutis respective intelligendum est. At electi quicumque ad officium Sociorum et Substitutorum vocem activam non habebunt in Capitulo Provinciali in quo eliguntur, nisi sint e gremio Capituli» (n. 516).

4.º *Quoad electionem Priorum* sequentia statuunt Constitutiones nostrae, n. 517: Eligentur... Priores ordinate, et ante omnes eligatur Prior Novitiatus, deinde Prior Eremi, ac ceteri juxta Conventuum antiquitatem. Eligentur autem quicumque idonei ex tota Provincia, etiamsi extra Provinciam existant, praedictis n. 488 defectibus minime notati, et qui trigesimum aetatis annum et professionis octavum expleverint, nisi aetatis vel antiquitatis defectus vitae integritate et prudentia compensetur; tunc enim cum uno vel duobus tantum, in quibus suffragia ad electionem requisita concurrere viderit, poterit Definitorium Provinciale dispensare. Qui vero ob adversam valetudinem communis ac regularis vitae actibus in Choro et Refectorio ceterisque locis majori ex parte nequeunt interesse, ad officium Prioris ne assumantur».

Prior, cujus officium in Capitulo exspirat, in idem officium ad eumdem conventum resumi non possit, nisi cum duabus e tribus suffragiorum partibus; in alium vero conventum electione ordinaria poterit assumi: sed, si quis tempore intermedio, quod ab uno in aliud Capitulum labitur, in alicujus conventus Priorem, eligatur; in Capitulo sequenti poterit, non solum in alterius, sed etiam in ejusdem conventus Priorem, ordinaria electione promoveri. Declaramus, Priorem qui non fuerit reelectus a Capitulo Provinciali in eumdem conventum cum duabus e tribus suffragiorum partibus, non posse a Definitorio Provinciali post Capitulum Provinciale ad eumdem conventum reassumi, nisi cum omnibus suffragiis; post sex menses vero a celebratione Capituli, ordinaria electione assumi posse. Ordinamus etiam, ut Prior electus in Definitorio Provinciali immediate post Capitulum Provinciale triennale, non possit in sequenti Capitulo eligi electione

ordinaria in Priorem ejusdem Conventus. Praecipimus autem, quod Priores, qui per sexennium integrum immediate Prioris officio, aut partim Prioris et partim Definitoris functi sunt, in officium Prioris non possint eligi in eo Capitulo in quo officio defunguntur, nec extra Capitulum, saltem per sex menses». (n. 518).

Explanatur: «Hic duo conceduntur a Constitutione Definitorio Provinciali, quando in Capitulo Provinciae eliguntur Priores... Itaque, facto scrutinio pro eligendo Priore alicujus Conventus, et habito sufficienti numero votorum pro eo, qui trigesimum aetatis annum, et professionis octavum non expleverit, suspenditur publicatio electionis, et Definitorium utitur jure suo in concedenda, vel neganda dispensatione, prout in Domino judicat compensari, vel non compensari defectum aetatis et antiquitatis ab integritate vitae et prudentia. Data dispensatone per pluralitatem votorum, publicatur electio, et proceditur ad ulteriora. Dispensatione autem denegata, electio decernitur nulla, et iterum accipiuntur schedulae ad alterum eligendum. Quod si unus et idem ex Electis dispensandus sit ab aetate et ab antiquitate, et negotium concludi velit a Definitoribus cum unica suffragatione, bene animadvertant suffragaturi, an insimul concurrant in dispensando *causae justae* in genere *cum integritate vitae et prudentia* in specie: et in dubio satius erit, ad consulendum conscientiae, suffragari pro dispensanda aetate, vel antiquitate ex motivo *integritatis vitae et prudentiae*.» (Instr. de Cap. p. 34)

Notandum pro praxi: «Si Definitorium alicujus Provinciae, instante Capitulo, viderit necessitatem alicujus dispensationis in hac parte, ita provideat sibi opportune, ut dispensatio praecedat, non sequatur vota eligentium; cum neque Definitorium Generale, neque ipsum Generale Capitulum habeant jus sanandi, ut dicitur *in radice*, electionem nullam» (Instr. de Cap., p. 38).

695.—Q. *Quaenam sit potestas Capituli Provincialis?*

R 1.º Principium generale est, Capitulum Provinciale, attento jure communi, ea omnia praestare posse, quae praestare potest tota Provincia, non quidem respectu totius Ordinis, sed respectu Provinciae tantum, nisi obstent specialia statuta.

2.º Capitulum Provinciale apud nos non habet potestatem legislativam; sed «si necessitas id requirat, fiant aliqua statuta ad perfectionem promovendam sive ad extirpandos aliquos abusus; quae, ut observari incipiant, tribus e quatuor suffragiorum partibus approbentur; et quae a Definitorio Generali confirmata fuerint, usque ad sequens Capitulum Provinciale triennale durent; ibique, nisi expresse confirmentur, exspirent» (Constit. n. 523)

«Statuta sive Ordinationes factae, ab omnibus Capituli Provincialis Patribus subscribantur in libro ad hoc destinato» (n. 525)

«Ad Capitulum Provinciale pertinet erigere domus in Prioratus, et Prioratus ad Vicariatus reducere, habita ratione eorum quae circa Prioratuum constitutionem et obligationes praescripta sunt. Ipso tamen jure, ut Prioratus considerandae sunt domus ubi Novitii educantur, domus recenter professorum, domus studiorum Philosophiae et Theologiae, et sacra Eremus. Extra Capitulum vero, Definitorium Provinciale, necessitate interveniente, eadem pollet auctoritate» (n. 527).

3.º «Omnes electiones et renunciationum acceptationes, quae dum Capitulum Provinciale celebratur in Provincia occurrunt, exceptis iis quae ex n. 540 spectant ad Definitorium Provinciale, ad totum Capitulum Provinciale pertineant» (n. 528).

4.º «Consultent Patres Capituli, an Conventus aliquis, eo quod Instituto nostro non sit consentaneus vel quavis ex causa inutilis, deserendus sit: quod in proximo Capitulo Generali proponatur, et decidatur; si tamen agatur de casu urgentiori, statim res Definitorio Generali subjiciatur (n. 530).

5.º Denique alia quaevis negotia, quovis modo ad Capitulum Provinciale attinentia, hoc loco tractentur» (n. 531).

6.º Praeter dispensationem super aliquibus impedimentis ad ingressum in Religionem, supra n. 45 relatis, Constitutiones non loquuntur in specie in quibusnam Capitulum Provinciale possit dispensare.

7.º «Deputentur etiam a Provinciali, assentiente majore parte Capituli, duo Religiosi pro eligendis locis ad novos Conventus aedificandos» (n. 521).

8.º «Statim post electiones aperiantur publice in Capitulo litterae directae Capitulo Provinciali, quae alibi quam in Capitulo aperiri non possint; quemadmodum, quae Definitorio Provinciali mittuntur, alibi quam in ipso Definitorio legi non possint, sub poena depositionis ab officio... et quae ad leges spectant, antequam de legibus agatur; reliquae vero, illis absolutis» (n. 522).

§ II. DE CAPITULO PROVINCIALI EXTRAORDINARIO

696.—Q. *Quandonam et a quonam convocandum sit Capitulum Provinciale extraordinarium?*

R. Haec habent Constitutiones nostrae: «Si Provincialis primo anno, vel primo semestre secundi anni sui officii moriatur, vel quomodocumque, extra tempus quo Capitulum Generale celebratur, ejus officium vacet, primus Definitor Provincialis, qui debet praesidere Provinciae, Capitulum intra trimestre convocet, sub poena suspensionis ab officio per sex menses, ad novum Provincialem eligendum; qui ad Capitulum Generale conveniat, et in officio perduret usque ad Capitulum Provinciale ordi-

narium. Si vero Provincialis post dictum tempus obierit, vel ejus officium quomodocumque vacaverit, primus Definitor Provincialis et, eo moriente, alii Definitores per ordinem Provinciae praesideant; et qui actu est Vicarius Provincialis ad Capitulum Generale, si quod celebrare contigerit, conveniet ac ibi vocem habebit» (n. 508).

«Capitulum Provinciale extraordinarium ad novum Provincialem eligendum celebrabitur in eo conventu, qui a Definitorio Provinciali designatus fuerit ad Capitulum ordinarium celebrandum. Quod si non fuerit assignatus, fiet in conventu ubi praecedens Capitulum celebratum fuit; neque aliud quidpiam in eo Capitulo agatur, nisi aliqua electio fortuito contingat, vel aliud necessitas requirat; tunc enim Capitulum Provinciale omnia ea expediet, etiamsi alias ad solum Definitorium Provinciale pertinerent» (n. 509).

697.—Q. *Quaenam statuta sint pro Capitulo Provinciali extraordinario?*

R. «In illo extraordinario Capitulo vocem habebunt quicumque vocem haberent in Capitulo ordinario, nempe Definitores Provinciales et Priores, insuper Socii Priorum et Procuratores Vicariatuum, qui noviter eligendi erunt ad normam Cap. XXX hujus tertiae Partis; Provincialis autem et Definitores Provinciales, aliique officio functi in praecedenti triennio, ratione praedictorum officiorum non habeant locum neque vocem activam in hujusmodi Capitulo extraordinario, sed tantum in eo Capitulo in quo exspirant eorum officia. Qui, vacante Provincialatu, praesidere debet Provinciae, non possit mutare conventualitatem Patrum, qui vocem habent in electione Sociorum vel Procuratorum; sed iis qui in Residentiis degunt, statim assignet Conventum juxta dicta n. 602» (n. 510).

698. «Quidquid autem in hoc Capitulo agendum est, fiat juxta praescripta pro Capitulo Provinciali ordinario; Missa vero et preces pro felici exitu Capituli fiant ut n. 489 praescribitur, sed uno die tantum» (n. 511).

«Firmis quae statuta sunt n. 482, praeter casus mortis et vacationis Provincialatus quacumque de causa intra triennium, a nullo Superiore, neque a Definitorio Provinciali vel Generali, valide congregari potest Provinciale Capitulum» (n. 518).

ARTICULUS III

DE CONGRESSU PRO ELECTIONE VICARII PROVINCIALIS ET SUBSTITUTI AD CAPITULUM GENERALE

699. «Semiprovincia rite constituta eodem jure regitur ac Provincia, iis exceptis quae ad Semiprovincias specialiter spectant» (Const. n. 567).

«Tempore quo celebrantur in Provinciis Capitula triennialia, Congressus fiat in Semiprovinciis juxta normas et caeremonias pro Capitulo Provinciali praescriptas. Ferent in eo suffragia, praeter Vicarium Provincialem ejusque Consiliarios, Priores eorumque Socii ac Procuratores Vicariatuum.

Eligi vero poterunt e tota Semiprovincia, etiamsi extra illam degant, quicumque Sacerdotes nullo ex defectibus n. 488 notati, et qualitatibus requisitis Cap. XV praediti» (n. 568).

«Eligetur primo Vicarius Provincialis, qui jure gaudebit eundi ad Capitulum Generale; deinde successive eligentur duo Consiliarii, qui in ipso Congressu vocem habeant, et Substitutus Vicarii Provincialis ad Capitulum Generale; postea Priores, Vicarii Conventuum, et Magister Novitiorum» (n. 569).

«Congressu completo, statim celebretur consilium, in quo fiant omnes aliae electiones, quae ipsi reservantur» (n. 570).

700. «Vicarius Provincialis in suo districtu iisdem obligationibus iisdemque juribus gaudet ac Provincialis in sua Provincia; similiter duo ejus Consiliarii aequiparantur Definitoribus Provincialibus. A Vicario autem Provinciali et duobus Consiliariis constituitur Consilium, bis saltem in anno celebrandum, cui competit providere ad officia vacantia et cetera negotia expedire, quae in Provinciis Definitorio Provinciali reservantur, cum obligatione tamen reddendi quotannis Definitorio Generali relationem status Semiprovinciae» (n. 571).

«Consiliarius, a Congressu primo loco electus, Vicarii Provincialis vices gerat, sive ob ejus mortem sive ob aliam quamcumque causam ejus officium vacaverit. Idem praestet, si Vicarius Provincialis abest a Semiprovincia ultra mensem. Absente autem aut deficiente primo Consiliario, secundus Consiliarius vices gerat Vicarii Provincialis. Obeunte vero Vicario Provinciali, serventur ea, quae (n. 549) in casu mortis Provincialis praescripta sunt» (n. 573).

«Vicarius Provincialis per tres annos continuos officio functus gaudebit, ad instar Provincialium, privilegio sibi eligendi Conventum quem maluerit in Semiprovincia, et per sex menses ab officiis domesticis vacabit. Si vero in posterum aliquod munus extra illum Conventum ei assignetur (ad quod munus acceptandum non tenebitur, nisi sit officium quod ambiri non potest), ad electum Conventum, expleto munere, possit redire» (n. 574).

ARTICULUS IV

DE CAPITULO CONVENTUALI SEU VOCALI

701. «Capitulum vocale constat ex Patribus Conventualibus domus, voce saltem activa fruentibus» (Constit. N. n. 592).

Ut Religiosus noster habeat vocem activam in Capitulo Conventuali, haec quatuor requiruntur, nempe: 1.º ut sit Conventualis illius conventus. Quomodo religiosus fiat conventualis, infra dicetur n. 709. 2.º ut sit Sacerdos habens saltem triennium a professione simplici; 3.º ut absolverit cursum theologicum; 4.º denique ut non sit privatus jure suffragandi.

«Superioris domus eiusve vices gerentis est Capitulum convocare, quoties necessitas aut aliqua rationabilis causa id exigat, vel petentibus tribus Discretis, tempore tamen opportuno, ut omnes Capitulares convenire possint. Degentes domi verbotenus convocare sufficiet; absentes vero, qui facile et sine magno dispendio assistere possint, epistola vel alio convenienti modo convocandi sunt, et etiam expectandi, si eodem die sint reversuri. Curet autem Superior, ne ullus ex Vocalibus absit, cum aliquid momenti proponendum sit, praesertim cum agitur de approbationibus Novitiorum atque promovendorum ad Ordines Sacros, et de aliis eiusmodi. Capitularis praesentis in domo, qui ob adversam valetudinem Capitulo interesse nequeat, suffragium secretum a duobus scrutatoribus exquiratur» (n. 593).

702. «In Capitulo vocali primo post adventum novi Prioris vel Vicarii, eligatur a Conventu Capituli Secretarius, qui statim juramentum de munere suo fideliter adimplendo praestabit. Semper Scrutatores erunt Praeses et duo ei proxime sedentes, qui in prima sessione, in qua suo munere funguntur jusjurandum etiam de munere fideliter adimplendo et de secreto servando interponant» (n. 594).

«Superior in Capitulo Conventuali propositiones in scriptis faciat, et illas communicet Patribus Capitularibus, saltem viginti quatuor horis antequam ad deliberandum procedatur; quibus conditionibus, non expletis, si duo reclament ut Capitulum differatur, Superior acquiescere debet sub poena nullitatis actus, nisi Capitulum per secreta suffragia judicet rem non esse tanti momenti ut Capitulum differatur» (n. 595).

703. «Quaecumque propositio sub iisdem verbis atque decisio de eadem, subscripta a Praeside, primo Discreto, aut Consiliario et Secretario, in libro Actuum Capituli Conventualis inscribatur et in proximo subsequente Capitulo publica tum propositionis tum decisionis lectio fiat» (n. 596).

«Omnes Capitulares, legitime convocati ac de consensu vel consilio requisiti, debent ea qua par est reverentia, fide ac sinceritate sententiam suam aperire. Nullus tamen in Capitulo nisi

jussus vel petita impetrataque venia, loquatur; si quis vero, intimato ei silentio, statim non obedierit, a Capitulo expellatur poenamque gravem sustineat» (n. 597).

«Patres Gremiales in primo Capitulo, quando fuerint declarati Capitulares, juramentum secreti praestabunt, et tunc obligabit, quando major pars Capituli id expedire judicaverit, sub poena privationis vocis per tres menses ei, qui juramentum praestitum violaverit; et si iterum idem fecerit, per alios tres menses loco carebit. Poterunt tamen quodcumque juramentum secretum Superiori domus, si absens fuerit, revelare, et tunc Superior tenetur secretum etiam servare. Tenentur tamen ex caritate et prudentia ad secretum servandum de variis opinionibus et sententiiis, in sessione Capitulari prolatis» (n. 598).

«In unoquoque Conventu sit liber, in quo electiones et Acta Capituli Conventualis a Secretario scribantur, et a Priore vel Vicario primoque Discreto vel Consiliario subsignentur» (n. 599)

704.—Q. *An Provincialis habeat vocem in Capitulis vocalibus suae Provinciae?*

R. 1.º Graves auctores ut Bordonus. (II. Res. 88, n. 14). Pellizarius (Tr. 9, c. 8, n. 116). Antonius a Spir. S. (III. Tr. 4, Disp. 2, Sect. I, n. 10) id affirmant, nisi obstent specialia statuta in contrarium.

2.º Juxta nostras Constitutiones negandum est. Quamvis enim id *explicite* non statuant, *implicite* tamen sat luculenter ostendunt Provincialem nunquam intervenire Capitulis conventualibus vocalibus suae Provinciae; quia passim exhibent Priorem primum tenentem locum in his Capitulis, et in novissimis Constitutionibus n. 593 dicitur: «Superioris domus ejusve vices gerentis est Capitulum (Conventuale seu vocale) convocare.»

Denique haec sententia, quae Provinciali denegat illud jus, praxi et consuetudine communi Ordinis comprobatur.

705.—Q. *Quaenam agenda sint in Capitulo conventuali?*

.R Ad tria reduci possunt, quae in Capitulo conventuali agenda sunt, nempe: 1.º ad quasdam electiones faciendas; 2.º ad aliquas approbationes dandas; 3.º ad quaedam negotia tractanda.

1.º Quoad electiones: Secundi et tertii Discreti et secundi Examinatoris: «In Capitulo cujuscumque Prioratus, paulo post quam novus Prior sui officii possessionem acceperit, modo nn. 369 et 370 descripto, eligantur unus post alium duo Discreti; quorum primo electus erit secundus Discretus; secundo vero electus erit tertius Discretus. Si per mortem vel renuntiationem secundi Discreti eligatur alter, hic erit tertius; quorum officium triennio durabit. In absentia primi vel secundi vel tertii Discre-

ti ultra mensem, debet Provincialis providere de alio vel de aliis, qui suppleant vices usque ad adventum absentium. Eligatur quoque in Capitulo secundus Examinator Conventus» (Const. n. 607).

«Erit ipse (primus Discretus)... eorum, qui ad Ordinis habitum admittendi vel sacris initiandi sunt, primus Examinator. Sí autem is obierit, vel quavis ex causa defecerit, Provincialis cum suo Definitorio in ejus locum alium idoneum quamprimum eliget» (n. 616).

706. *Socii ituri ad Capitulum Provinciale.* Constitutiones nostrae haec statuunt: «Ante dies octo, quam Prior in Capitulum migret et in Conventibus, in quibus debet celebrari, ante idem etiam tempus octo dierum, quam Capitulum incipiat, eligatur Socius, qui sit Sacerdos, et quinque saltem a prima professione annos egerit, qui Conventus illius bonum in Capitulo procurabit. Si vero aliqua de causa anticipandus sit discessus Prioris ante tempus consuetum, electio tamen Socii numquam anticipetur, nisi ex consensu Definitorii Provincialis; vel si hoc consuli nequeat, ex consensu Provincialis et Capituli Conventualis per secreta suffragia obtinendo. Eodem tempore fiat in Vicariatibus electio Procuratoris ad Capitulum, qui eadem ac Socius habeat requisita» (n. 600).

«In electione autem Socii vel Procuratoris nemo vocem habens in Generali vel Provinciali Capitulo, exceptis Sociis et Substitutis ad Capitulum Generale, feret suffragium; sed Superior localis cum duobus, qui ei proxime sedent suffragia scrutabitur. Quoad reliqua servetur forma praescripta pro electionibus nn. 364-379» (601).

«Provincialis ,ante sex menses a Capitulo, teneatur assignare Patribus in Residentiis commorantibus aliquem Conventum, in quo habeant vocem in electione Socii; quam dispositionem Provincialis deinceps mutare non possit, nisi de consensu duorum Definitorum Provincialium. In regionibus vero longinquis, Patres Capitulares, qui in Residentiis degunt, possint ad electionem Socii vel Procuratoris concurrere per schedulas epistolis transmissas, modo a Definitorio Generali praescribendo» (n. 602).

«Socii et Procuratores ituri ad Capitulum Provinciale, a die eorum electionis usque ad finem ipsius Capituli, mittere ac recipere possunt litteras a quovis Religioso suae Provinciae, quin a Superioribus legantur vel aperiantur» (n. 605).

«Poterit Capitulum Conventuale per secreta suffragia et per majorem partem suffragiorum imponere praeceptum acceptandi officium ei, qui illud acceptare renuerit; necnon eodem modo acceptare renuntiationem Socii vel Procuratoris electi pro Capitulo Provinciali, et alium loco ipsius eligere modo ordinario; et idem dicendum, quomodocumque officium Socii vel Procuratoris vacet» (n. 603).

«Si Supprior eligatur in Socium, aut si forte Conventus Suppriore careat, Vicarius a Conventu eligetur, qui Conventum interea gubernet. In hac autem electione Prior feret suffragium. Verum, si Prior, quavis de causa, domi remaneat, non eligatur Vicarius, sed ille Conventum gubernet, quousque novi Prioris litterae patentes publice legantur; neque antea aliquem jurisdictionis proprii officii actum Prior noviter electus exercere valeat, etsi proprio Prioris loco sedere ceterisque sui officii honoribus frui debeat. Quod si Prior officio defunctus novum officium alterius Conventus acceptaverit, aut litterae patentes novae Conventualitatis ei intimatae fuerint, tunc Supprior, vel Praeses cui de jure, domum gubernabit. Quae omnia, congrua congruis referendo, valeant etiam pro Vicariatibus» (n. 606).

707. 2.º *Quoad approbationes*: a) postulantium n. 58; b) Novitiorum n. 73; c) Donatorum n. 74; d) simpliciter professi ad professionem votorum sollemnium n. 82; e) Ordinandorum n. 515.

3.º *Quoad negotia magni momenti tractanda*: a) ad sumptus extraordinarios faciendos n. 230; b) pro alienationibus quoad bona mobilia majoris pretii nn. 200 et 236; c) pro debitis contrahendis n. 236; d) pro celebrandis contractibus magni momenti n. 236.

ARTICULUS V

DE FRATRUM FILIATIONE ET CONVENTUALITATE

708. «Cum inter Religionem velut corpus et Fratres sicut membra ordinatae unionis et mutuae relationis officia neccessaria sint, oportet singulorum in universa compagine partes assignari; quod quidem fieri nequit, nisi tum filiationis tum conventualitatis ratio determinetur» (n. 130).

«Fit igitur Religiosus Provinciae filius, per suam professionem, qua Provinciae, cujus erat novitius, incardinatur cum omnibus juribus et obligationibus secundum leges canonicas et nostras» (n. 131).

«Non potest quis filiatione in aliqua Provincia privari, nisi per formalem excardinationem et adscriptionem alteri Provintiae; manet tamen suspensa filiatio eorum, qui in Superiores Generales assumpti sunt, vel qui ut Missionarii Apostolici, sub dependentia Sacrarum Congregationum de Propaganda Fide vel pro Ecclesia Orientali degunt» (n. 132).

709. «Religiosi degentes extra Provinciam, cujus sunt filii, voce passiva gaudent in quibuscumque electionibus, quae fiunt in Capitulo vel Definitorio propriae Provinciae, iis exceptis quorum filiatio manet suspensa; attamen electio eorum po-

test ob bonum commune Ordinis a Definitorio Generali infirmari». (n. 133).

«Conventualis fit Religiosus in aliqua domo per Superioris Maioris actum, vel per admissionem officii, quo vel qua determinatae Domui addicitur; ut in ea fruatur juribus, et obligationibus teneatur ad normam Constitutionum. Incipiet autem conventualitas a die quo admittitur officium obligans ad permanendum in determinato Conventu, et pro non electis ad officia, a die quo intimantur Litterae patentes cum indicatione novae conventualitatis» (n. 134).

710. «Omnibus Fratribus nostris, etiam non Sacerdotibus, a Praeposito Generali vel Superiore Provinciali assignetur conventualitas. At nullus Religiosus in pluribus domibus conventualis esse valeat, aut conventualitate a Praeposito Generali vel a quocumque alio Superiore privari, quin prius ei alia assignetur. Qui autem ad novas fundationes mittuntur, usquedum fundatio non sit domus canonice erecta, erunt conventuales coenobii, in quo immediate antea conventualitate gaudebant» (n. 135).

«Religiosis nostris qui ad servitium mittuntur alius Provinciae, vel alicujus conventus Definitorio Generali immediate subjecti, saltem per sex mentes ibidem moraturi, assignetur conventualitas in conventu aliquo illius Provinciae aut in illo conventu a Definitorio Generali dependente; excipiuntur Religiosi qui sub quocumque titulo inserviunt Domini Generalitiae; hi enim retinebunt conventualitatem in conventibus, quorum antea conventuales erant» (n. 136).

711. «Praepositus Generalis vel Superior Provincialis, per sex menses ante Capitulum Provinciale conventualitatem Religiosorum qui possunt habere vocem in illo Capitulo mutare non potest, nisi vel ipsis religiosis petentibus et de consensu primi Definitoris Generalis vel respective Provincialis, aut ipsis non petentibus de consensu duorum Definitorum Generalium vel respective Provincialium. Conventualitas vero primi Discreti, non nisi ipso consentiente, aut consentiente Definitorio, a quo fuit electus, unquam mutari potest» (n. 137).

CAPUT VI

DE DEFINITORIIS

Hoc caput in tres dividitur articulos, quorum primus erit de Definitoribus; secundus, de Definitorio Generali; tertius, de Definitorio Provinciali.

ARTICULUS I

DE DEFINITORIBUS

712.—Q. *Quid et quotuplex sit Definitor?*

R. 1.º Est Sacerdos professus ejusdem Religionis, seu Provinciae, pro qua eligitur, cujus officium est assistere Praelato Superiori ad tractanda et decidenda gravia Religionis seu Provinciae negotia.

2.º Duplex distinguitur Definitor: *Generalis,* qui nempe pro tota Religione, et *Provincialis,* qui pro una tantum Provincia eligitur.

713.—Q. *An Definitoriatus sit dignitas?*

R. Proprie non est dignitas, quia dignitas stricte dicta est administratio cum jurisdictione. Porro Definitores, qua tales, nullam habent jurisdictionem, sed tantum praeminentiam seu praecedentiam; jurisdictionem tantum habent, quando in Definitorio congregati sunt. Inde nonnulli deducunt a definitoriatu non arceri illegitimos; et recte, quia in jure non probibetur. (Const. n. 359, et 488).

714.—Q. *Quale votum habeant Definitores?*

R. 1.º Duplex hac in re distinguitur votum: aliud est *consultativum,* aliud *decisivum.* In hoc autem differunt, quod in priori hypothesi, tota rei decisio a Superiore pendet, auditis tantum et consultis Definitoribus; in posteriori vero hypothesi, decisio pendet a sententia et consensu Definitorum, seu majoris partis Definitorii.

2.º In Societate Jesu, vota Assistentium (iidem sunt ac apud nos Definitores) sunt tantum consultativa. In aliis autem Ordinibus vota sunt decisiva. Definitores enim sunt collegae et participes officii Generalis, vel Provincialis.

3.º Exinde deducunt auctores hujusmodi Definitores eadem scientia pollere debere ac ipsemet Generalis, vel Provincialis; quia cum illo sunt cojudices. Unde imperitus tuta conscientia eligi nequit. Nec excusantur electores hac ratione, quod plures docti adsint in Definitorio, et quod ipse imperitus adhaerere semper possit sententiae doctorum Definitorum. Nam, uti animadvertunt auctores, peccant jam in hoc electores, quod idoneis fiat injuria, quibus praeponitur in gradu valde honorifico vir non idoneus. Praeterea quia ejusmodi Definitor inutiliter occupat officium, in quo pro conscientiae suae securitate necessario sese conformare debet coeco modo sententiae alterius, ignorans utrum bene, vel male agat.

Demum, quia frequentes sunt casus, in quibus negotium collegialiter definiendum dependet ab uno, qui, in discordia vo-

torum victoriam tribuit parti, cui adhaeret: quare necesse est, ut sit idoneus, et ex proprio, non vero aliorum sensu judicet.

715.—Q. *Quomodo petendum sit Definitorum votum?*

R. Constitutiones nostrae n. 365 sequentia praescribunt: «Meminerint Superiores se invalide agere si, quoties exigitur, consensum jus habentium non obtineant; si autem consilium eorumdem requiratur, satis est ad valide agendum, ut eos legitime convocatos audiant». Ideoque, ait D. Toso, lib. II, de Personis, can. 105, si audierit, Superior valide agit, etiamsi earum opinationes ac voluntates cum sua non conveniant; contra inauditis personis illis, agit invalide. Quod probe advertendum est quoties locutiones: *de consilio consultorum*, audito Capitulo, vel aliae hujusmodi reperiantur: agitur enim tum, *et a fortiori* cum consensus exigitur, de lege irritanti.

716.—Q. *An Definitores teneantur in actu Definitorii suam aperire sententiam?*

R. Affirmative, quia ad hoc eliguntur. Ergo ex officio tenentur suam dicere sententiam, secus muneri suo deessent, et peccarent in quantum per hanc omissionem inferrent damnum. Praeterea in dando suffragio tenentur sequi suam sententiam, nisi, re mature perpensa, suam deponant sententiam judicando veriorem et opportuniorem esse sententiam collegae.

717.—Q. *An Definitores teneantur ad secretum servandum eorum, quae in Definitorio tractantur?*

R. 1.º Secreta Definitorii revelare nequeunt. Quoad alia, nisi Praelatus, qui Definitorio praesidet, sub obedientiae praecepto prohibeat, ne revelentur tractata in Definitorio, non videtur obligatio servandi secretum; secreta enim dici nequeunt, quorum manifestatio perturbationes, aut alia inconvenientia non pariunt. (Cfr. Piat. II-626, 2.ª edit.)

2.º Haec habent Constitutiones nostrae n. 468 de Definitorio Generali: «Strictissimo secreti sigillo omnia negotia Definitorii ab ipsis Definitoribus sileantur: quod si quis secretum prodiderit, a Definitorio pro culpae modo puniatur: et ut secretum fideliter servetur, postquam Definitores electi fuerint, Praepositus, ipsique Definitores jurent secretum eorum, quae in Definitorio geruntur: quod tunc obligabit, cum major Definitorii pars statuerit, juramentum in illo eventu debere observari» idem praescribitur de Definitorio Provinciali n. 565.

718.—Q. *Quomodo peccet, qui secretum juratum violet?*

R. Controvertitur: alii censent obligationem secretum juratum servandi *ex toto genere* suo gravem esse. Ratio est, quia homo jurando adduxit Deum in testem veritatis futurae, seu

adimpletionis rei promissae; ergo non implendo, quantum est in se facit Deum testem falsi, quod semper Deo graviter injuriosum est, ac proinde violator hujusmodi secreti, etiam in re parvi momenti, semper peccat mortaliter.

Alii e contra communius docent hanc obligationem non esse ex toto genere gravem. Ratio est, quia in juramento promissorio Deus veritatis futurae non proprie *ut testis* invocatur, sed solum ut *fidejussor ac auctoritatem praebens obligationi, quae oritur ex promissione coram Deo facta,* prout si quis aliquid promitteret coram principe, intendens ex illius auctoritate suam firmare promissionem. Jamvero non implere promissionem non est mendacium, sed infidelitas, ut expresse tradit S. Thomas (2. 2. q. 110, a. 3 ad 5). Haec autem infidelitas, licet in promissione jurata aliquanto gravior sit, parvitatem tamen materiae admittit.

719.—Q. *Quaenam sint obligationes Definitorum?*

R. Haec habent Constitutiones nostrae:

I. *Quoad Definitores Generales*: 1.º «Ut Praepositus Generalis Ordinem prudentius moderari possit, quatuor Definitores, viros prudentia, experientia, doctrina, et sanctitate praestantes adjutores habebit, qui ei de Ordinis gubernatione consulere, ac universim de omni re bono communi opportuna prudenter illum admonere, et ne laboribus et curis conficiatur, aut medium virtutis excedat, curam gerere valeant: quibus in rebus, etiam non rogati, ex officio Praepositum hortari debebunt, cum id eis ratio, caritasque suggesserit. Horum opera et consilio libenter utatur Praepositus, et ab eorum sententia ne facile discedat» (n. 454).

720. II. *Quoad Definitores Provinciales*: 1.º «Definitorum Provincialium est Provinciali ad idoneam Provinciae gubernationem consilium dare, non solum dum ab eis petitur, sed etiam, dum prudentia, et caritas dari debere persuadet; quorum consensum aut consilium exquiret, ad normam Sacrorum Canonum et Constitutionum nostrarum. Est quoque Definitorum curam gerere de Provincialis valetudine, ne medium virtutis nimiis curis et laboribus excedat» (n. 551).

2.º «Si Definitores animadvertant Provincialem officio suo non satisfacere, vel quod pejus est, abuti, neque bonis consiliis acquiescere, Praepositum re bene ponderata et examinata moneant, praesertim in iis eventibus, in quibus poena depositionis, seu suspensionis Provinciali per Constitutiones decreta est. Idemque Provincialis praestet, si Definitores officio suo ita deesse conspexerit, ut suspensionis vel privationis officii rei sint» (n. 566).

721.—Q. *Quibusnam juribus gaudeant Definitores et Procurator Generales?*

R. Haec statuunt Constitutiones nostrae:

I. *Quoad Definitores Generales*: 1.º «Habebunt auctoritatem in foro conscientiae parem ei, quam habent Priores, et quamlibet aliam, quae per privilegia eis est concessa».

2.º «In actibus autem Communitatis, ubique praesidebunt et signa dabunt, juxta ordinem suae electionis, immediate post Priorem aut Vicarium canonice electum; sed aperto Definitorio Generali, qui actu illud componunt, sive Definitores sint sive Substituti, ubique ex ordine praesideant et signa dent immediate post Praepositum Generalem» (n. 455).

3.º «Non autem possint domo exire, nisi de licentia Praepositi, vel Vicarii Generalis, si fuerint in eadem domo» (n. 456).

4.º «Definitores Generales, sine Praepositi aliorumve Praelatorum scitu, litteras ad quemvis Religiosum vel saecularem et ab eis accipere poterunt; quamobrem sigillis propriis utentur» (n. 457).

5.º «Habere possunt parvam capsam obseratam» (n. 24).

6.º «*Noster Pater* in toto Ordine vocentur, etiam officio functi» (n. 129).

«Cum Superiori scribitur, addatur *Nostro*: quod ex quadam decentia convenit etiam fieri, quando scribitur illis, *qui fuerunt Definitores Generales,* aut Procuratores Generales» (Instr. pro scribendis Epistolis, n. 1).

7.º «Elapso officii sui tempore, intra duos menses ab eorum regressu in propriam Provinciam computandos, poterunt eligere in ea Conventum quem maluerint, ubi juribus conventualitatis gaudebunt, nisi Praepositus gravem ob causam conventualitatem in domo alterius Provinciae eis assignaverit. Per integrum annum ab officiis domesticis vacent, et eorum nomina in communi tabula non scribantur» (n. 459).

8.º «In litteris dandis et recipiendis eadem, qua Definitores Generales, facultate gaudebit Procurator Generalis; idemque dicatur de ejus auctoritate in foro conscientiae et praesidentia in actibus Communitatis. Domo autem autem exire non possit, nisi de licentia Praepositi vel Vicarii Generalis, si fuerint in eadem domo» (Const. n. 473).

«Elapso officii sui tempore, iisdem privilegiis gaudebit, (Procurator Generalis) quae Definitoribus Generalibus n. 459 conceduntur» (n. 477).

722. II. *Quoad Definitores Provinciales*: 1.º «Definitorum Provincialium officium triennio durabit, quousque novi Definitores creentur; qui, quamdiu Capitulum et Definitorium celebratur, Provinciali proximi ubique assidebunt, et praesidebunt in actibus Communitatis, etiam praesente Priore. Extra Capitu-

lum vero et Definitorium, habebunt praecedentiam ut n. 140 dictum est, et in cunctis suae Provinciae conventibus signum dabunt et praesidebunt in actibus communitatis, omnibus qui loco inferiores sunt Suppriore. Absente Priore, possunt sine licentia Supprioris aut Vicarii non canonice electi domo exire, sicut Priores hospites; nec Supprior aut iste Vicarius faciet eis signum in actibus communitatis. Ipsorum est renovationem votorum recipere, ubi deest Prior, vel Vicarius canonice electus aut a jure, necnon absolutionem generalem impertire diebus a Sancta Sede praefixis» (n. 552).

«Definitores Provinciales simul possint esse Suppriores, non vero Priores neque Vicarii canonice electi; eisque in communi tabula non assignentur officia, quae Supprioribus assignari non solent. In Conventu autem ubi conventuales sunt, gubernabunt domum, si Superior localis et Supprior fuerint absentes» (n. 553)

723. 2.º «Poterunt Definitores sibi invicem scribere, sicut et Religiosis propriae Provinciae, ab iisque litteras accipere, sine eo quod a Superioribus Provinciae aperiantur, et legantur. Hortamur autem Patres Definitores Provinciales, ut parce admodum, et non nisi ex magna Religiosorum necessitate, hac licentia utantur: nam ex abusu hujus legis plura inconvenientia exoriri possunt, quae Provinciam potius destruant, quam aedificent: quod maxime Patres Definitores animadvertere debent, cum ipsis praecipue bonum Provinciae conservare, et augere incumbat» (n. 554)

3.º «Nullus inferior Provinciale vel ejus Vicario seu Visitatore, possit publice Definitores Provinciales corripere, vel de culpis admonere; sed quando opus fuerit, Prior vel Vicarius canonice electus secreto et reverenter id faciat; et, si nihil se prodesse viderit aut speraverit, Provincialem certiorem faciat. Admonemus autem Patres Definitores Provinciales, ut exemplum humilitatis aliis praebeant, et facile in Capitulo, et refectorio semetipsos accusent, juxta bonam nostri Ordinis consuetudinem». (n. 556).

4.º «Definitores Provinciales non designentur zelatores, et ad nullum chori officium assignentur, nisi tantum ad munus hebdomadarii (Ordinar. n. 185): fungentibus tamen officio hebdomadarii vel lectionem statutis diebus cantantibus non assurgetur, nisi ubi solemnibus diebus Praelatorum vices suppleverint» (Ordin. n. 79).

ARTICULUS II

DE DEFINITORIO GENERALI ET EJUS AUCTORITATE

724.—Q. *Quaenam statuta sint quoad Definitorium Generale?*

R. Haec Constitutiones nostrae decernunt:

I. *Quoad illius compositionem*: 1.º «Ex Praeposito, et quatuor Definitoribus Generalibus componitur inter Nos Definitorium Generale, quod post Capitulum Generale primam in Ordine auctoritatem habeat; quam Praeposito Generali committere possit ad aliquem specialem eventum, non tamen universaliter, nisi pro Provinciis extra Italiam, cum ad illas pergit. Praepositus Generalis autem in proximo Definitorio teneatur dicere, an usus fuerit tunc auctoritate sibi concessa, et in quibus casibus; et scribatur in libro Definitorii tam auctoritas illi concessa, quam illius executio vel non usus; teneanturque Definitores hoc petere in primo Definitorio» (n. 460).

«Ad Definitorium Generale spectat decidere dubia circa Ordinarium, Manuale, Instructiones et Formularium, et, si expidere videbitur, aliqua etiam in iis mutare, diminuere vel addere; dubia etiam circa nostras Constitutiones exorta, declaratione practica declarare, et condere acta toti Religioni usque ad Capitulum sequens, dummodo haec omnia non fiant in materia gubernationis, nec contradicant Constitutionibus aut Regulae nostrae ac laudabili Ordinis nostri consuetudini. Nolumus autem impedire recursum ad Praepositum Generalem, qui potest facere id quod est de jure, et non contradicit Constitutionibus». (n. 461).

725. «Ad Definitorium quoque Generale spectat renuntiationem Definitorum Generalium et Procuratoris Generalis admittere, sed tantum extra tempus Capituli Generalis; et in idem officium, nempe Definitorum Generalium seu Procuratoris Generalis vacans ,quousque Capitulum Generale quodcumque celebretur, aliquem sufficere, qui si fuerit Definitor, ultimum inter alios locum habebit; novum quoque Definitorem eligere, cum per mortem Praepositi Generalis primus Definitor est Vicarius Generalis; renuntiationem Praepositi Generalis extra Capitulum Generale admittere, cum tribus e quatuor partibus suffragiorum, nam intra Capitulum ad majorem eiusdem Capituli partem pertinet; renuntiationem quoque Superiorum Provincialium, Sociorum et Substitutorum ad Capitulum Generale acceptare, quando illam faciunt extra Capitulum Provinciale; tempore enim quo Capitulum, quodcumque sit, celebratur, ad ipsum pertinebit acceptare renuntiationem quamlibet ab officio; insuper Definitorem Generalem, Superiorem Provincialem, Definitorem

aut Consiliarium Provincialem officio privare vel suspendere; itemque Procuratorem Generalem, consulta Sede Apostolica, ab officio removere». (n. 462).

«Similiter ad Definitorium Generale spectat ante sexennium expletum, ob causam urgentem, Capitulum Generale convocare; Missiones ad infideles instituere; erigere et admittere novos conventus, itemque fundationes Monialium admittere vel deserere; ab uno loco in alium earum Monasteria intra idem oppidum transferre, Monialesque ab uno in aliud Monasterium mutare, servatis de jure servandis; bona inmobilia omnia, vel mobilia notabilis pretii, ab uno in alium Conventum transferre de consensu Capituli conventualis, praehabita, ubi opus fuerit, S. Sedis licentia; distributiones facere in toto Ordine pro expensis ad bonum commune spectantibus; cum uno aut pluribus conventibus, in iis quae ad mores attinent, ultra tres menses dispensare, non tamen ultra triennium pro una quaque vice; et Dalia quae in Constitutionibus diversis in locis Definitorio Generali reservantur. Ad singula vero ex dictis decidenda, Definitorii Generalis partem majorem, per suffragia secreta, concurrere volumus ,nisi in aliquo casu major numerus suffragiorum a Constitutionibus requiratur» (n. 463).

726. «Ad haec proponenda, Praepositus Generalis poterit congregare Definitorium Generale quoties in Domino judicaverit expedire; postulantibus autem tribus e quatuor Definitoribus, inter quos sit primus, Definitorium congregare teneatur; quod si non fecerit, Definitores Generales congregentur; si ita communi bono expedire judicaverint. Si quis Definitor defuerit die pro Definitorio designato, opportune praemonitis singulis Definitoribus, nisi casus urgeat, vinginti quatuor horas expectetur; quibus transactis, si non accedat, Procurator Generalis subintrabit, vel, eo absente, alius seu alii, si plures defuerint Definitores, eorum loco substituantur, a reliquis per secreta suffragia ad numerum quinarium implendum electi, ita ut semper in quolibet Definitorio quinque cum voto decisivo reperiantur. Substituti ultimo loco sedebunt, et vocem habebunt durante absentia Definitorum. Si vero tres Definitores quacumque ex causa absint, et occurrerit aliqua electio Definitoris Generalis facienda, non fiat in illo Definitorio sed expectetur donec tres saltem ex Definitorio conveniant, nisi mortui sint, vel eorum officia quocumque modo vacaverint; tunc enim Praepositus, Definitor qui aderit et Procurator Generalis cum duobus substitutis ab eisdem electis, electionem Definitorum faciant» (n. 464).

«Definitorium Generale congregatum sine Praeposito, vel absque ejus consensu, eo ipso sit nullum, praeterquam in casibus per nostras Constitutiones expressis» (n. 465).

727. «Proponet in Definitorio Praepositus vel Praesidens quae dicenda occurrunt. Si vero aliqua ipse praetermiserit, vel

quavis de causa proponenda videantur, quilibet Definitor, sentiente alio ex Definitoribus proponi debere, petita venia, poterit ea proponere, ut decidantur. Ut vero maturius omnia examinentur, graviora dubia ab una in aliam sessionem in scriptis proponantur. Secretarius Definitorii Generalis juramentum fidelitatis proprii muneris fungendi praestet, quemadmodum supra n. 430 dictum est» (n. 466).

«Quidquid vero in Definitorio Generali juxta Constitutiones definitum fuerit, Pater Praepositus exequetur juxta mentem Definitorii, quoad tempus, modum et alias circunstantias; quod nisi praestiterit, primus Definitor in Definitorio aut seorsim coram aliio Definitore, si adesse possit, illum admodum reverenter admoneat; cui admonitioni nisi paruerit, in Generali Capitulo suae correptionis tempore pro culpae modo puniatur» (n. 467).

728. «Cum Praepositus versatur extra Italiam Definitorium Generale clausum est; attamen Vicarius Generalis in aliquo casu urgenti, consentientibus cum eo reliquis Definitoribus, poterit Definitorium Generale canonice congregare; in quo Definitorio, nisi Praepositus consenserit, non possint agere de fundationibus, nec de expulsione Religiosorum, nec de depositione alicuius Praelati, nec de acceptatione renuntiationis, nec de derelictione alicujus Monasterii seu Conventus. De actis vero in Definitorio, Vicarius Generalis Praepositum certiorem faciat» (n. 471).

ARTICULUS III

DE DEFINITORIO PROVINCIALI EJUSQUE AUCTORITATE

729. Definitorium Provinciale, quod ex Patre Provinciali et quatuor Definitoribus componitur, post Capitulum Provinciale habet primam auctoritatem in Provincia; quam Provinciali universaliter committere non possit, nisi ad peculiarem aliquem casum. Secretarius autem Definitorii juramentum fidelitatis praestet, quemadmodum n. 382 de Secretariis Capituli Generalis dictum est» (n. 557).

«Hoc ipo tempore, eligentur a Definitorio per vota secreta Vicarius cujuscumque Vicariatus, qui iisdem qualitatibus pollere debet ac Priores, et pariter Magister Novitiorum, ad rem tantam aptissimus. Is, licet Supprioris munere fungatur, Supprior tamen non appellabitur, sed Magister novitiorum; habeatque omnem auctoritatem, quae tum a jure, tum a nostris Constitutionibus ipsi conceditur. Si opus fuerit, eligatur etiam Socius Magistri Novitiorum. Deinde eligentur Magistri recenter Professorum et Studentium, qui sint Suppriores (1); hortamurque

(1) Tam Magister recenter Professorum quam Suppriores Collegiorum, ex praescripto nostrarum Constitutionum, nn. 279 et 285 respective, sunt Magistri spiritus, et ideo iisdem qualitatibus praediti sint, quae in socio Magistri novitio-

electores, ut illos eligant, qui bono communi magis expedire visi fuerint. Suppriores quoque ceteri, et primi Discreti primique Examinatores pro singulis Prioratibus, et primi Consiliarii pro unoquoque Vicariatu, a Definitorio juxta voluntatem cujusque Prioris vel Vicarii, quoad fieri poterit, assignabuntur, ita, ut Prior vel Vicarius quisque proponat unum vel plures quos probat, e quibus a Definitorio per secreta suffragia unus eligatur; quod si Prior vel Vicarius absit, aut ab eo alias nullus proponatur, Provincialis proponet ac Definitorium eliget. Tandem eligantur Philosophiae, Theologiae aliarumque disciplinarum Praelectores, ita tamen ut causa mortis vel infirmitatis possit Provincialis alium substituere usque ad primum Definitorium Provinciale. Demum in Definitorio agetur de Fratrum missione in diversos Conventus, et alia omnia quae occurrent expedientur» (n. 540).

730. Praeter ea quae (supra) n. 540 dicuntur, ad Definitorium Provinciale spectat Conventum Novitiatus, servatis de jure servandis, designare; Vicariatus erigere, vel ad gradum Residentiae reducere; cum uno vel altero Conventu, in iis quae ad mores attinent, per aliquot hebdomadas, sed non ultra tres menses, dispensare; expensas tam pro rebus spectantibus ad bonum commune Provinciae, tam pro Conventibus Religiosorum distribuere, et taxam imponere pro Collegiis nostris, servata debita proportione; bona mobilia non pretiosa, nec valorem decem millia libellarum excedentia, in alios Conventus, prout in Domino videbitur expedire, de consensu Capituli Conventualis transferre; renuntiationem alicujus officii, in quod a Capitulo Provinciali aliquis ordinarie eligi solet, excepta renuntiatione Provincialis, Sociorum et Substitutorum ad Capitulum Generale, extra tamen Capituli tempus, admittere, et in idem officio vacans aliquem eligere; Priorem aut Vicarium eligere in iis Conventibus, qui de novo conduntur, vel ab uno amotum alii Conventui praeficere, et tunc, si talis Prior aut Vicarius fuerit Definitoris Substitutus, non suffragabitur, sed alius loco ipsius eligetur a Provinciali et reliquis Definitoribus pro eo actu; Magistrum Novitiorum, justa tamen gravique causa, in Suppriorem alterius Conventus mutare, aut eum eiusque Socium durante triennio removere, idemque dicatur de quocumque Suppriore; Priorem seu Vicarium officio privare; vocis et loci privatione aliquem infra annum, intra tempus quo Provinciale vel Generale Capitulum celebrandum non est, punire; Priorem aliquem seu Vicarium Conventus ad tempus breve, hoc est infra annum, suspendere, dummodo intra id tempus Capitulum Provinciale seu Generale non celebretur; quo in casu, sicut in praecedenti, si qui

rum requiruntur; quapropter debent esse annos nati saltem triginta, quinque saltem ab annis a prima professione professi.

deliquerint, aliis poenis plectantur, et si necessarium sit, officio, servatis de jure servandis, priventur. Tandem ipsius Definitorii est et alia, quae in Constitutionibus Definitorio Provinciali reservantur, expedire; quae postquam in Definitorio decreta fuerint, Provincialis executioni mandabit» (n. 558).

«Definitorium Provinciale non potest acceptare renuntiationem Prioratus cuiuscumque Prioris intra sex menses ante Capitulum Provinciale. Si vero contingat quod ante inceptum Capitulum Provinciale moriatur aliquis Prior aut Definitor, Definitorium Provinciale eligat alium Priorem aut Definitorem ante ipsum Capitulum» (n. 559).

731. «Ad haec decidenda, bis ad minus singulis annis Definitorium celebretur, tempore ab eodem Definitorio ante Capituli Provincialis dissolutionem, ut omnibus Capitularibus innotescat, praescribendo. Caveatque diligenter Provincialis, ne tempore Definitorii Provincialis alibi Definitores occupet. Ordinamus autem, ut Definitores absentes, qui proxima die ad Definitorium, tempore post Capitulum Provinciale assignato, celebrandum, non accesserint, ultra tres dies non exspectentur, nisi censeatur prorogandum, et dummodo non plures quam duo absint. Tunc alius seu alii, si duo defuerint Definitores, eorum loco substituantur a reliquis per secreta suffragia ad numerum quinnarium implendum, ita ut semper in Definitorio quinque cum voto decisivo reperiantur. In uno autem Definitorio antecedenti, ex duobus assignatis, a Definitorio Provinciali determinetur locus pro sequenti Definitorio, ut omnibus Definitoribus et Conventibus innotescat» (n. 560).

«Definitorium autem Provinciale congregatum sine Provinciale eo ipso sit nullum, praeterquam in casibus per nostras Constitutiones expressis, et insuper quando ipse Provincialis consenserit, ut Definitorium sine ipso celebretur, et praeterea quando, adveniente tempore statuto pro celebrando Definitorio Provinciali ordinario, Provincialis vel Vicarius Provincialis non accesserit: hoc enim casu expectetur per mensem, numerandum a die praefixo ad Definitorium Provinciale celebrandum; quo elapso, si non accesserit, celebretur Definitorium, nisi major Definitorum pars judicaverit illud tempus esse ulterius prorogandum» (n. 562).

«Procurator Provinciae sexto quoque mense Definitorio respectivo vel Consilio rationem reddet administrationis eidem commissae» (n. 620).

Acta Definitorii Provincialis subscribuntur a Provinciali, primo Definitore et Secretario Definitorii. Absente Provinciale, spetat ad Presidentem et ad Definitorem post eum sedentem.

«Transumpta... Decretorum Definitorii, a Provinciale et Definitorii Secretario subscripta, statim per Provincialem ad Definitorium Generale mittantur, ut ea confirmet, aut si opus fue-

rit, moderetur; quae vero fuerint confirmata et moderata, a Provinciale et ejus Secretario subscripta ad Conventus mittantur». (Constit. N., n. 525).

CAPUT VII

DE VICARIIS

Praesens Caput in quatuor dividitur articulos, quorum primus erit de Vicario Generali; secundus, de Vicario Provinciali; tertius, de Vicario Conventus ;quartus, de Vicario Vicariatus.

ARTICULUS I

DE VICARIO GENERALI

732.—Q. *Quisnam sit Vicarius Generalis, deficiente Praeposito Generali?*

R. 1.º «Definitor, a Capitulo Generali primo loco electus, sit eo ipso Vicarius Generalis sive ob mortem Praepositi, sive ob aliam quameumque causam ejus officium vacaverit. Sit etiam Vicarius Generalis Praepositi, quando iste abest ab Italia et insulis adjacentibus, vel infirmitate ita gravi afficitur, ut sua ipsius vel unanimi Definitorum Generalium sententia curam Ordinis gerere nequeat. (n. 400).

«Si primus Definitor Generalis ab officio defecerit, secundus loco ipsius succedet, et similiter ceteri, etiam in officio Vicarii Generalis, quia nemo ex illis potest alium Vicarium eligere». (n. 401).

ARTICULUS II

DE VICARIO PROVINCIALI

733.—Q. *Quotuplex distinguatur Vicarius Provincialis?*

R. Triplex distinguitur nempe: 1.º Vicarius Provincialis, obeunte Provinciale in secunda medietate sui triennii, quo in casu primus Definitor erit a jure Vicarius Provincialis, et tunc eligatur quartus Definitor a Praesidente et reliquis Definitoribus» (Const. n. 547), et idem dicendum si ob aliam quamcumque causam Provincialis officium vacaverit.

2.º Quando Provincialis abest a Provincia ultra mensem, ipso jure, est etiam Vicarius Provincialis primus Definitor Proviincialis» (n. 547).

3.º Vicarius Provincialis Semiprovinciae ad normam nostrarum Constitutionum, n. 483.

ARTICULUS III

DE VICARIO CONVENTUS

734.—Q. *Quotuplici modo Vicarius conventus constitui possit?*

R. Triplici modo, nempe: 1.º a jure, 2.º per absentiam legitimi Superioris, 3.º per electionem a conventu canonice factam.

Supprior triplici in casu a jure Vicarius constituitur, nempe: 1.º obeunte Priore, vel ejus officio, quacumque ex causa vacante, Supprior erit de jure Vicarius conventus, quousque novus Prior sui officii possessionem acceperit (Const. n. 584).

2.º Absente Priore a conventu saltem ultra triduum, Supprior erit Vicarius (n. 584).

3.º Erit similiter Vicarius (Supprior) cum Prior ad Capitulum Provinciale, sive ordinarium sive extraordinarium, accesserit, nisi ipse in Socium eligatur, aut sit Definitor, aut alia causa legitima impediatur: quo in casu eligi debet a Conventu Vicarius, qui interea illum gubernet; idemque fieri debet in Vicariatu, si Vicarius ipse electus fuerit Procurator ad Capitulum». (n. 584).

735.—Q. *Quisnam possit designare Vicarium conventus?*

R. 1.º «Prior dum in conventu adest, Vicarium eligere nequeat: cum autem recedit extra Conventum ultra triduum, abfuturus, succedit in gubernatione domus Supprior. (n. 584).

736.—Q. *In quonam casu Vicarius constituatur per electionem a conventu canonice factam?*

R. In casu, quo Supprior eligitur in Socium ad Capitulum Provinciale, aut si forte conventus Suppriore careat, Vicarius a conventu eligetur, qui conventum interea gubernabit. (Cfr. Const. n. 584).

737.—Q. *An Vicarius, loco Praelati substitutus, eadem ac ipse Praelatus gaudeat potestate?*

R. Communiter docent auctores, Vicarium, qui in loco Praelati defuncti vel amoti constituitur, eadem ac ipse Praelatus gaudere potestate; secus vero dicendum de Vicario, qui a Praelato pendet, eique in adjutorium datur, etiamsi absens sit Praelatus.

Ceterum inspiciendae sunt leges seu dispositiones particulares cujuslibet Ordinis; quia in eis potestas Vicarii ejusmodi saepius determinatur.

ARTICULUS IV

DE VICARIATIBUS, DE RESIDENTIIS, ET DE CONVENTIBUS DEFINITORIO GENERALI IMMEDIATE SUBJECTIS

738. «Domus nostrae, quae Vicariatus sunt ad normam Constitutionum nostrarum, gubernantur a Vicario electo a Definitorio Provinciali, qui in officio sit per triennium, quo exacto, potest ad idem munus iterum assumi, sed non tertio immediate in eadem domo.

Quandocumque tamen Vicarius officio functus eligi potest ad alia quaelibet officia, etiam de non ambiendo» (n. 345).

«Vicarius eadem auctoritate et dignitate gaudebit sicut Prior in suo Conventu, quin tamen vocetur, *Noster Pater*; et sigillo uti poterit cum stemmate Ordinis et inscriptione: Vicarius Conventus N. N.» (N. 346).

739. «Vicarius ultra diem a suo Conventu abfuturus deputabit unum ex Patribus conventualibus, qui ceteris praesideat; si vero neminem deputaverit, Domus gubernetur a primo Capitulare, eoque pariter absente, a secundo. Si tamen aliquis Definitor ibi ut Conventualis commoretur, ipsi in absentia Vicarii competit gubernatio Domus; quod similiter observandum est obeunte Vicario, usque dum novus electus sit a Definitorio Provinciali» (n. 347).

740. «Pro officio suo rite obeundo Vicarius habeat duos Consiliarios, quorum primus eligetur a Definitorio Provinciali, alter vero a Conventu. Ab illis consensum vel consilium Vicarius exquirere debet eodem prorsus modo, quo Prior a suis Discretis. Primus autem Consiliarius sit eo ipso primus Examinator conventualis; secundus vero Examinator a Conventu eligatur» (n. 348).

«Pro Fratribus autem Donatis constituatur Pater, qui eorum curam spiritualem gerat eosque per singulas hebdomadas diligenter erudiat» (n. 349).

«Administratio bonorum in Vicariatibus eodem fere modo fiat quo in Prioratibus; omnes igitur pecuniae reponantur in arca trium clavium, quarum una sit penes Vicarium, ceterae penes Consiliarios, cum quibus Vicarius singulis mensibus computum accepti et expensi, necnon onerum et satisfactionum Missarum accurate revideat et subscribat» (n. 350).

741. «Quotiescumque ex nostris legibus convocandum est Capitulum vocale, sive pro emendis aut alienandis bonis, sive pro quolibet alio negotio magni momenti, Vicarius illud convocare tenetur, ut res a Capitularibus per secreta suffragia decidatur» (n. 351).

«Fratres nostri in Vicariatu commorantes ad divinum Officium choraliter persolvendum, ad orationem mentalem, capitulum culparum ceterosque actus communes peragendum omnes diligenter conveniant. Quoad Missas vero et Officia canenda, servetur Tabella pro Vicariatibus praescripta; Horaria quoque serventur pro ipsis approbata circa distributionem actuum Communitatis» (n. 352).

«Quaecumque a Regula, Constitutionibus, et Ordinationibus nostris praecipiuntur, et cum exiguo Fratrum numero componi possunt, nempe recessus, silentium, abstinentia a carnibus, lectio in mensa saltem per breve tempus et cetera hujusmodi, accurete observentur, ne Religiosi in Vicariatibus commorantes a spiritus fervore tepescant» (n. 353).

742. «Quae modo pro Vicariatibus statuta sunt, observentur, congrua congruis referendo, etiam in nostris Residentiis, quantum cum parvo numero Religiosorum, ibi degentium congrue componi possint. Residentiae autem domus gubernabitur a Praeside, qui a Superiore Maiore nominabitur; et quidem ad tempus illi benevisum; isque habebit facultates, quas Superior Maior ipsi contulerit. Superior tamen qui eum constituit adiungat ei unum vel alterum Consiliarium, qui Praesidem adiuvent in administratione bonorum et a quibus ille dependeat. Si tamen agatur de negotiis magni momenti, quaecumque decisio a Superiore Majore approbanda est. Bis autem in anno Praeses rationem reddat in scriptis Definitorio Generali vel Provinciali respective de acceptis et expensis, necnon de satisfactione Missarum» (n. 354)

«Curent Superiores nostri, ne Residentiae vel Vicariatus nimis multiplicentur in aliqua Provincia cum detrimento observantiae; et ubi suppetat sufficiens numerus Religiosorum, omnino ad Vicariatus vel Prioratus respective gradum evehantur». (n. 355).

743. «Conventus nostri, qui quacumque de causa immediate subjecti sint Definitorio Generali, quoad actus vitae regularis et administrationem bonorum sese conformari debent Coenobiis ejusdem conditionis in Provinciis, Prioratus nempe Prioratui, Vicariatus Vicariatui, Residentia Residentiae, cum onere tamen interpellandi Praepositum aut Definitorium Generale in casibus, in quibus Conventus in Provinciam redacti tenentur exquirere consensum Provincialis eiusve Definitorii. Praepositus autem vel Definitorium Generale huiusmodi Conventibus providebit quoad omnes illas electiones seu nominationes, quae alias a Capitulo vel Definitorio Provinciali, vel a Superiore Provinciali ad normam Constitutionum fieri debeant» (n. 356).

SECTIO II

DE REGIMINE REGULARIUM AD EXTRA

Praesens Sectio in quatuor dividitur capita, quorum primum tractabit de habilitate Regularium ad munia ecclesiastica; secundum, de jure exercendi sacrum Ministerium; tertium, de iis, quae spectant ad Congregationes virorum votis solemnibus carentium; quartum, de iis quae Regularibus sunt prohibita.

CAPUT I

DE HABILITATE REGULARIUM AD MUNIA ECCLESIASTICA

744.—Q. *An Regulares sint habiles ad exercenda munia ecclesiastica?*

R. 1.º Regulares non minus ac saeculares Clerici sunt profecto habiles ad munia ecclesiastica exercenda. Et verum, si Regulares ad hoc essent inhabiles, id provenire deberet, sive ex eo quod exercitium hujusmodi repugnaret essentiae status religiosi, sive ex eo quod id ipsis esset prohibitum ab Ecclesia; sed neutrum dici potest.

2.º Et re quidem vera, hujusmodi exercitium minime repugnat essentiae status religiosi; siquidem essentialis statui religioso finis est, ut per tria consilia evangelica perpetuo voto confirmata, ad perfectionem christianam acquirendam tendatur. Quod autem Instituta religiosa variis modis hunc finem sibi assequendum proponunt; alia nempe officiis caritatis erga proximum sese impendendo; alia contemplationi exclusive vacando; alia sacrum ministerium exercendo; id status religiosi essentiae accidentale est. Nam non minus essentiam status religiosi habet Ordo, qui per praedicationem, juventutis educationem, sacri ministerii exercitium, pauperumve in hospitalibus servitium ex proprio Instituto proximum juvat, quam qui divinis laudibus et orationi seu contemplativae vitae se totum addidit: sunt nimirum variae istae status religiosi formae omnino accidentales, et sive cum una, sive cum altera, potest status religiosi essentia consistere. Quo semel admisso, jam potest statui religioso et essentiali ejusdem fini nequaquam repugnare, ut Religiosus deputetur ad munia ecclesiastica exercenda, vel ad ministranda ex officio Sacramenta, et dispensandum divini verbi pabulum alicui sibi assignato populo. Id enim non repugnat voto castitatis, ut patet ex exemplo sacerdotum saecularium eodem voto castitatis obstrictorum; neque voto obedientiae, quia Religiosus ea munia non suscipit nisi ex mandato, vel saltem cum licentia sui Superioris, eaque non exercet nisi dependenter a voluntate ipsius

Superioris; neque voto paupertatis, quia etsi exinde proveniant aliqua emolumenta temporalia, nihil tamen proprii acquirit; sed habet dumtaxat usum et administrationem eorum juxta limites per votum paupertatis assignatos. Porro usus et administratio hujusmodi nullatenus laedunt votum paupertatis. Tandem non repugnat obligationi prosequendae perfectionis; quia officia caritatis erga proximum, illaque officia ad bonum Ecclesiae suscepta et exercita, nedum obstent perfectionis prosecutioni, optimum e contra medium censenda sunt ad christianam perfectionem acquirendam. Quod adeo verum est, ut plurima Instituta religiosa ejusmodi medium tamquam sibi proprium elegerint.

3.º Neque hujusmodi exercitium ab Ecclesia est prohibitum. Adversarii quidem provocare contendunt ad antiquam disciplinam, mentemque Ecclesiae, quatenus illud Regularibus fuit olim prohibitum, et subdole expiscatis nonnullis textibus, incautos decipere intendunt. At frustra hujusmodi textus obtruduntur, quibus prohibentur *Monachi*, ne Clericorum muniis et gradibus sese immisceant. Centies jam responsum est, agi in hisce textibus de Monachis illis, qui ex peculiari suo Instituto Laici permanere, et vitae contemplativae exclusive vacare proposuerant. Ceterum error hujusmodi facile refellitur ex praxi constanti ipsius Ecclesiae; nunquam enim in Ecclesia defuisse Religiosos vitae *activae* seu *apostolicae* addictos, satis compertum est.

Quae cum ita sint, concludit Bouix (II-8), ex antiquitatis documentis, ex Patrum traditione, ex perenni Ecclesiae praxi, necnon ex expressis ipsius Decretis, omnino certam esse atque admittendam Regularium ad clericalia munia habilitatem. Hanc negare non libera inter catholicos opinio, sed apertus est et multoties damnatus error.

745.—Q. *An Regulares sint habiles ad munus parochiale?*

R. Munus parochiale status religiosi essentiae nequaquam repugnat, ut ex supradictis in praecedenti quaestione luculenter patet. (Cfr. C. Tr. Sess. 25, c. 11, de Regul.)

De jure communi potuisse aliquando parochiae saeculares Regularibus conferri, etiam in titulum, id omnino compertum est. At de *Jure hodierno* haud posse parochias saeculares Regularibus conferri, absque dispensatione Pontificia, certum est, ut constat ex Const. Leonis XIII Romanos Pontifices. (Coll. P. F., n. 423), et ex Decreto S. Congr. Consist., die 5 Julii 1915, constat quod facultas concedendi Religiosis paroecias saeculares spectat ad S. Congr. Concilii, firma tamen obligatione pro Ordinibus et Congregationibus religiosis obtinendi a S. C. de Religiosis necessariam facultatem vel dispensationem, si ipsorum constitutiones et regulae eis prohibeant paroecias retinere et regere. (Acta A. S., VII, 327).

Religiosae tamen Congregationes virorum votis solemnibus carentes non videntur comprehendi sub dicto jure hodierno.

Insuper ex eo quod hodie Regularibus conferri nequeant parochiae saeculares absque Indulto Apostolico, haud sequitur nunquam *expedire,* ut ipsis conferantur. Eae siquidem possunt esse alicujus civitatis vel dioecesis circumstantiae, ut Episcopus sibi merito persuadeat, id in summam utilitatem, tum dioecesanorum, tum etiam ipsius Ordinis religiosi cessurum. (Cfr. Bouix II-52).

746.—Q. *Quaenam a Jure statuta sint quoad Regulares, qui animarum curam in saeculares personas exercent?*

Si a Sede Apostolica paroecia domui religiosae *pleno jure* uniatur, paroecia fit religiosa, et Superior potest sacerdotem e sua religione ad curam animarum exercendam nominare, sed Ordinarii loci est eundem probare et instituere, ejusque jurisdictioni, correctioni et visitationi ipse subesse debet in iis rebus quae ad curam animarum pertinent, ad normam can. 631 (can. 1425, § 2) (1).

«Ad paroecias religiosis concreditas Superior, cui ex constitutionibus id competit, sacerdotem suae religionis praesentat Ordinario loci; qui eidem, servato praescripto can. 459, § 2, institutionem concedit» (can. 456).

747.—Q. *Quodnam jus Episcopo competat circa pastoralem visitationem Ecclesiae parochialis et personae parochi Regularis?*

R. Haec decrevit Benedictus XIV: 1.º «In exsequenda pastorali visitatione ecclesiarum parochialium, quae a Regularibus administrantur, minime quidem licet Episcopo omnia ecclesiarum hujusmodi altaria visitare, sed illud dumtaxat in quo SS. Eucharistiae Sacramentum asservatur, et consequenter sacrum ipsum Tabernaculum; fontem quoque Baptisterii, si adsit; item confessionale, in quo parochus ad audiendas confessiones residere solet; pulpitum ecclesiae, a quo parochus jus habet verbi Dei, juxta praecipuum ministerii sui munus, annuntiandi; sacrarium pariter ecclesiae, ad inspiciendum locum in quo asservatur sacra suppellex pro Sacramentis administrandis; sepulcrum excipiendis subditorum parochiae corporibus addictum; caemeterium parochianorum humandis cadaveribus destinatum;

(1) Unio paroeciae domui religiosae duplicis speciei est: 1.ª unio *non pleno jure,* nempe ad temporalia tantum quod attinet, ad dotem monasterii augendam; in hoc casu Superior religiosus sacerdotem e elero saeculari in eadem instituendum, assignata congrua portione, Ordinario loci praesentare debet (Can. 1425, § 1): 2.ª est *pleno jure,* de qua supra. Cfr. Pesjka, p. 208.

turrim campanariam, dummodo in ea sint campanae ad parochiam proprie spectantes; ac demum, praeter res supra enuntiatas, omnia vasa sacra, quibus vel particulae consecratae servantur, vel sacra Olea, sive in Baptismo, sive in extrema Unctione adhibenda; vel aqua Baptisterii, vel alia rite benedicta, quae ingredientium aspersione ad ecclesiae fores dari consuevit.

2.º Visitationi locali proxima est ea, quae personam respicit parochi; cujus quidem, si Regularis sit, agendi rationem, in iis, quae spectant ad observantiam proprii ipsius Regularis Instituti, non est Episcopi inquirere, quum ad ipsius Superiorem Regularem privative pertineat. Licet tamen Episcopo, vel potius ipsi specialiter incumbit, ipsius parochi seu curati, etiam Regularis, vitam ac mores scrutari, quatenus ea, quae extra claustra prodierunt, rectoris animarum exempla, plurimum conferre ad populi aedificationem, vel contra eidem obesse, maxime possunt, quemadmodum alias eadem C. Trid. Congregatio sapienter decrevit, et Nos etiam eorumdem praesentium tenore decernimus et statuimus et ad nomam can. 631, § 1, statuentis quod idem parochus vel vicarius religiosus, licet ministerium exerceat in domo seu loco ubi majores Superiores religiosi sedem habent, subest immediatae omnimodae jurisdictioni, visitationi et correctioni Ordinarii loci, non secus ac parochi saeculares, regulari observantia unice excepta.

3.º Ad personalem quoque parochi visitationem proindeque ad Episcopi jus et officium pertinet ea occasione examinare, an legitimo titulo parochus animarum curam exerceat; an legem residentiae observet; an ad Synodum accedat; an conferentias super casibus conscientiae haberi solitas frequentet; an omnia munera pastoralia adimpleat; an Missam pro populo applicet diebus debitis; item an pabulum verbi Dei praedicaverit, et pueros in doctrina christiana instruat, an Sacramenta debito tempore administret et sanis et aegrotis; an pueros ante primam Communionem et Confirmationem opportunis instructionibus erudierit; an nupturientes debite interrogaverit; an libros parochiales recte ordinatos retineat.

4.º Uno verbo, quidquid Episcopus a parocho saeculari exquirere et exigere solet et debet, id omne, regulari observantia unice excepta, a parocho Regulari exquirere et exigere potest. At, ubi hunc muneri suo defecisse compererit, oportuna decreta condere ac meritas in eumdem poenas infligere potest; in quo nihilominus Episcopi facultates minime privativae sunt; sed Praesul Regularis jus cumulativum cum ipso Episcopo habet; ita tamen, ut si aliter a Superiore Regulari, aliter ab Episcopo decerni contingat, hujus non vero illius decretis sit standum, prout alias a C. C. Tr. interprete judicatum fuit, Nosque Apostolica auctoritate probamus, confirmamus atque decernimus. *Privativum* tamen Episcopi jus est, in parochianorum mores inqui-

rere, ac si quae inter ipsos scandala oborta fuerint, auditis proborum ac prudentium virorum sinceris relationibus, de iis cognoscere eaque opportunis remediis resecare et reformare; nec enim Superioribus Regularibus in hujusmodi saeculares parochiae subditos ulla competit jurisdictio. (Cfr. Const. Ben. XIV, Firmandis, § 7-10. Apud Coll. P. F. n. 408, et can. 631, § 2). Cfr. Fanfani, n. 347.

748.—Q. *Quaenam sint jura, tum Episcopi, tum Superioris Regularis in amotione parochi Regularis?*

R. Eveniente autem casu, quo vel Episcopus vel Superior Regularis aliquem ex praedictis parochis ab exercitio curae removendum, eademque privandum esse judicaverint, quoniam hujusmodi parochis, sine praevia Episcopi approbatione, ad curam animarum accedere nequaquam licet, quamvis a suis Superioribus deputati, iidemque ad nutum sint amovibiles; dubitatum propterea fuit, an Episcopus posset ad hujusmodi remotiones procedere sine Superioris Regularis consensu, et an remotionis causas eidem adducere, easque verificare deberet, tum etiam an Regularis Superior ad similem remotionem et privationem suo jure deveniens, consensum Episcopi exquirere, suasque agendi rationes illi notas atque probatas facere teneretur. Qua de re supradicta C. C. decrevit hujusmodi parochos tam ab Episcopo, quam a Superiore Regulari, aequo jure, non requisito alterius consensu, ab animarum cura removeri posse, nec unum alteri causam judicii sui aperire, multoque minus probare et verificare debere. Id quod a Nobis in omnibus approbatur et confirmatur. (l. c. § 11). Idem praescribit Codex J. C., can. 454, § 5, his verbis: «Parochi autem, ad religiosam familiam pertinentes, sunt semper, ratione personae, amovibiles ad nutum tam loci Ordinarii, monito Superiore, quam Superioris, monito Ordinario, aequo jure, non requisito alterius consensu: nec alter alteri causam judicii sui aperire multoque minus probare tenetur, salvo recursu in devolutivo ad Apostolicam Sedem». Jus recurrendi, non ad subditum, sed ad Episcopum vel Superiorem pertinet.

749.—Q. *Quando in parochiali ecclesia unita Monasterio nominetur in Vicarium curatum unus ex Religiosis, an necesse sit cum eo habitare quatuor alios Religiosos, prout praecipit S. Pius V?*

R. Equidem S. Pius V in Bulla sua, *Ad exsequendum*, ita sanxierat: «habitent cum eo saltem quatuor alii ex dictis Monachis» sed ejus successor Gregorius XIII dispositionem hanc mutavit. Voluit nempe, ut *unus* dumtaxat Religiosus Vicario cu-

rato in socium addiceretur. Quinimo, juxta Reiffenstuel consuetudine introduci potest, ut unus solus sit in parochia, prout de facto in aliquibus locis introductum videmus. (Cfr. Bouix II-32).

750.—Q. *Quaenam statuta sint in Constitutionibus nostris quoad conventus, quibus annexa est cura animarum?*

R. Haec quae sequuntur: «Prohibemus eorum conventum receptionem, quibus animarum cura adnexa est, nisi justa gravique de causa Definitorio Generali, in casu aliquo particulari, dispensandum videatur; idemque decernimus de iis ecclesiis, ubi, etsi Religiosorum esse possint, a saeculari parocho cura geritur animarum. At in terris infidelium cura animarum a Fratribus nostris exerceri poterit» (n. 203).

751.—Q. *Quaenam statuta sint quoad Regulares Missionarios?*

R. «Quod spectat ad sodales religiosos, eadem Congregatio (de Propaganda Fide) sibi vindicat quidquid religiosos qua *missionarios,* sive uti singulos sive simul sumptos, tangit. Quidquid vero religiosos qua tales, sive uti singulos sive simul sumptos, attingit, ad Congregationem religiosorum negotiis praepositam remittat aut relinquat» (can. 252, § 5).

Religiosi, qui in territoriis huic S. Congregationis subjectis operarii instituuntur apostolici, multiplici ratione a Vicariis et Praefectis Apostolicis dependent: Statim, cum ad missionem advenerint, litteras patentes propriae destinationis eis exhibeant (can. 295, § 1); licentiam sacri ministerii exercendi petant (can. 295, § 2); jurisdictioni, visitationi et correctioni eorum subjiciuntur in iis quae pertinent ad missionum regimen, curam animarum, sacramentorum administrationem, scholarum directionem, oblationes intuitu missionis factas, implementum piarum voluntatum in favorem missionis; in conflictu mandatorum Superioris missionis et religionis jus prioris praevalet (can. 296, § 1 et 2); qui etiam dissidia inter missionarios componunt (can. 298). Cfr. Appendicem nostrarum Constitutionum, n. 27 seq. De nostris Missionibus earumque gubernatione.

752.—Q. *Quaenam officia ecclesiastica a nostris Religiosis extra Ordinem acceptare possint?*

R. «Examinatores vero synodales, Poenitentiarii, Consultores Sacrarum Congregationum, Visitatores, et qui similia munera publica extra Ordinem habent quae sine Praepositi, vel Provincialis venia a Religiosis nostris acceptari nequeunt, ad sua officia exercenda petita benedictione foras exire poterunt». (Const. n. 107.

753.—Q. *An Regulares absque Indulto Pontificio, obtinere valeant beneficium simplex saeculare, v. gr. canonicatum in cathedrali?*

R. Negative; regula enim generalis est conferenda esse beneficia *regularia Regularibus, saecularia saecularibus.* Quam regulam omnino certam faciunt plures textus Juris. (Cfr. Bouix, p. II, 55).

754.—Q. *An regulares eligi possint in examinatores synodales?*

R. Affirmative ex declaratione S. Congr. Consist. 3 Oct. 1910 (1); sunt enim unum et idem ac examinatores de quibus statuit Trid. Synodus cap .18, sess. 24 de reform. «Sint vero hi examinatores Magistri seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut Jure canonico, vel alii Clerici, seu Regulares, etiam ex Ordine Mendicantium». Possuntque ad id officium eligi regulares, etiam doctoratus et licentiae gradu carentes, si non existant in dioecesi Doctores aut Licentiati, vel si Doctores et Licentiati in dioecesi existentes haud idonei sint. (Cfr. Bouix, II, 56).

755.—Q. *An Regulares possint esse Vicarii Generales Episcopi?*

R. Affirmative, ad normam can. 637, § 2: «Si dioecesis alicui religioni commissa fuerit, Vicarius Generalis potest esse ejusdem religionis alumnus». Alias debet esse sacerdos e clero saeculari.

756.—Q. *An Regulares promoveri possint ad gradus academicos?*

R. Affirmative, accedente tamen licentia Superioris, nisi id sit prohibitum ex statutis propriae Religionis. Et verum id nullatenus alienum est a statu religioso, prout late probat S. Thomas in suo opusculo *contra impugnantes Religionem,* necnon S. Antoninus (p. 3, tit 5, c, 2, § 3) et confirmat praxis. Quinimo ex privilegio Apostolico promoveri possunt ad doctoratum, etiam extra publicas Universitates, ex auctoritate Praelatorum Religionis, prout Innocentius VIII concessit Dominicanis, Julius III Societati Jesu, et per communicationem privilegiorum id etiam aliis Religionibus competit.

Quoad Nos negandum est, nam Constitutiones statuunt «ut nec in sermone inter nos aliquid singulare sit, prohibemus Fratribus nostris, quemcumque Doctorum, seu Magistrorum, aut alterius cujusvis nominis gradum accipere, nisi alicubi humana-

(1) Acta A. Sedis. II. 854.

rum vel sacrarum scientiarum tradendarum ratio aliter exigat; tunc enim Definitorium Generale dispensare poterit, ut aliqui Religiosi, scientia et virtute probati, gradus academicos acquirant, quin ob id aliqua exceptione gaudeant, aut ejusmodi nominibus inter nos appellentur» (n. 128).

757. — Q. *An Regulares eligi possint in Episcopos et Cardinales?*

R. Affirmative, jure enim et praxi constat, accedente tamen Superioris licentia, sicut supra n. 115 dictum est. Quod autem attinet ad Religiosos Ordinis nostri ad Episcopatum promovendos, vide ea, quae supra n. 249 dicta sunt.

758. — Q. *An expediat, ut Regulares in Episcopos assumantur?*

R. 1.º Per se, seu attenta status Religiosi natura, affirmandum est. Ratio est, quia episcopatus requirit viros christianis virtutibus solide fundatos, humilitate potissimum, abnegatione sui, divitiarum et rerum mundanarum contemptu, necnon virili in perferendis adversis patientia. Porro ad instruendos hisce virtutibus Clericos, multo de se aptior schola est status religiosus, quam vita in saeculo transacta, ut patet. Item Episcopis, utpote qui lux mundo esse debent, necessaria est, non aliqualis, sed longo et perseveranti studio comparata scientia ecclesiastica. Porro ad eam uberem et solidam acquirendam doctrinam multo magis idoneam esse Religiosorum experientia testatur: multi enim in singulis Ordinibus Religiosi ejusmodi addiscendis disciplinis strenue ac per multos annos incumbunt, opportunum ad id otium etiam praebente proprio ipsorum statu: e saeculari autem Clero, perpauci. Dicitur autem *per se seu attenta status religiosi natura*: nam ob peculiares temporum vel locorum circumstantias contingere potest, ut e regulari Clero Episcopos assumi haud expediat.

Item etiam ex parte ipsius Religionis, ex qua Religiosus assumitur, contingere potest, ut non expediat, ne Ordo nimirum debilitetur, si dum paucos forte habeat eximiae virtutis et doctrinae viros, ipsorum praesidio atque ornamento defraudetur. (Cfr. Bouix, II-65).

CAPUT II

DE JURE REGULARIUM SACRUM MINISTERIUM EXERCENDI

In hoc capite expendendum est jus Regularibus competens exercendi sacrum ministerium, relate ad SS. Eucharistiae Sacramentum, S. Tribunal Poenitentiae et praedicationem Verbi Dei. Unde in quatuor dividitur articulos, quorum primus erit de jure

Regularium exercendi sacrum ministerium in genere; secundus, de iis quae pertinent ad SS. Eucharistiam; tertius, de iis quae spectant ad Sacramentum Poenitentiae; quartus, de ministerio praedicationis Verbi divini.

ARTICULUS I

DE JURE REGULARIUM EXERCENDI SACRUM MINISTERIUM IN GENERE

759.—Q. *Quid veniat nomine sacri Ministerii?*

R. Nomine sacri Ministerii tria potissimum intelliguntur, nempe: Missas celebrare, adstantibus fidelibus, necnon eisdem S. Eucharistiam porrigere; saecularium confessiones audire; et populo verbum Dei praedicare. Quod Regulares habeant jus sacrum ministerium exercendi, omnino certum est, et jure luculenter constat. At, imprimis refellendi sunt errores circa illud punctum ab adversariis Regularium propugnati.

760.—Q. *Quinam sint praecipui errores circa illud punctum?*

R. 1.º Guillelmus a S. Amore, qui a SS. Thoma et Bonaventura fuit confutatus, contendebat non esse permittendum Regularibus ut praedicarent, confessiones fidelium audirent, ad doctoratum et cathedras in publicis academiis admitterentur; quia, juxta ipsum, sacri ministerii exercitium cum natura et fine status religiosi pugnat.

2.º Ille error renovatus fuit a Jansenistis in synodo Pistoriensi, et constat ex Bulla *Auctorem Fidei,* prop. 80.ª.

3.º Tandem idem error hisce temporibus in Belgio fuit propugnatus a Mariano Verhoeven, Doctore in Universitate Lovaniensi, juxta quem Regulares non sunt instituti, nisi in subsidium tantum et defectum Cleri saecularis, ita ut Episcopus non teneatur Regulares sacerdotes ad saecularium confessiones audiendas assumere, ubi Clerus saecularis his muniis subeundis aptus et sufficiens est.

761.—Q. *Quomodo errores illi refellantur?*

R. Haec omnia omnino erronea esse, satis constat ex eo, quod plures Ordines religiosi a Sede Apostolica approbati et confirmati fuerint cum illa speciali missione sacrum ministerium exercendi, ut luculenter patet ex eorum Constitutionibus, et si praedicta adversariorum vera essent, hujusmodi Instituta suum finem persaepe attingere non valerent. Praeterea constat ex condemnatione propositionis 80.ae Synodi Pistoriensis prout sequitur: Regula prima, quae statuit universe et indiscriminatim statum regularem aut monasticum natura sua componi non posse

cum animarum cura, cumque vitae pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse ecclesiasticae hierarchiae, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitae monasticae principiis: *Falsa, perniciosa*: *in sanctissimos Ecclesiae Patres et Praesules, qui regularis vitae instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt, injuriosa*; *pio, vetusto, probato Ecclesiae mori SS. Pontificum sanctionibus contraria*: Quasi Monachi, quos morum gravitas, et vitae ac fidei institutio sancta commendat, non rite, nec modo sine Religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiae *Clericorum* officiis aggregentur.

Patet etiam ex variis Juris dispositionibus; sufficiat referre Const. *Superna,* 21 Junii 1670, Clemens VIII, ubi dicitur § 3: Episcopum non *debere absque justa et rationabili* causa denegare licentiam praedicandi; et licentiam semel concessam posse quidem suspendere, sed ob rationabiles causas licet occultas, praedicationem tamen concernentes, *nec posse generatim prohibere Regularibus quin in ecclesiis suorum Ordinum praedicent.* Ergo sufficientia sacerdotum non est ratio sufficiens denegandi Regularibus prohibere, etiam ob causam praedicationem ipsam non concernentem.

Constat insuper pro sacramento Poenitentiae ex eadem Const. ubi dicitur: illos Religiosos, qui ad confessiones audiendas *idonei generaliter reperti fuerint* ab Episcopo, *generaliter quoque* et indistincte absque aliqua limitatione temporis certorumque locorum aut generis personarum in *dioecesi propria admittendos.* Quoad ceteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare et admittere.

Regulares vero... absque ulla temporis praefinitione ab ipsomet Episcopo... approbatos (secus, si ab ejus Vicario aut ab antecessoribus Episcopi) non possunt ab eodem, qui sic approbavit iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas, revocari, nisi nova superveniente causa, quae *ipsas confessiones concernat*; de qua tamen haud necessarium esse ut in actis constet; nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicae dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit.

Item patet ex can. 878, § 2: «Caveant tamen locorum Ordinarii ac religiosi Superiores ne jurisdictionem aut licentiam sine rationabili causa nimis coarctent».

Haec manifeste probant sufficientiam Cleri saecularis non esse rationem justam ac rationabilem, juxta dispositionem Juris, excludendi Regulares a sacro Ministerio Sacramenti Poenitentiae. (Cfr. Bouix II-254 et Craisson. Man. n. 2868-2895).

ARTICULUS II

DE IIS, QUAE PERTINENT AD SS. EUCHARISTIAE SACRAMENTUM ET SS. SACRIFICIUM MISSAE

§ I. DE ASSERVATIONE SS. EUCHARISTIAE SACRAMENTI

762.—Q. *An Regulares possint in ecclesiis suis SS. Eucharistiam asservare?*

R. De Jure communi SS. Eucharistia asservari potest in ecclesia adnexa domui religiosorum exemptorum sive virorum sive mulierum (can. 1265, § 1, n. 1.º).

Regulares, absque Indulto Apostolico, nequeunt asservare SS. Eucharistiam in granciis seu domibus ruralibus, neque in eorum Oratoriis internis, vel infirmariis, nisi gravissimis de causís, v. gr. si ecclesia publica vel publicum oratorium corruisset, aut simili quocumque eventu impeditum fuisset. (Cfr. N. R. C. 7-534).

Ubi vero per Indultum pro gratia aliquando conceditur in domibus religiosis asservare SS. Sacramentum, adduntur Indulto plerumque conditiones, *servatis servandis,* id est, dummodo lampas die ac nocte accensa coram tabernaculo retineatur; dummodo quotidie, si fieri potest, aut saltem semel in hebdomada Missa celebretur, dummodo claves ab aliquo presbytero custodiantur.

763.—Q. *An SS. Eucharistia possit in duobus vel tribus altaribus ejusdem ecclesiae asservari?*

R. Negative, vi canonis 1268, § 1: «Sanctissima Eucharistia continuo seu habitualiter custodiri nequit nisi in uno tantum ejusdem ecclesiae altari» (1).

(1) Apud Sorores nostras in Belgio existentes, jam a longo tempore invaluit consuetudo asservandi, certis diebus festivis SS. Eucharistiam in Tabernaculo laterali inter ecclesiam et chorum sito, Eamque exponendi in earum choro absque ministerio Sacerdotis cum haec consuetudo sit aperte contraria Decretis S. R. C. Indultum Apostolicum petitum et obtentum fuit, ut haec consuetudo conservari possit, ut patet ex litteris Ill. ac Rmi. Episcopi Gand. tenoris sequentis:

Rév. Mère, Son Eminence le Cardinal Patrizzi, Préfet de la S. Congr. des Rites nous a informé, le 21 Août 1863, que N. S. P. le Pape à défendu de conserver le T. S. Sacrement dans un autre tabernacle, que celui qui est placé au milieu de l'autel.

Comme un usage contraire a été introdui dans les églises des Carmélites et des Pauvres Claires de notre diocèse, nous avons prié son Excellence le Nonce Apostolique, de solliciter en faveur de ces ferventes communautés religieuses, une dis-

764.—Q. *In quonam altari asservanda sit SS. Eucharistia?*

R. «Custodiatur in praecellentissimo ac nobilissimo ecclesiae loco ac proinde regulariter in altari majore... (can. 1268, § 2) et servari debet in tabernaculo inamovibili in media parte altaris posito, affabre extructo, solide clauso et decenter ornato et ab omni alia re vacuo (can. 1269).

Altare SS. Sacramenti, ab altari majore diversum, ornatissimum et maxime conspicum esse debet, ita ut fidelium ecclesiam ingredientium oculos ad se convertat (can. 1268, § 4).—«Ecclesiae in quibus sanctissima Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie, per aliquot saltem horas fidelibus pateant». (can. 1266).

§ II. DE ADMINISTRATIONE SS. EUCHARISTIAE SACRAMENTI

765.—Q. *An et quonam tempore possint Regulares in ecclesiis suis SS. Eucharistiae Sacramentum saecularibus ministrare?*

R. Ad 1um. Affirmative, sive per se, sive per alios, et Episcopis prohibetur, ne occasione illius privilegii Regulares molestent.

Ad 2.m. Id possunt omni tempore, etiam tempore paschali, et ipso die Paschatis ex concessione Pii X, 28 nov. 1912 (Acta A. S. IV. 726).

766.—Q. *Quibusnam saecularibus possint Regulares communionem paschalem ministrare?*

R. Omnibus, cum enim jam non sit de praecepto sumere communionem paschalem in paroecia, sed tantum de consilio, in quavis ecclesia, etiam regularium, satisfacere possunt fideles huic praecepto (can. 859, § 3) (1).

767.—Q. *An Regulares possint admittere pueros ad primam Communionem?*

R. Affirmative, si eorum confessarii sint, nam ex can. 854, § 4: «De sufficienti puerorum dispositione ad primam communio-

pense du S. Siège. Par sa lettre du 3 de ce mois, S. E. le Nonce a daigné nous informer: "que le S. Siège permet que l'usage d'exposer le S. Sacrement dans le mur latéral, qui sépare le choeur des religieuses de l'église, soit toléré, pourvu que la S. Hostie y soit portée à chaque reprise par un prêtre, qui doit l'extraire du tabernacle permanent situé sur l'autel, et l'y replacer de suite après l'exposition terminée.—Le S. Siège permet également que les religieuses qui sont en possession de cet usage, continuent d'ouvrir par elles-mêmes la porte de la niche, qui donne dans le choeur et qui est destinée à rendre patente dans le choeur la T. S. Hostie. (12 Avril, 1864).

(1) Cfr. Comment. pro religiosis, vol. II. pag 50 seqq.

nem judicium esto sacerdotibus a confessionibus eorumque parentibus aut iis qui loco parentum sunt». Potest ergo sacerdos religiosus, parentibus consentientibus, pueros rite instruere ac disponere et in ecclesia propria sollemniter ad primam communionem admittere».

768.—Q. *An Regulares S. Communionem per modum viatici administrare possint saecularibus hospitibus graviter apud ipsos infirmantibus?*

R. Affirmative ex praescripto can. 514, § 1, sequentis tenoris: «In omni religione clericali jus et officium Superioribus est per se vel per alium aegrotis professis, novitiis, aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis aut *hospitii* aut *infirmae valetudinis,* Eucharisticum Viaticum et extremam unctionem ministrandi».

Verba can. 514, § 1 «diu noctuque degentes» ita intelligenda sunt ut in conventu hospites recepti fuerint ad habitandum saltem per unum integrum diem, et quamvis hic transactus non sit, sufficit intentio permanendi in conventu per integrum diem.

Sed religiosi quoque exempti extra claustra aegrotantes et infirmi *casu* degentes in domo exempta, ratione sacramentorum paroeciali jurisdictioni subsunt, nisi contraria consuetudo adsit.

Ad fruendum familiarium privilegiis conditio fundamentalis est cohabitatio continua. Cfr. Comment. pro Religiosis, vol. VI. pag. 136, an. 1925.

769.—Q. *An regulares ad infirmos, devotionis causa, privatim S. Communionem deferre possint?*

R. Affirmative, ut constat ex can. 849, § 1: «Communionem privatim ad infirmos quilibet sacerdos deferre potest, de venia saltem praesumpta sacerdotis, cui custodia sacramenti commissa est». Sed ex praescripto can. 847 justa et rationabilis causa requiritur, ut Sacra Communio privatim ad infirmos deferatur; ex declaratione *S. Congr. de Disciplina Sacramentorum*, die 5 Jan. 1928, judex causae justae et rationabilis est tantum Ordinarius loci, addita tamen *mente* quae sequens est: «Si ex communi experientia et opinione nullum in dioecesi aut in aliquo particulari loco adsit inconveniens pro privata delatione Sacrae Communionis ad infirmos, ab Ordinariis cavendum est ne per regulas nimis praefinitas aut generales praecipientes publicam delationem, vel per reservationem sibi factam dandi veniam in singulis casibus deferendi privatim Sacramentum Eucharistiae, praepediatur infirmis solatium Communionis etiam quotidianae» (Actae A. S. XX, 81).

770.—Q. *An quandoque Regulares possint S. Viaticum saecularibus administrare?*

R. Id possunt in casu tantum necessitatis aut de licentia saltem praesumpta ejusdem parochi vel Ordinarii (can. 848, § 2) Sed regulares ministrantes viaticum saecularibus jam non incurrunt excommunicationem, utpote abrogata a Codice J. C.

771.—Q. *An parochus jus habeat SS. Eucharistiam extrahendi ex ecclesia regulari ad Viaticum suo parochiano deferendum?*

R. Negative ex praescripto can. 484, § 1 statuentis, quod sine legitimi Superioris licentia, saltem praesumpta, nemini liceat in ecclesia Missam celebrare, Sacramenta ministrare aliasve functiones sacras peragere; haec vero licentia dari vel negari debet ad normam juris. Attamen evitent Regulares omnem displicentiae ostentationem, et parochis ultro praedictam licentiam concedant.

Praescriptum vero canonis 483, n. 2.º, non de ecclesiis regularium exemptorum, sed de ecclesiis rectoribus dotatis ad sensum canonum 479-486, intelligendum est.

772.—Q. *Quibusnam horis valeant Regulares SS. Eucharistiam administrare in suis ecclesiis?*

R. Ad normam can. 867, § 4: «Sacra communio iis tantum horis distribuatur, quibus Missae sacrificium offerri potest, nisi aliud rationabilis causa suadeat.» Etiam in Missa in nocte Nativitatis Domini eam ministrare licet omnibus fidelibus, ut patet ex responsione data Episcopo Tuguegarasensi, quae prodiit in Cultura Social, Manila, apr. 1920, pág. 225.

§ III. DE EXPOSITIONE SS. SACRAMENTI

773.—Q. *Quotuplex distinguatur expositio SS. Sacramenti?*

R. Duplex *privata* scilicet et *publica*. Privata est, quando solummodo aperitur tabernaculum, ubi sacra pyxis clausa, suoque velamine contecta, populi oculis objicitur, quin de tabernaculo extrahatur. Publica habetur, quum SS. Eucharistia venerationi fidelium in ostensorio palam et aperte exponitur.

Alia expositio in usu est, saltem multis in locis, a S. Sede non reprobata, quae locum quasi medium tenet inter privatam et publicam. In eo consistit, quod sacra pyxis, suo exuta velo, e tabernaculo extrahatur, brevi tempore publicae fidelium venerationi exponenda, praecipue occasione Benedictionis, quae in Laudibus vespertinis populo datur. Quum autem haec expositio non

sit stricte privata, sed potius publica minus solemnis, fieri nequit, nisi eo modo, iisque diebus ab Episcopo determinatis.

774.—Q. *An liceat Regularibus exponere SS. Eucharistiam?*

R. 1.º Pro privata expositione facienda non requiritur licentia Episcopi, ideoque licet Regularibus eam facere. Etsi causa adeo gravis et publica non requiratur ad eam faciendam, dummodo fiat cum debita decentia, sacerdos tamen Regularis non posset pro sua privata devotione, aut pro aliqua personae privatae necessitate, sacrum tabernaculum aperire pro SS. Sacramenti adoratione, preces ad libitum fundere, et dein illud claudere. Expositio enim privata, non secus ac publica, est instituta ad bonum publicum, non autem ad bonum privatae personae. (Ita Pourbaix, n. 645).

At juxta Ordinarium N. n. 1027 fieri potest, nulla petita Ordinarii venia, nullaque publica interveniente causa, sed *privata dumtaxat, ut infirmitas cujuspiam personae, vel alia privata familiae necessitas.* Et verum, juxta, S. Liturgiam Mech. (de administ. Sacram. qu. 173) nullae sunt ecclesiasticae leges, quae pro hujusmodi privata expositione publicam causam requirunt; sufficit causa privata, v. gr. ingruens tempestas, privata familiae necessitas, alicujus aegritudo levanda, etc., et res tota relinquitur judicio rectoris ecclesiae. Certum est in hac expositione, non licere cum pyxide benedictionem impertiri, nisi accedente Ordinarii licentia. (Cfr. Decr. S. R. C. 16 Jan. 1886).

2.º Non licet Regularibus *solemniter* exponere SS. Sacramentum absque expressa Ordinarii licentia. Episcopi autem est licentiam impertiri, ut idem augustissimum Sacramentum publicae fidelium venerationi exponatur, quoties justa et publica causa id fieri suadeat. (Cfr. Coll. P. F., n. 747). Quaenam autem causa reputanda sit *justa* et *publica,* relinquitur aestimationi Ordinarii, cujus est licentiam concedere. (can. 1274, § 1).

Excipiuntur tamen sequentes casus, nempe:

Regulares possunt absque licentia Ordinarii loci publice exponere SS. Sacramentum die festo Corporis Christi et intra Octavam ejusdem inter Missarum sollemnia et ad Vesperas (can. 1274, § 1).

§ IV. DE CELEBRATIONE SS. MISSAE SACRIFICII

775.—Q. *Ubinam possint Regulares Missam celebrare?*

R. «1.º Missa nonnisi in Ecclesia vel Oratorio ad divinum cultum tantum dedicato, et ab Ordinario designato, ac visitato, celebretur. In altari enim portatili seu ara viatica, Regulares, quantumvis ante Tridentini tempora privilegiati, hodie Sacrificium offerre nullo modo possunt, nisi magna urgente necessitate; uti

esset tempore pestis, belli, persecutionum, et ubi sine periculo mortis, aut alterius gravis mali in sacratis et benedictis locis celebrari nequeat; vel si Ecclesiae essent dirutae, aut ab infidelibus sive haereticis impeditae; vel etiam in bello pro exercitu, et in longa peregrinatione per loca infidelium: quibus in casibus etiam sub dio, in tentoriis, in privatis domibus, loco ceteroquin honesto, de licentia Episcopi, vel etiam sine ejus licentia, si absens sit et difficulter adiri possit, Missa celebrari poterit.

2.º Nemo in navi celebret sine speciali Indulto Apostolico; nec fiat Sacrum nisi mari tranquillo, et nullo exstante periculo effusionis Sanguinis, et amotionis Hostiae a vento, aut saltem non adhibita assistentia alterius Sacerdotis vel Diaconi, qui post consecrationem teneat calicem». (Ita Ordin. N. n. 318). Religiosis sacerdotibus Ordinis nostri concessit Pius X, die 6 aug. 1907, facultatem supra mare SS. Missae sacrificium celebrandi, in perpetuum.

Explanatur: Altare maxime distinguitur in *fixum* et *portatile*.

Duplici autem sensu altare dicitur fixum: a) *in sensu lato,* fixum dicitur illud altare, cujus structura immobiliter adhaeret pavimento, parieti, vel columnae, quamvis integre consecratum non sit, sed habeat tantum, in mensae medio, insertum lapidem consecratum, qui ara portatilis vocatur. Altare hoc sensu fixum sufficit et requiritur, ut privilegiatum esse possit.

b) In sensu stricto juris, fixum dicitur illud altare, cujus tabula, seu mensa lapidea, totam superficiem basis seu stipitis tegens, caemento unitur cum stipite lapideo, cui imponitur, ita ut unum totum cum eo efficiat, sacra unctione ab Episcopo conjungitur cum stipite, ita ut non tantum mensa, sed et stipes simul, seu integrum altare consecratum censeatur.

Altare vero portatile constat tantum ex lapide integro, (tantae saltem magnitudinis, ut Hostiam et majorem partem Calicis capere possit), non imposito alicui basi seu structurae pro altari inservienti; aut quod constat basi quidem, seu structura, quae pro altari inserviat, sed quae loco moveri et de uno in alium transferri potest.

3.º Ante Concilium Tridentinum poterant Regulares Missam celebrare in quocumque loco honesto et decenti, super altari portatili; sed hodie *privilegium altaris portatilis* indulto Sedis tantum Apostolicae conceditur (can. 822, § 2).

776.—Q. *An Regulares Missam celebrare possint in Oratorio interno monasterii?*

R. Affirmandum est, nam Benedictus XIV, 22 Jan. 1755, concessit Ordini Praedicatorum, ut in domibus, atque possessionibus liceret, sine quacumque Ordinariorum visitatione et subjectione, tum Cappellas publicas, tum Oratoria privata erigere, in quibus quilibet sacerdotes, etiam extranei, possent celebrare Missam,

atque christifideles praecepto audiendae Missae satisfacere. (Ball. P. IV-163).

«In nostris autem conventibus potest P. N. Generalis vel Provincialis erigere privata Oratoria quotquot sunt necessaria, dummodo ad divinum cultum tantum sint deputata; et in eis plures Missae eodem die legi valent, et quidem etiam a Sacerdotibus saecularibus, cum privilegium sit locale; et fideles praecepto audiendi Sacrum ibi satisfaciunt: quae omnia etiam de Oratoriis in nostris grangiis et domibus ruralibus sitis sunt intelligenda. Designatio autem et approbatio loci pertinet ad Praepositum vel Provincialem; Superior tamen localis ex horum commissione de loci decentia et idoneitate judicare potest. Super Oratorium seu Capellam aut Ecclesiam nequeunt esse loca ad habitandum, dormiendum, deambulandum, aut ad alium profanum usum; quamvis subtus adesse possint horrea, cellae vinariae aut apothecae: quae illicita sunt subter pavimentum Ecclesiarum, praesertim consecratarum» (Ord. N. p. 3, n. 320).

777.—Q. *Quid possit concedere Episcopus quoad Missam in Oratoriis celebrandam?*

R. Episcopus potest, jure ordinario, concedere licentiam etiam plures Missas qualibet die celebrandi in capellis, seu Oratoriis piarum Congregationum, quae licet non habeant ingressum in via publica, inserviant tamen quotidianis exercitiis totius Communitatis. (Cfr. Coll. P. F. n. 794): haec oratoria sunt, ad normam can. 1188, § 2, n. 2.º semipublica, et in eis, legitime erectis, omnia divina officia functionesque ecclesiasticae celebrari possunt...» (can. 1193).

778.—Q. *An Regularibus prohiberi possit, ne Missa in eorum ecclesiis celebretur ante Missam parochialem?*

R. Negative, juxta responsum S. C. P. F. (Coll. n. 182 et 776). Si tamen Regulares, domum aperiendo, pactum inierint cum parocho, quo sese obligarent ad non celebrandum ante Missam parochialem, juxta plures illud pactum servare tenerentur Regulares; quibus tamen alii contradicunt.

779.—Q. *An Regulares possint exteros Sacerdotes ad Missam celebrandam admittere?*

R. Ad normam can. 804, § 1, sequentia sunt in hoc observanda: «Sacerdos extraneus ecclesiae in qua celebrare postulat, exhibens authenticas et adhuc validas litteras commendatitias sui Ordinarii, si sit saecularis, vel sui Superioris, si religiosus, vel Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, si sit ritus orientalis, ad Missae celebrationem admittatur, nisi interim aliquid

eum commisisse constet, cur a Missae celebratione repelli debeat».

«Si iis litteris careat, sed rectori ecclesiae de ejus probitate apprime constet, poterit admitti; si vero rectori sit ignotus, admitti adhuc potest semel vel bis, dummodo, ecclesiastica veste indutus, nihil ex celebratione ab ecclesia in qua litat, quovis titulo, percipiat, et nomen, officium suamque dioecesim in peculiari libro signet» (can. 804, § 2).

«Peculiares hac de re normae, salvis hujus canonis praescriptis, ab Ordinario loci datae, servandae sunt ab omnibus, etiam religiosis exemptis, nisi agatur de admittendis ad celebrandum religiosis in ecclesia suae religionis» (ib. § 3).

780.—Q. *Quanam hora possint Regulares celebrare Missam?*

R. «Missa privata regulariter celebrari non potest nisi ab aurora ad meridiem; quod vero tempus non mathematice sed moraliter est accipiendum, ideoque tertiae horae partis latitudinem admittit. Ex rationabili autem causa, puta itineris, ex concessione Benedicti XIII anticipari potest, aut post meridiem protrahi, per horae dimidium; et a Regularibus ex privilegio, etiam per unam horam ante vel post tempus pro aliis non privilegiatis assignatum» (Ordin. n. 321).

Codex J. C., can. 821, § 1, statuit: «Missae celebrandae initium ne fiat citius quam una hora ante auroram, vel serius quam una hora post meridiem.

An varia privilegia, hac super re, sint adhuc in suo vigore post Codicem J. C., incertum est.

781.—Q. *An Regulares teneantur servare taxam pro Missis celebrandis ab Episcopo statutam?*

Affirmative circa stipem manualem ex can. 831, § 3, et circa indicem funeralium taxarum, de quo in can. 1234, ex declaratione Commis. Pontif., 6 Mart. 1927, minime vero si agitur de Missis fundatis, tunc enim Superioris majoris est, si religiosi sint exempti, normas praescribere de dotis quantitate infra quam pia fundatio admitti nequeat. (can. 1545).

ARTICULUS III

DE IIS, QUAE SPECTANT AD SACRAMENTUM POENITENTIAE

782.—Q. *Quaenam a jure statuta sint quoad jurisdictionem Regularium pro audiendis confessionibus saecularium?*

R. Cum hodie certum sit sacerdotes regulares jurisdictionem sacramentalem a Pontifice non accipere, dicendum est cum

Codice J. C., can. 874, § 1: «Jurisdictionem delegatam ad recipiendas confessiones quorumlibet sive saecularium sive religiosorum confert sacerdotibus tum saecularibus tum religiosis etiam exemptis Ordinarius loci in quo confessiones excipiuntur; sacerdotes autem religiosi eadem ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui Superioris, firmo tamen praescripto can. 519».

Non solum Ordinarius loci hanc jurisdictionem confert, sed etiam Superior religiosus suis subditis ut constat ex can. 875, § 1: «In religione clericali exempta ad recipiendas confessiones professorum, novitiorum aliorumve de quibus in can. 514, § 1, jurisdictionem delegatam confert quoque proprius eorumdem Superior, ad normam constitutionum; cui fas est eam concedere etiam sacerdotibus e clero saeculari aut alius religionis».

Ex hoc evidenter apparet quod religiosi sacerdotes, qui ab Ordinario loci jurisdictionem acceperunt, per ser alia non indigeant; sed potest Superior religiosus cumulative cum Ordinario loci et independenter ab eo sacerdotes, etiam sibi non subjectos et absque episcopali jurisdictione, ad confessiones subditorum suscipiendas delegare, et haec jurisdictio personalis est, quia ad subditos religiosos limitatur, et ideo amplior quam jurisdictio ab Ordinario loci obtenta, quae est territorialis, et ideo tantummodo pro sua dioecesi.

783. — Q. *An Episcopus approbare possit Regulares cum limitatione temporis, personarum et locorum?*

R. Affirmative ad normam can. 878, § 1: «Jurisdictio delegata aut licentia audiendarum confessionum concedi potest certis quibusdam circumscripta finibus».

«Caveant tamen locorum Ordinarii ac religiosi Superiores ne jurisdictionem aut licentiam sine rationabili causa nimis coarctent» (ib. § 2).

Quod autem attinet ad genus personarum, inquit Lugo (n. 51), potest esse aliquis idoneus ad audiendos viros, non autem mulieres. Item potest aliquis aptus esse ad confessionem puerorum vel rusticorum, non autem ad confessiones mercatorum, judicum, qui difficiliores casus habent. Exinde etiam ratio habetur, cur non omnes pro omnibus sint idonei.

His rationibus, praesertim secunda, inspectis, praxis illa solummodo concedendi Regularibus approbationem limitatam, bona videtur et laudabilis, et nata est salutares effectus producere. Quapropter interest, etiam ipsorum Regularium, ut Episcopi Regularibus, praesertim junioribus confessariis, non concedant nisi limitatam approbationem, saltem quoad, tempus, ut exinde stimulentur ad studium theologicum strenue prosequendum.

Si quas igitur limitationes approbationi apposuerit Episcopus, Regulares eas servare debent, et invalide audirent confes-

siones in casibus exceptis. Quasdam tamen conditiones, seu limitationes, licite adjicere nequit Episcopus; sic nequit excipere tempus paschale, ex Innocentii X, Const. *Exponi Nobis*, 7 Febr. 1645; neque Regularibus potest prohibere, ne personarum aegrotantium in propriis illarum domibus confessiones audire possint, absque licentia parochorum, dummodo relinquant schedulam, vel notificent ipsis parochis, quod Poenitentiae Sacramentum hujusmodi fuerit ab eis ministratum. (S. C. Ep. et R. 13 Sept. 1641, apud Bizz. p. 25). Insuper universe illicitum est Episcopo adjicere approbationi suae limites inutiles, aut etiam Regularium confessariorum Ordini injuriosos. (Epist. Greg. XVI ad Arch. Paris. 12 Oct. 1843).

784. – Q. *An Episcopus possit revocare approbationem Regularibus concessam?*

R. Affirmative, «si adsit gravis causa; non licet tamen Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, si de domo formata agatur omnibus alicujus religiosae domus confessariis una simul jurisdictionem adimere» (can. 880, § 1 et 3).

785. – Q. *In quibusnam casibus liceat Episcopo confessarios Regulares jam approbatos ad examen revocare?*

R. «Si post concessam jurisdictionem aut licentiam prudenter dubitet (Episcopus) num probatus a se antea sacerdos pergat adhuc idoneus esse, eum ad novae doctrinae periculum adigat, etsi agatur de parocho aut canonico poenitentiario» (can. 877, § 2).

786. – Q. *An Regularis semel approbatus in aliqua dioecesi, nova approbatione indigeat, si redeat, vel per eamdem dioecesim transeat?*

R. Negative; ratio est, quia approbatio semel data remanet usque ad exspirationem temporis, pro quo data fuit. Et verum Regularis ille eo ipso, quod rediens ingrediatur territorium illius Episcopi, incipit esse ejus subditus, et habet illum pro Ordinario in ordine ad audiendas confessiones illius gregis.

787. – Q. *Circa quamnam materiam versari debeat examen a Regularibus coram Episcopo subeundum?*

R. Ex can. 877, § 1 et 2, deducitur quod examen, in casu versari debeat circa Theologicam doctrinam, ut dictum est num. 785.

788.—Q. *Quinam Regulares, examine facto, habendi sint uti generaliter idonei?*

R. Sunt illi, qui absolute reperiuntur idonei in prudentia et morum integritate, ac in rigoroso examine totius Theologiae moralis experimentum fecerint propriae habilitatis et peritiae, propter quod perfecti dignoscantur in studio casuum conscientiae, adeo ut partes suas juxta dignitatem Tribunalis Poenitentiae exercere valeant.

789.—Q. *Quaenam causa censeatur concernere confessiones?*

R. Quum praecipua ministri Sacramenti Poenitentiae qualitas sit vitae integritas ac morum honestas, causa, quae spectat ad honestatem morum, utique pertinet ad confessiones. Exinde infertur Regularem, qui cum scandalo, aut alias inhoneste vivat, vel aliquod delictum committat, quo bona fama amittitur, posse revocari propter causam, quae ipsam confessionem concernat.

ARTICULUS IV

DE MINISTERIO PRAEDICATIONIS

790.—Q. *Quaenam a jure statuta sint quoad ministerium praedicationis a Regularibus exercendum?*

R. Codex J. C. sequentia praescribit: «Si concio habenda sit tantum ad religiosos exemptos aliosve de quibus in can. 514, § 1 (nempe qui in religiosa domo virorum diu noctuque degunt causa famulatus aut educationis, aut hospitii, aut infirmae valetudinis) facultatem concionandi in religione clericali dat eorum Superior secundum constitutiones, qui in casu potest eam concedere etiam iis qui de clero saeculari vel de alia religione sunt, dummodo a proprio Ordinario vel Superiore fuerint idonei judicati» (can. 1338, § 1).

«Si concio habenda sit ad alios, vel etiam ad moniales regularibus subjectas, facultatem religiosis quoque exemptis impertit Ordinarius loci in quo concio fiet; concionator autem, verba facturus monialibus exemptis, licentia Superioris regularis praeterea indiget» (ib. § 2).

«Facultatem vero concionandi apud sodales religionis laicalis, quamvis exemptae, dat loci Ordinarius; sed concionator nequit facultate uti sine Superioris religiosi assensu» (ib. § 3).

791.—Q. *An liceat Episcopo Regulares praedicare volentes ad examen vocare?*

R. Affirmative ex praescripto can. 1340, § 1, his verbis: «Graviter onerata eorum conscientia, loci Ordinarius vel Supe-

rior religiosus facultatem vel licentiam concionandi cuiquam ne concedat, nisi prius constet de ejus bonis moribus et de sufficienti doctrina per examen ad normam can. 877, § 1» (can. 1340, § 1).

«Si concessa facultate vel licentia, compererint necessarias dotes in concionatore desiderari, debent eam revocare; in dubio de doctrina, debent certis argumentis dubitationem excutere, novo etiam examine, si opus fuerit» (ib. § 2).

792.—Q. *An Episcopus possit licentiam praedicandi denegare?*

R. Affirmative, sed Ordinarii locorum religiosis qui a proprio Superiore exhibeantur, facultatem concionandi, sine gravi causa, ne denegent, concessamque ne revocent, praesertim una simul universis domus religiosae sacerdotibus, firmo tamen praescripto can. 1340.» (can. 1339, § 1).

«Concionatoribus religiosis, ut facultate recepta uti liceat, opus est praeterea sui Superioribus licentia» (ib. § 2). Ut autem rite intelligatur quid nomine facultatis et quid nomine licentiae in his canonibus veniat, notandum est quod facultas potestatem quandam tribuit exercendi aliquam actionem; licentia vero declarat tantum nihil obstare, quominus aliqua res fiat. Quare Ordinarius *facultatem* dat concionandi, cum sit in ejus potestate ad normam can. 1337 concedere vel non pro suo territorio alicui concionem ad fideles habere; Superior vero regularis dat tantum *licentiam,* seu declarat nihil obstare quominus a tali religioso concio ad saeculares habeatur.

793.—Q. *Quibus de causis possit Episcopus licentiam concionandi revocare?*

R. Ob causas in canone 2317 statutas, nempe: «Pertinaciter docentes vel defendentes sive publice sive privatim doctrinam, quae ab Apostolica Sede vel a Concilio Generali damnata quidem fuit, sed non uti formaliter haeretica, arceantur a ministerio praedicandi verbum Dei»: et si compererint Ordinarii necessarias dotes in concionatore desiderari, debent licentiam concionandi revocare ad normam can. 1340, § 2.

794.—Q. *An Regulares petere debeant licentiam praedicandi, quoties concionaturi sunt?*

R. Si licentia generalis concessa fuerit, perseverat semper, donec ad normam can. 1340, § 2 revocata fuerit, alias pro unoquoque casu eam petere debent.

Cfr. Litteras encycl. Benedicti XV, «Humani generis Redemptionem», 15 jun. 1917 (Acta Ap. Sedis IX, 305 et 328).

795.—Q. *An episcopus praecipere possit, ut Regulares in suis ecclesiis doctrinam sacram fidelibus tradant diebus dominicis Missam assistentibus?*

R. Affirmative vi can. 1345 haec statuentis:

«Optandum ut in Missis quae fidelibus adstantibus, diebus festis de praecepto in omnibus ecclesiis vel oratoriis publicis celebrantur, brevis Evangelii aut alicujus partis doctrinae Christianae explanatio fiat; quod si loci Ordinarius id praeceperit, opportunis datis instructionibus, hac lege tenentur non solum sacerdotes e clero saeculari, sed etiam religiosi, exempti quoque, in suis ipsorum ecclesiis».

CAPUT III

DE CONGREGATIONIBUS VIRORUM VOTIS SOLEMNIBUS CARENTIBUS

796.—Q. *Quaenam a jure estatuta sint quoad tales Congregationes, relate ad jurisdictionem, quam Episcopi in eas exercent?*

Praenotandum. In praesenti capite solummodo agitur de viris Religiosis simpliciter professis, quorum Constitutiones a S. Pontifice approbatae sunt.

R. 1.º *Quoad eorum Constitutiones.* Hujusmodi Congregationes religiosae, etsi Ordinariorum jurisdictioni subjectae sint, et quamvis ab illis potestate ordinaria visitari valeant, non tamen ipsis subjectae sunt quoad suas Constitutiones a S. Pontifice approbatas; quia ad solum S. Pontificem spectat mutare quod ipsemet statuit. Si vero istae Congregationes ab Ordinario fuissent dumtaxat approbatae, ab ipso Constitutiones in quibusdam immutari possent; saltem cum consensu Congregationis Capituli. (Cfr. Craisson. Man. n. 2960).

2.º *Quoad bonorum temporalium administrationem.* Istae Congregationes eisdem conditionibus subduntur ac Ordines vota solemnia habentes, pro alienandis immobilibus non modici valoris, et mobilibus pretiosis. Cfr. n. 236.

797. Ordinarius loci nequit cognoscere de re oeconomica domorum harum Congregationum juris pontificii.

Item nequit se ingerere in regimen internum ac disciplinam, exceptis casibus in jure expressis. Ad regimen internum spectant receptio et educatio novitiorum, diversa officia in communitate religiosa, translatio religiosorum ab una in aliam domum, etc. In religionibus *laicalibus,* Ordinarius loci potest, imo et debet inquirere, num disciplina religiosa vigeat, num constitu-

tiones fideliter observentur; num sana doctrina morumque probitas aliquid detrimenti ceperit; num contra clausuram disciplinarem abusus irrepserint; num sacramenta frequenter et devote suscipiantur. Si Ordinarius loci invenerit graves abusus, admoneat Superiores, qui si opportune non providerint, ipse per se consulat. Si qua vero majoris momenti occurrant, quae moram non patiantur, ipse quidem potest statim decernere, certiorem reddendo immediate S. Sedem. Sacerdotes harum Congregationum ab Episcopo jurisdictionem accipiunt pro confessionibus tam confratrum quam saecularium.

CAPUT IV

DE IIS QUAE REGULARIBUS SUNT PROHIBITA

Regulares, cum sint personae ecclesiasticae, tenentur vitam exemplarem ducere secundum exigentiam decentiae sui status, prout decet personas ecclesiasticas, «quare sequens regula generalis statuitur in can. 592 his verbis: «Obligationibus communibus clericorum, de quibus in can. 124-142, etiam religiosi omnes tenentur, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet». Ideoque, sicut et Clericis saecularibus, ipsis prohibita sunt ea omnia, quae dedecent personas ecclesiasticas, ratione excellentiae sui status. Quae autem sub hoc respectu Regularibus praecipue prohibita sunt ad duo capita revocari possunt, nempe: 1.º ad actiones, quae dedecent statum Religiosum; 2.º ad negotiationem. Unde praesens caput in duos dividitur articulos.

ARTICULUS I

DE ACTIONIBUS, QUAE DEDECENT STATUM RELIGIOSUM

798.—Q. ***Quaenam praecipuae actiones Regularibus prohibitae sint ratione decentiae sui status?***

R. Omnes actiones, quae Clericis saecularibus *ratione decentiae sui status* interdicuntur, a fortiori sunt prohibitae Regularibus. Attamen de omnibus his actionibus hic non est agendum; sed tantum de aliquibus, quae magis pro Regularibus ad praxim spectant, cujusmodi sunt: delatio armorum, venatio, ludus et cohabitatio cum mulieribus, etc., quas Codex J. C. can. 138, enumerat his verbis: «Clerici ab iis omnibus quae statum suum dedecent, prorsus abstineant: indecoras artes ne exerceant, aleatoriis ludis, pecunia exposita, ne vacent; arma ne gestent, nisi quando justa timendi causa subsit; venationi ne indulgeant, clamorosam autem nunquam exerceant; tabernas aliaque similia loca sine necessitate aut alia justa causa ab Ordinario loci probata ne ingrediantur».

«Ea etiam quae, licet non indecora, a clericali tamen statu aliena sunt, vitent» (can. 139, § 1).

Sine apostolico indulto medicinam vel chirurgiam ne exerceant; tabelliones seu publicos notarios, nisi in Curia eclesiastica, ne agant; officia publica, quae exercitium laicalis jurisdictionis vel administrationis secumferunt, ne assumant» (ib. § 2).

«Sine licentia sui Ordinarii ne ineant gestiones bonorum ad laicos pertinentium aut officia saecularia quae secumferant onus reddendarum rationum (1); procuratoris aut advocati munus ne exerceant, nisi in tribunali ecclesiastico, aut in civili quando agitur de causa propria aut suae ecclesiae; in laicali judicio criminali, gravem personalem poenam prosequente, nullam partem habeant, ne testimonium quidem sine necessitate ferentes» (ib. § 3).

«Senatorum aut oratorum legibus ferendis, quos *deputatos* vocant, munus, ne sollicitent neve acceptent sine licentia Sanctae Sedis in locis ubi pontificia prohibitio intercesserit; idem ne attentent aliis in locis sine licentia tum sui Ordinarii, tum Ordinarii, loci in quo electio facienda est. (ib. § 4).

«Spectaculis, choreis et pompis quae eos dedecent, vel quibus clericos interesse scandalo sit, praesertim in publicis theatris, ne intersint» (can. 140).

«Servitium militare ne voluntarie subeant clerici. Si vero clericus minor sponte sua dederit nomen militiae, ipso jure e statu clericali decidit» (can. 141).

Regulares utriusque sexus nequeunt esse compatres seu commatres, nequidem per procuratorem. (Ferr. v. Regulares, n. 14). Sed si contingat, quod desint patrini pro Baptismo sollemni, vel confirmatione, expedit ut moniales adhibeantur ut matrinae, potius quam sacramenta sine patrinis administrentur. (Cfr. Collect. P. F. n. 641).

799.—Q. *Quaenam statuta sint de Clericis quoad ludos?*

R. Clericis prohibentur aleae et taxilli, et in genere ludi quorum eventus magis a fortuna, quam ab industria pendent. Ast *spectata hodierna consuetudine*, ab omni peccato immunis censetur Clericus, qui parce, moderate, recreationis causa, privatim et sine scandalo ludit aleis chartisque, utcumque exitus a fortuna pendeat (Cfr. S. Alph. lib. 3.º n. 899).

(1) Cum nostris diebus, ait Pius Papa X, Decr. "Docente Apostolo", 11 nov. 1910, quamplurima... instituta sint opera in temporale fidelium auxilium, in primisque arcae nummariae, mensae argentariae, rurales, parsimoniales, etc. Quapropter SSmus D. N... prohibet omnino ne sacri ordinis viri... munia illa suscipiant... quae administrationis curas, obligationes, in se recepta pericula secumferant, qualia sunt officia praesidis, moderatoris, a secretis, arcarii, horumque similium. Ad haec igitur officia ineunda Ordinarii licentia opus est.

800.—Q. *Quaenam statuta sint de vitanda cohabitatione cum mulieribus quoad Clericos?*

Praenotandum. Haec quaestio directe respicit Clericos, de quibus hac in re jus commune tantum loquitur. Hic tamen non immerito ponitur; quia etiam practica esse potest pro aliquibus Regularibus extra claustra licite degentibus, puta Missionariis, Parochis, vel etiam exclaustratis.

R. Cum clerici, in sacris constituti, servandae castitatis obligatione teneantur, ideo «caveant ne mulieres, de quibus suspicio esse possit, apud se retineant aut quoquo modo frequentent» (can. 133, § 1).

«Eisdem licet cum illis tantum mulieribus cohabitare in quibus naturale foedus nihil mali permittit suspicari, quales sunt mater, soror, amita et hujusmodi, aut a quibus spectata morum honestas, cum provectiore aetate conjuncta, omnem suspicionem amoveat» (ib. § 2).

«Judicium an retinere vel frequentare mulieres, etiam illas in quas communiter suspicio non cadit, in peculiari aliquo casu scandalo esse possit aut incontinentiae afferre periculum, ad Ordinarium loci pertinet, cujus est clericos ab hac retentione vel frequentatione prohibere» (ib. § 3).

«Contumaces praesumuntur concubinarii» (ib. § 4).

801.—Q. *Quaenam hac in re statuta sint pro Regularibus Missionariis?*

R. 1.º Rigorose prohibeatur Missionariis, etiam Regularibus, ne puellas ac pueros in domibus particularibus doceant. (Cfr. Coll. P. F. n. 301 et 403).

2.º In locis Missionum ubicumque, ubi duo vel tres Missionarii latini ritus commorantur, seu commorari contigerit, clausurae legibus subjiciantur, ita ut nemini Regulari cuicumque omnino liceat ullam feminam intra privata eorumdem hospitiorum cubicula, sub quovis praetextu, introducere. Admitti tamen possunt in interna oratoria ad audiendam Missam, vel suscipiendum Sacramentum, dummodo recto tramite accedant, nec in privatas mansiones deflectant, et per eamdem per quam accesserunt viam, revertantur (Cfr. l. c. n. 410).

Decretum illud est sustinendum, sed accommodandum locorum et temporum circumstantiis, ideoque servandum tantum est in iis domibus, quae ad Missiones spectant, et in quibus stabiliter permanent duo vel tres Missionarii Regulares. (l. c. n. 412).

ARTICULUS II

DE NEGOTIATIONE

802.—Q. *Quotuplex sit negotiatio?*

R. Est duplex nempe *aeconomica* et *lucrativa.*

1.º Negotiatio *aeconomica* consistit in iis emendis, quae necessaria sunt, aut quae superflua sunt vendendis, aut in suis praediis ac gregibus curandis, aut locandis. In hac autem negotiatione nullatenus intenditur tanquam finis ipsum lucrum, sed tantum rei familiaris ad propriae vitae commodum sustentatio. Haec non est negotiatio proprie dicta.

2.º Negotiatio autem lucrativa subdistinguîtur in artificialem et quaestuosam. *Artificialis* ea dicitur, quae, alicujus artis exercitio circa rem ipsam adhibito, eamdem rem immutat aliquomodo. Quaestuosa vero ea est, quae rerum aliunde emptarum commercio, nullo circa rem accedente artificio, quo immutentur, ad lucrum captandum exercetur. Haec ultima species est negotiatio proprie dicta, ad quam jure revocatur ea, qua res quidem, quae venditur, immutatur per aliquod artificium, sed non *propria opera,* verum *aliena.*

803.—Q. *Quaenam species negotiationis sit de jure Clericis prohibita?*

R. 1.º Negotiatio *quaestuosa* omnibus Clericis est prohibita sive per se sive per alios eam exerceant, ut constat ex can. 142: «Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem».

Et Religiosi mercaturam vel negotiationem per se aut per alios exercentes contra praescriptum can. 142, congruis poenis pro gravitate culpae ab Ordinario coerceantur» (can. 2380).

2.º Negotiatio autem *aeconomica* est Clericis omnino permissa; ex eo namque satis patet, quod ad rectam rei familiaris administrationem pertineat. Idem dicendum est de negotiatione *artificiali,* si non fiat ex cupiditate turpis lucri captandi.

804.—Q. *An liceat Clericis emere obligationes et actiones?*

R. 1.º Cum Clericus, qui obligationes emit ad sibi procurandum annuum redditum, non exerceat ullam negotiationem, non est cur inquiratur de liceitate hujus emptionis.

2.º Quoad emptionem autem *actionum,* multum inter auctores disputatur (1). Alii absolute docent emptionem actionum societatum, sive commercialium, sive etiam industrialium, Cleri-

(1) *Actiones* quoque emere videtur esse licitum clericis, dummodo pertineant ad societates honestas et solide fundatas; tum quia tales actiones, in praxi, fere aequiparantur obligationibus, tum quia clericis nulla implicatio negotiationis inde provenit. Cfr. P. Ferreres, T. M., 2. n. 118, et P. Prümmer Man. J. C. q. 71.

cis esse omnino illicitam; quia per hujusmodi emptionem fiunt membrum societatis; ac proinde negotiationem, per SS. Canones prohibitam, exercent.

Alii, e contra, absolute docent Clericos non minus ac laicos, actiones cujuscumque societatis, etiam commercialis, licite posse emere, easque eodem jure vendere et permutare, cum sibi opportunum duxerint, modo absit omnis speculatio, qua intenditur lucrum tanquam finis. Ratio est, quia illo in casu nullum exercetur negotium seu commercium per alium, eo nempe sensu, quo id a Benedicto XIV prohibitum est. Nam in sensu prohibito, requiritur, ut qui per alium negotiatur, efficaciter in negotiationem influat. Qui autem actiones detinent, saepe nullum jus negotiationis dirigendae habent, vel si hoc jus habeant, nullatenus tamen obligantur, ut se huic directioni immisceant.

Alii tandem distinguunt inter actiones societatum industrialium, et actiones Societatum commercialium: docent enim emptionem illarum actionum esse licitam, non vero acquisitionem harum actionum.

3.º Quod autem attinet ad responsa Romana desuper edita, minime dirimunt quaestionem illam inter auctores controversam. Responsa antiquiora satis obscura sunt. (Cfr. Ball. P. IV-357. n. 317).

Juxta recentius responsum S. Inq. 15 April. 1885, S. Sedes videtur permittere, ut sententia benignior in praxim deducatur. Quod responsum sic sonat: «Juxta exposita et attentis peculiaribus temporum circumstantiis, personas ecclesiasticas non esse inquietandas, si emerint aut emant actiones seu titulos mensae nummulariae, dummodo paratae sint stare mandatis S. Sedis et se abstineant a qualibet negotiatione dictarum actionum, aut titulorum, et praesertim ab omni contractu, qui speciem habet, ut vulgo dicitur: *dei giuochi di borsa.*

4.º *Notandum quoad praxim.* Non licet emere actiones, vel etiam obligationes eo animo, ut carius vendantur. Hoc enim, saltem si habitualiter fiat, veram negotiationem quaestuosam, eamque maxime aleatoriam constituit; at emere actiones cujuscumque societatis ad sibi procurandos annuos redditus, non potest absolute prohiberi Clericis, siquidem sententia solide probabilis stat pro liceitate hujusmodi emptionis.

5.º Hac ratione solummodo inspecta, idem videtur dicendum de Regularibus, sed pro ipsis debemus sub alio respectu attendere quaestionem. Etenim multae ex hisce actionibus sunt valde aleatoriae, multisque periculis expositae. Itaque Religiosi non possunt in hujusmodi actionibus pecunias suas collocare, sed collocationem securam, quae reddat redditus annuos certos, eligere debent.

6.º Ad sciendum quibusnam competat in Ordinibus facultas emendi, vendendi, aut permutandi hujusmodi titulos, consulat unusquisque regulas hac de re datas.

PARS QUINTA

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM

Haec pars duas complectitur Sectiones: in prima exponentur privilegia omnibus Regularibus communia; in secunda, privilegia Ordini nostro propria.

SECTIO I

DE PRIVILEGIIS OMNIBUS REGULARIBUS COMMUNIBUS

Haec Sectio in sex dividitur capita, quorum primum erit de privilegiis in genere; secundum, de privilegio exemptionis Regularium; tertium, de casibus, in quibus Regulares subjiciuntur Episcopis; quartum, de potestate absolvendi saeculares a censuris reservatis; quintum, de potestate in variis dispensandi cum saecularibus; sextum, de variis benedictionibus: quibus additur appendix de privilegiis personalibus.

CAPUT I

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM IN GENERE

Praesens caput in septem dispescitur articulos, quorum primus erit de notione privilegii; secundus, de illius acquisitione; tertius, de communicatione privilegiorum; quartus de ejus confirmatione; quintus, de usu illius; sextus, de ejus interpretatione; septimus, de illius cessatone.

ARTICULUS I

DE NOTIONE PRIVILEGII

805.—Q. *Quid sit privilegium?*

R. Privilegium, si vocis etymon spectes, idem sonat ac *lex privata*. Hinc adhibetur etiam, apud veteres, ad significandam poenam in aliquem peculiari lege statutam. At communiter in favorem usurpatur, eaque voce lex significatur, in bonum privatorum cedens. Quare a plerisque definitur: *Est lex privata speciale beneficium concedens.*

Dicitur: 1.º lex, non stricte et absolute, sed late, seu secundum quid: non enim regulariter imponit obligationem privilegia-

to operandi, juxta concessa in privilegio, quod petit rigorosa lex; sed suo modo est lex respectu aliorum, quibus necessitatem imponit, ne impediant privilegiatum ab uso privilegii, vel ne illum in tali usu perturbent. Insuper lex stricte dicta ex sua natura ad bonum commune ordinari debet, non ita privilegium; nam licet aliquando in bonum commune ordinetur, multoties tamen conceditur ob bonum et commodum alicujus particularis.

Dicitur: 2.º *privata,* non quia plures saepius non respicit, multoties enim ad plures Ordines religiosos extenditur; sed quia non ad omnes extenditur, sicut lex, quae ex sua natura omnes tangit.

Dicitur: 3.º *speciale beneficium concedens,* sub quibus verbis continetur quaelibet gratia, favor, et quidquid potest esse utile privilegiato; unde concessio indulgentiae, carnium et lacticiniorum comestio in diebus vetitis, et facultas absolvendi praecipue pro aliqua communitate, et in perpetuum concessa, et similia, inter privilegia computanda veniunt. Insuper de ratione privilegii est, quod semper operetur aliquid praeter jus commune, vel contra illud. Unde non est necessarium, ut semper contra jus operetur aliquid, ut cernitur in indulgentiis, quae por modum privilegii conceduntur, et tamen contra jus nihil operantur; sed solum praeter jus aliquid concedunt.

Ex quo patet discrimen inter privilegium et dispensationem: tum quia privilegium latius patet, quam dispensatio: privilegium enim potest esse et contra jus, et praeter jus; dispensatio autem est semper contra jus; tum quia privilegium datur per multum tempus, et ad plures actus extenditur; dispensatio vero potius datur per modum praecepti, et ad breve tempus, vel ad unum, vel ad paucos actus.

806. – Q. *Quaenam ad privilegium proprie dictum requirantur?*

R. Requiritur 1.º ut aliquid concedat, alias de jure communi non concessum (Cfr. n. 805).

2.º Quamvis privilegium, prout lex, omnes obliget, non indiget tamen promulgatione, nisi feratur per legem generalem, prout fit quando privilegia communitati conceduntur, v. gr. Religiosis. Privilegium namque est principaliter favor; et praeceptum aliis impositum non impediendi privilegium est quasi accessorium, ideoque sequitur naturam principalis, reputaturque tanquam lex privata, ad quam solemnis promulgatio non requiritur. Sufficit ergo, quod privatim intimetur a privilegiato per ostensionem sui rescripti, vel alio modo sufficienti, prout erit, si notarii vel alicujus Praelati manu, vel in libris Ordinis instrumenta reperiantur confecta; imo sufficit, prout refert Antonius a S. Sp., quod privilegium reperiatur in aliquo libro impressum, ut fuit decisum per S. Rotam.

3.º Ex parte privilegiati requiritur acceptatio. Ratio est, quia, licet princeps privilegium concedere possit, quin requirat acceptationem privilegiati, nunquam tamen sic concedere censetur, nisi id exprimat: quare concessio illius imbibit hanc tacitam conditionem: *si non resistas, si acceptes*, et sic usque ad acceptationem valorem non habet.

Quae quidem conditio jure merito subintelligitur; nam privilegium est quasi donatio quaedam; donatio autem, absque consensu donatarii, non habet effectum; siquidem hoc expediens videtur rectae gubernationi, ne beneficia Principis contemnantur.

Sufficit tamen nuntii vel procuratoris ad hoc deputati acceptatio.

807.—Q. *Quomodo distinguatur privilegium?*

R. 1.º *Ratione concedentis,* est vel *a jure,* vel *ab homine.* Haec partitio in eam fere incidit, qua privilegium aliud dicitur *clausum in corpore* juris, seu Codici J. C. insertum, ut privilegia Ecclesiarum et clericorum, aliud, *datum per rescriptum speciale.*

2.º *Ratione materiae,* est vel *contra* vel *praeter jus.* Primum eximit a lege existente eique derogat, alterum praeter legis ambitum conceditur.

3.º *Ratione subjecti,* est vel *personale* vel *reale.* Personale, quod nimirum immediate conceditur personae, et ratione ipsius personae; aliud est reale, quod immediate conceditur rei, puta loco (et tunc etiam vocatur *locale*), officio, dignitati, ratione cujus redundat in personam, ad quam illa res, officium aut dignitas pertinet. Privilegia, quae certo hominum generi vel alicui communitati conceduntur, *realia* reputantur; unde et transeunt ad successores. Si autem de utroque elemento participat, *mixtum* appellatur.

4.º *Ratione causae finalis,* est vel *gratuitum,* vel *remuneratorium.* Privilegium *gratuitum* est illud, quod ex mera liberalitate concedentis procedit, et non ex merito, seu meritorum intuitu, et in eorum compensationem. *Remuneratorium* vero est, quod alicui conceditur in praemium meritorum, vel a se, vel a parentibus et consanguineis ejus comparatorum.

Auctores docent pleraque Regularium privilegia esse remuneratoria.

5.º *Ratione modi,* est vel concessum *motu proprio,* vel *concessum ad preces*; *absolutum* vel *conditionatum*, *perpetuum* vel *temporale*; *scriptum* vel *vivae vocis,* hoc conceditur *oretenus*, tametsi ad obtinendam fidem in foro externo, litteris consignetur atque authentico testimonio communiatur (can. 79).

ARTICULUS II

DE ACQUISITIONE PRIVILEGII

808.—Q. ***Quotuplici modo acquiri possit privilegium?***

R. Triplici modo, nempe: 1 directa concessione, 2 communicatione, 3 legitima consuetudine aut praescriptione. Possessio centenaria vel immemorabilis inducit praesumptionem concessi privilegii (can. 63).

1. *Directe concedere* privilegium solum potest Superior, qui leges condere valet. Ratio est, tum quia solus legislator potest a legibus eximere; tum quia obligandi sunt alii, ne privilegiatum in usu privilegii impediant. Unde solus S. Pontifex privilegia ubique contra jus concedere potest. Id possunt Episcopi relate ad propria Statuta, vel in iis, quae non sunt contra jus, singuli in sua dioecesi.

2. *Communicatione,* quatenus privilegium uni concessum commune evadit etiam aliis qui inveniantur in iisdem conditionibus ac privilegiatus. Distinguenda est privilegiorum communicatio ab eorum extensione, haec locum habet, v. gr. inter novitios, qui ad normam can. 567, iisdem privilegii ac gratiis ac professi, utuntur, inter famulos aliosque, in domo religiosa diu noctuque degentes, qui nonnullis privilegiis religiosorum fruuntur (can. 514, § 1). Extensio ergo se refert ad membra ejusdem familiae, communicatio vero locum habet inter communitates diversas.

809. Communicatio privilegiorum potest esse *in forma aeque principali* et in forma accessoria; illa locum habet, si privilegium ita transit ad alium, ac si primo et directe ei concessum fuerit, ideoque non immutatur; etsi in principali privilegiato immutetur; haec locum habet, quando idem privilegium ad alias personas transit, non quidem aeque primario et principaliter, sed secundario et accidentaliter, in quo casu, accessorium naturam sequi congruit principalis, ut fert regula 42 Juris in 6.º Ideoque si minuatur vel revocetur privilegium in his, quibus concessum est principaliter, minuitur vel revocatur etiam in omnibus aliis.

3. *Legitima consuetudine aut praescriptione.* Consuetudo est jus quoddam diuturno usu introductum cum consensu saltem implicito Legislatoris; debet esse rationabilis et legitime per annos quadraginta continuos et completos praescripta; contra legem vero ecclesiasticam, quae clausulam contineat futuras consuetudines prohibentem, sola praescribere potest rationabilis consuetudo centenaria aut immemorabilis. Consuetudo praeter legem debet esse pariter rationabilis et legitime per annos quadraginta continuos et completos praescripta (can. 27 et 28).

Si vero consuetudo in jure expresse reprobatur, cum sit irrationabilis, penitus excluditur (can. 27, § 2).

«Vigentes in praesens contra horum statuta canonum consuetudines sive universales sive particulares, si quidem ipsis canonibus expresse *reprobentur*, tanquam juris corruptelae corrigantur, licet sint immemorabiles, neve sinantur in posterum reviviscere; aliae, quae quidem centenariae sint et immemorabiles, tolerari possunt, si Ordinarii pro locorum et personarum adjunctis existiment eas prudenter submoveri non posse; ceterae suppressae habeantur, nisi expresse Codex aliud caveat» (can. 5).

Per praescriptionem, quae est modus acquirendi aliquod jus per possessionem continuatam talis juris, tempore et modo a lege definitis.

Quamvis canon 613 *de consuetudine ac praescriptione* privilegia acquirendi taceat; non videtur tamen religiosos esse pejoris conditionis aliis, quibus can. 63, § 1 favet.

Quod autem attinet ad Moniales, gaudent, vi can. 613, § 2, iisdem privilegiis (de quibus sunt capaces) Religiosorum ejusdem Ordinis. Ratio est, cum ipsae vivant sub eadem regula, sunt pars Ordinis, et ideo Ordinis privilegiis merito gaudere debent, et hoc etiamsi Moniales sint Episcopo subjectae. (Cfr. S. Alph. l. 4, n. 60).

ARTICULUS III

DE COMMUNICATIONE PRIVILEGIORUM

810. Per communicationem privilegiorum intelligimus gratiam, aut privilegium concessum uni religioni, provinciae, Ecclesiae, domui aut Praelatis, extendi eodem modo alteri religioni, provinciae etc., et quamvis vi canonis 613, § 1, excludatur *in posterum* quaelibet communicatio privilegiorum, attamen non est ita certum ut non conserventur privilegia ante Codicem acquisita per hujusmodi communicationem; ideo quaeritur, an privilegia, ex can. 613, § 1, quae vi communicationis ante Codicem vigentis acquisita jam erant, abrogata sint, necne.

Rigidiorem opinionem, ait praeclarum Comment. pro Relig., vol. III, p. 208, juxta quam non solum *in posterum* abrogatur communicatio, sed etiam abrogatio effectum habet retroactivum, plures commentatores et scriptores defendunt. Digni sunt qui inter alios citentur: Ferreres, S. J: Blat, O. P.: Bierderlac-Fuhrich S. J.: Bondini O. M. Con.; Leitner; Jansen, O. M.; Santa María; Il Monitore ecclesiastico; Pomer O. P.; Damen C., etc.

Opinio benignior tenet in can. 613, derogari privilegio communicationis, ita ut *in posterum* ex Codice, quaelibet religio tantum gaudebit privilegiis per concessionem directam obtentis. De privilegiis legitime ante Codicem quavis ratione habitis Codex in

hoc canone non loquitur, ac proinde, quin referat modus quo obtenta fuerunt, pro ipsis regula viget in can. 4, statuta. Haec opinio (cui subscribimus), quae nobis *theoretice* solida et satis fundata videtur, *in praxi* vero *tuta*, a pluribus sustinetur canonistis et moralistis, qui certe non modicae auctoritatis sunt. Inter alios numerari possunt: Vermeersch, S. J.; Prummer, O. P.; Brandys O. F. M.; Augustine O. S. B.; Balmes O. M. F.; Villada, S. J.; Noval, O. P.; Ortega O. P; Creusen S. J; Prado, O. S. B.; Cochi C. M.; Melo, O. F. M., etc.

Fanfani, De Jure Relig., 277, ait: Ergo quoadusque legislator non manifestaverit clarius suam mentem privilegia a religiosis per communicationem acquisita ante Codicis promulgationem adhuc in vigore permanent. Quare, ait Vermeersch, nisi contraria intercesserit declaratio authentica, religiosi suis privilegiis omnino tuto uti pergent. *Quod in ipsa urbe receptum esse novimus.* Hucusque praeclara Commentaria pro Religiosis. Cum omnia privilegia a S. Congregatione expostulata sint ad ejus revisionem; hac peracta non dubitandum quin quaestio authentice declaretur et decidatur. Interea illud tenendum, quod «in dubio melior est conditio possidentis».

811. Duplex exceptio in ipso Codice admittitur. Nam ex § 2, can. 613, privilegia quibus gaudet *Ordo regularis* competunt quoque monialibus ejusdem Ordinis quatenus eorum sint capaces, et competunt per communicationem accesoriam, ita ut eamdem haec privilegia sequatur sortem ac privilegia pro viris regularibus concessa. Etiam in Codice admittitur imo in aliquibus extenditur, communicatio accessoria ex qua illi qui religiosis serviunt vel diu noctuque ex diversis causis apud ipsos degunt, aliqua ratione de ipsorum exemptione et privilegiis participant. (can. 514).

Per indultum ab Ordinario loci legitime concessum, obligatio legis communis cessat quoque pro religiosis omnibus in dioecesi commorantibus, salvis votis et constitutionibus propriis cujusvis religionis (can. 620).

812. – Q. *Quantum temporis spatium requiratur ad privilegium legitime praescribendum?*

R. Si consensus expressus Legislatoris eum ratihabeat, nullum determinatum tempus requiritur ad praescribendum. Secus tenendum est quod n. 809-3 de consuetudine dictum est.

ARTICULUS IV

DE CONFIRMATIONE PRIVILEGIORUM

813.—Q. *Quotuplex sit confirmatio privilegiorum?*

R. Confirmatio privilegiorum est duplex, nempe: in *forma communi,* et in *forma speciali* seu specifica. Sic privilegium semel a Superiore concessum non raro ab ipso confirmatur, sive in *forma communi,* quando absque examine et sine perfecta praevia cognitione privilegium approbat, quale hic et nunc existit et valet, quin aliquid roboris, si vacillet, adjiciat; sive in *forma specifica,* quando cum perfecta cognitione totius negotii privilegii concessionem innovat, ita ut, si forte ab initio fuerit invalidum, aut postea revocatum, validetur et reviviscat, nisi tamen ab initio fuerit subreptitium, vel deinceps a Concilio generali revocatum. Haec forma dignosci solet ex clausulis in confirmatione adhibitis, uti: *ex certa scientia, ex plenitudine potestatis, supplendo omnes defectus,* etc.; vel ex insertione totius tenoris privilegii, aut saltem ejus substantiae.

In dubio circa naturam confirmationis standum est pro confirmatione in forma communi, nam quod data sit in forma specifica, est factum, ideoque probari debet.

In Brevi 13 Jul. 1886 SS. Leo XIII confirmavit omnia et singula privilegia directe, vel per communicationem cum aliis Ordinibus Regularibus Societati Jesu impertita, quae tamen dictae Societati non adversentur, neque a Tridentina Synodo, aut ab aliis Apostolicae Sedis Constitutionibus in parte vel in toto abrogata sint et revocata. (Cfr. N. R. T., 18-461).

ARTICULUS V

DE USU PRIVILEGIORUM

814.—Q. *An privilegiatus uti teneatur suo privilegio?*

R. Distinguendum est inter privilegium commune, seu directe Communitati concessum, et privilegium personale seu privatum. Priore uti tenetur privilegiatus casu, quo non usus privilegii bono Communitatis praejudicaret. Nemo cogitur uti privilegio in sui dumtaxat favorem concesso, quia privilegium naturam habet legis *permissivae,* non vero *praeceptivae,* nisi ex alio capite exurgat obligatio (can. 69); ut usus privilegii oratorii privati die dominica, deficiente ecclesia.

815.—Q. *An privilegiatus indigeat consensu sui Superioris, ut suo privilegio uti possit?*

R. Distinguendum est: si haec conditio in concessione habeatur, certe affirmandum est; si vero non adjiciatur, subdistin-

guendum est: saeculares non indigent consensu Episcopi; Regulares autem consensu sui Superioris indigent, si Constitutiones Apostolicae vel Ordinis eum exigant, secus non, quia nemini licet privilegiatum in usu juris quaesiti turbare. Privilegio tamen uti nequit Religiosus repugnantibus suis Superioribus. Et verum licet de jure communi Praelati non possint subditis limitare vel auferre usum privilegiorum, bene hoc facere possunt ex speciali privilegio Gregorii XIII, praecipue si sint Generales, vel Provinciales. Ceterum nulla fides adhibeatur Religioso dicenti se habere privilegium, nisi Superiori suo illud ostendat.

816.—Q. *An Capitulum Generale limitare possit, vel restringere, aut etiam respuere usum privilegii Ordini concessi?*

R. Sententia communis affirmat; ratio est, quia in Capitulo Generali adest voluntas interpretativa totius Ordinis, cui talia privilegia concessa sunt, et semper praesumitur, quod in majus bonum illius redundabit, non vero potest renuntiare privilegio per modum legis dato, vel si renuntiatio cedat in Ecclesiae aliorumve praejudicium (can. 72, § 4).

Capitulum autem Provinciale pro sua Provincia eamdem non habet potestatem; loquendo tamen de privilegiis alicui particulari Provinciae concessis, de quibus non participant aliae Provinciae, sunt quasi personalia ac proinde possunt ab illo renuntiari. At quando privilegium est totius Ordinis, non potest illi renuntiare; quia per renuntiationem Provinciae semper laederetur jus acquisitum a tota Religione, et exemplum multum nocere posset ceteris, et causam praebere litigandi: et ideo necessario exspectandus erit consensus Capituli Generalis, vel Definitorii Generalis, si ejus vices ad hoc specialiter sit deputatum. Cum id recta ratio generatim postulet ad bonum regimen, videantur speciatim statuta cujuslibet Religionis.

817.—Q. *Quinam uti possint privilegiis alicui Ordini concessis?*

R. 1.º Omnes qui actu ad Ordinem proprie pertinent. Hinc: 1.º Episcopus Regularis gaudet privilegiis Ordinis quatenus est membrum Ordinis, non vero privilegiis membris Communitatis concessis.

2.º Apostatae privilegiis omnibus suae religionis privantur (can. 2385).

3.º Famuli autem, debitis conditionibus vestiti, non quidem omnibus gaudent privilegiis, sed nonnullis, quae ipsis conveniunt, ad normam can. 514, § 1.

818.—Q. *An Regulares teneantur sua privilegia Ordinariis locorum exhibere, ut eis licite uti possint?*

R. Privilegia *mere spiritualia,* quae nullum effectum publicum sortiuntur, vel in foro conscientiae dumtaxat exercentur, Ordinario loci exhibenda non sunt; sed debent Ordinario impetrantis praesentari, cum id in rescripto pontificio, vel in lege communi expresse praecipitur, aut de rebus agitur publicis, aut comprobare conditiones quasdam oportet (can. 51).

«Conditiones in rescriptis tunc tantum essentiales pro eorundem validitate censentur, cum per particulas *si, dummodo,* vel aliam ejusdem significationis exprimuntur» (can. 39).

819.—Q. *In quonam loco uti possit privilegiatus privilegio suo?*

R. Si locus sit designatus, in eo tantum loco uti potest suo privilegio; secus, privilegium valet pro toto territorio concedentis, nisi aliunde requiratur aliqua licentia Episcopi aut parochi ad facultatem privilegiato concessam exercendam.

ARTICULUS VI

DE INTERPRETATIONE PRIVILEGIORUM

820.—Q. *Quotuplex et a quibusnam detur interpretatio privilegiorum?*

R. Duplex datur interpretatio privilegiorum: *doctrinalis* nempe, seu *magistralis,* et *authentica,* seu *judicialis.*

Doctrinalis ea est, quam quilibet vir doctus adhibere potest, non quidem juxta libitum, sed secundum jura, verba et regulas sanae interpretationis. Huic autem doctrinali interpretationi, praesertim a Praelatis factae, quilibet in conscientia acquiescere potest.

Authentica vero ea est, quam nemo nisi solus Princeps, qui privilegium dedit, exhibere potest. Vim habet absolutam, etiam in casu quo verba privilegii ultra eorum sensum communem extendit (can. 17, § 2).

Judicialis interpretatio in sententiis judicis continetur, et eas tantum personas obligat vel res afficit, pro quibus directe data est (can. 17, § 3). Ex iisdem repetitis sententiis stylus Curiae efformatur, qui vim juris obtinet.

Usualis interpretatio ex communi modo agendi vel ex recepta consuetudine hauritur, quae non solum legum sed privilegiorum quoque optima interpres est (can. 29).

Cum autem privilegia regularium sint quasi leges Pontificiae, non possunt interpretari *authentice* et *juridice,* neque ab Episco-

pis, neque ab Archiepiscopis, neque ab aliis Praelatis ecclesiasticis. Et ut omnis ambiguitas in hac parte e medio tolleretur, id illis prohibuit Clemens IV, Constit. «Ordinis vestri», pro Praedicatoribus et Minoribus; et Alexander VI pro Congregatione S. Benedicti; et Paulus III, pro Societate Jesu.

Quod est etiam rationi conforme: nam in dubio, utrum jurisdictio contra regulares pertineat ad Episcopum, et ad judices ecclesiasticos, non possunt ipsi cognoscere de causa, ne sint judices in propria causa.

Ceterum quando dubium aliquod suboritur circa privilegiorum Regularium intelligentiam, et Sedes Apostolica consuli non potest, a viris juris peritis, aliisve judicibus est judicandum; at in eorum favorem interpretanda sunt, ob concessionem Alexandri VI factam Benedictinis Vallisoleti anno 1501 sub his verbis: Quando dubium fuerit in intellectu privilegiorum Regularium, semper per juris peritos, et alios judices *in favorem Regularium fiat interpretatio*». Idem concessum esse Societati Jesu a Paulo III testatur Pellizarius n. 139.

Quod autem spectat ad Praelatos Regulares, ut Generales, Visitatores, Provinciales et praelati immediati, interpretari possunt privilegia, cum dubia sunt. Et Generales, nedum doctrinaliter, sed etiam *juridice*, et *authentice* illa interpretari possunt, ita ut omnes subditi teneantur stare illorum interpretationi. Ita concessit Julius II Generali Praedicatorum 14 Dec. 1504. Const. *Considerantes, quod multa.*

Insuper Sixtus IV concessit Canonicis Regularibus SS. Salvatoris, Const. «Ad universos», ut quivis Regularium Praelatus haec et alia majora possit declarare. Quibus privilegiis supponunt auctores cum Lezana (n. 12) gaudere omnes, qui participant in privilegiis, cum dictis Ordinibus.

Ex quibus infertur: 1.º praefatam interpretationem, non solum posse fieri a dictis Praelatis doctrinaliter; sed etiam auctoritative et juridice definire.

2.º Dictam authenticam interpretationem Praelatorum Regularium solum habere vim pro suis subditis.

3.º Illam esse faciendam prudenter, et cum consilio peritorum, et hanc potestatem, utpote favorabilem, esse extendendam ad Vicarios conventuum loco Superioris defuncti, vel officio privati, vel absentis ultra triduum, ac etiam ad Vicarios parvorum conventuum, qui in prioratus non sunt erecti. Cfr. Petr. ab Ang. p. 7, et Andr. a Matre Dei, p. 45).

821.—Q. *Quaenam sint regulae interpretationis privilegiorum?*

R. Sunt sequentes: 1.º Omne privilegium ita interpretandum est, ut privilegiato nec inutile sit, nec onerosum (c. 68). 2.º Privilegium ex ipsius tenore aestimandum est, nec li-

cet illud extendere aut restringere (can. 67). Est ergo large vel stricte interpretandum, prout est favorabile vel odiosum. Odiosum autem *favorabili* aequiparatur, et large interpretandum est, si vel insertum sit in Codice, vel reale sit; nam ob suam perpetuitatem habetur tanquam insertum in Codice, vel sit privilegium absolvendi, dispensandi aut communicandi illud cum aliis, vel si secus redderetur inutile. «Privilegia vero in praejudicium aliorum obtenta stricte interpretanda sunt, etiamsi concessa fuerint ex motu proprio» (can. 50).

Late interpretanda sunt privilegia *favorabilia,* qualia reputantur, quae nemini nocent; item illa, quae concessa sunt *motu proprio,* ex certa scientia vel in favorem boni communis, cultus Dei et salutis animarum. Hic tamen observa regulas sequentes:

a) Privilegium non est extendendum ad alias personas vel causas, ob similitudinem rationis; quia pro iis deest reapse voluntas principis seu concedentis, quae sola operatur; praeterea ex tali interpretatione facile sequerentur absurda.

b) Interpretatio ampla semper est facienda intra limites proprietatis verborum, secundum significationem juridicam saltem, nisi major extensio necessaria sit, ut privilegium aliquid operetur: privilegia enim non plus operantur, quam verba exprimunt.

3.º *Stricte* interpretanda sunt privilegia *odiosa,* seu qua parte odiosa sunt, qualia in ordine ad interpretationem reputantur ea, quae nocent juri tertii, et generatim ea, quae derogant juri sive communi, sive particulari loci; item ea, quae iniqua temporum necessitate quasi extorquentur.

Regulae autem restrictionis sunt sequentes: a) Non debet restrictio esse tanta, ut reddat inutile privilegium, quantumvis odiosum appareat, nisi constet esse injustum; non enim censetur princeps voluisse aliquid injustum. b) Verborum proprietas tenenda est, nec extra eam trahenda verba, ut privilegium minuatur, nisi justitia ad id cogat, aut constet aliunde voluntas principis. Secus nihil certum esset, et ex alia parte voluntas expressa principis est semper servanda (Cfr. V. d. Berghe, de Legibus, n. 177).

Religio, ad normam can. 100, § 3, est persona moralis, et ideo privilegiis minorennium gaudet; quare ei contra aggressores privilegiorum, etiam si proprii Superiores ea violaverint vel violari permiserint, praeter remedia juris ordinaria, remedium extraordinarium restitutionis in integrum suppetit ex can. 1687, § 1).

b) Privilegia autem alicui Ordini, Communitati, vel ad aliquam causam piam concessa, interpretanda sunt, juxta communem sententiam, non modo *late,* sed *latissime,* etiamsi juri communi, vel juri alicujus tertii adversentur. Ratio est, quia concessa praesumuntur tanquam remuneratoria servitiorum praesti-

torum; ideoque censentur maxime favorabilia. S. Alph. Theol. M. I. Appendix. De Privil. n. 8 et Marc. n. 253-3.º.

ARTICULUS VII

DE CESSATIONE PRIVILEGIORUM

822.—Q *Quomodo cesset privilegium?*

R. Distinguitur duplex modus generalis, quo privilegium cessat, seu amittitur: primus est quasi ab intrinseco et sponte sua; alter autem fit per actionem contrariam, sive privilegiati, sive alterius extrinsece agentis privilegium revocantis.

1.º *Ab intrinseco et sponte sua* cessat privilegium:

a) *Elapso tempore,* pro quo, vel cessante conditione, sub qua fuit concessum: quoad conditionem autem attendere oportet, utrum fuerit apposita non solum ad fieri, sed etiam ad conservationem privilegii; quia, si solum ad fieri fuerit requisita conditio, hac impleta, privilegium evadit absolutum, et deinceps cessante conditione non perit. Exemplo res declaratur: si Papa concedat parocho privilegium habitandi extra parochiae suae limites, modo Episcopus consenserit; consensu Episcopi obtento, jam acquisitum est privilegium; neque ob dissensum Episcopi postea supervenientem cessabit; secus esset, si detur idem privilegium cum clausula: *quamdiu Episcopus consentiat*, vel simili.

b) *Pereunte subjecto immediato,* persona scilicet moriente, cui privilegium fuerat concessum; vel destructa re, aut amisso munere, cui fuerit adnexum. Notant tamen auctores, quod si res materialis, puta ecclesia aut monasterium, cui adhaeret privilegium, destruatur casu ab auctoritate non legitima, vel etiam ab auctoritate legitima, sed cum spe reaedificationis, privilegium non penitus amittitur, sed suspenditur tantum, quousque res illa restituatur. «Privilegia realia cessant per absolutum rei vel loci interitum; privilegia vero localia, si locus intra quinquaginta annos restituatur, reviviscunt» (can. 75).

c) *Cessante causa finali,* cessat privilegium contra legem, aut contra jus tertii, saltem quando causa finalis cessat *contrarie*, i. e. quando usus privilegii, ob mutationem materiae, vel circumstantiarum, factus est illicitus; nam ad actum illicitum jus esse nequit; verum, si causa finalis cessat tantummodo *negative,* ita ut usus privilegii non fiat iniquus, juxta probabilem sententiam, non cessabit privilegium, ipso facto, etiamsi tractum sucessivum habeat; quia bene potuit Superior, ob justam causam tempore concessionis existentem, elargiri privilegium absolute et sine dependentia a causae perseverantia. (can. 77).

2.º *Ex parte ipsius privilegiati* cessat privilegium:

a) *Per renuntiationem* ab illo, qui privilegium concessit.

acceptatam. Etenim liberum est unicuique suo juri renuntiare. Verumtamen illi soli privilegio renuntiare possunt, quibus directe fuit concessum; sic privilegia communitati collata a particularibus membris abdicari nequeunt (can. 72, § 1, 2 et 3).

b) Per *non usum,* seu per viam praescriptionis perimi possunt privilegia onerosa, quae in aliorum gravamen seu praejudicium cedunt; secus vero privilegia aliis non onerosa, uti privilegium celebrandi Sacrum ante auroram (can. 76).

c) *Per usum contrarium* privilegia aliis haud onerosa non cessant; quae vero in aliorum gravamen cedunt, amittuntur, si accedat legitima praescriptio vel tacita renuntiatio» (can. 76): quae ergo aliis sunt onerosa, per non usum vel per usum contrarium tunc cessant, si ex parte ejus in cujus gravamen cedunt, praescriptio liberativa accesserit, ad quam, ex can. 1511, § 2, spatium triginta annorum requiritur, vel si adsint evidentia signa tacitae renuntiationis ad normam can. 76, quando nimirum privilegiatus abutitur facultate sibi concessa, sive eam extendendo ultra illius limites, sive ex illa sumendo occasionem delinquendi, sive directe agendo contra finem privilegii, privilegium amittere meretur ad normam can. 78: «Qui abutitur potestate sibi ex privilegio permissa, privilegio ipso privari meretur; et Ordinarius Sanctam Sedem monere ne omittat, si quis privilegio ab eadem concesso graviter abutatur».

3.º Per *revocationem.* Revocari possunt a concedente ejusve successore vel superiore *qua tali.* Valide semper revocari possunt privilegia *gratiosa* subdito concessa et consistentia in mera facultate agendi praeter vel contra jus. Ad licitam autem revocationem requiritur rationabilis causa: *nam decet concessum a principe beneficium esse mansurum,* juxta regulam 15 Juris in 6.º Privilegia vero *conventionalia,* aut *remuneratoria,* aut etiam *gratuita, per quae confertur dominium juris,* necnon quaevis privilegia *non subdito* concessa revocari nequeunt, nisi id exigat bonum publicum, et quidem si agatur de privilegio *conventionali* aut *remuneratorio* ex justitia debito, justa debetur compensatio, nam illa privilegia induunt rationem contractus, quem etiam princeps servare tenetur, in quantum eum cum bono communi conciliare possit. «Per legem generalem revocantur privilegia in hoc codice contenta; ad cetera quod attinet, servetur praescriptum can. 60, haec statuentis: «Rescriptum, per peculiarem Superioris actum revocatum, perdurat usque dum revocatio ei, qui illud obtinuit significetur». «Per legem contrariam nulla rescripta revocantur, nisi aliud in ipsa lege caveatur, aut lex lata sit a Superiore ipsius rescribentis».

823. — Q. *Quotuplex distinguatur revocatio privilegiorum et quomodo fieri debeat, ut suum obtineat effectum?*

R. Ad 1um. Duplex distinguitur, nempe *expressa* et *tacita* Est *expressa* quando expresse dicitur privilegia revocari; est autem *tacita* quando id expresse non dicitur, sed a principe ponitur aliquis actus privilegio directe contrarius, ita ut actus ille suum nequeat effectum producere, nisi sublato privilegio. Revocatio *expressa* subdistinguitur: alia est *specialis,* qua nempe revocatur aliquod privilegium in specie determinatum; alia est *generalis,* qua generaliter privilegia omnia alicui decreto contraria revocantur, quin tamen in specie numerentur vel determinentur. Revocatio autem *generalis* iterum subdistinguitur in *communem,* quae fit per clausulam communem, ut est: non obstantibus quibuscumque privilegiis; et *extraordinariam* quae fit per clausulam: *non obstantibus privilegiis sub quacumque verborum forma conceptis, etiamsi eorum mentio de verbo ad verbum fieri deberet.*

Ad 2um. a) Revocatio expressa *specialis* intimari debet privilegiato, et suum non sortitur effectum, nisi post illam intimationem. b) Quoad revocationem generalem communem, haec statuuntur: 1.º Utrum tollat privilegium in corpore juris clausum, necne, inter auctores disputatur. (Cfr. Piat. II-139 2.ª edit.)

2.º Speciale privilegium extra jus commune contentum, non revocatur, nisi mediante speciali illius mentione, quia S. Pontifex censetur illud ignorare. Si vero in tenore privilegii adsit clausula, quod revocari nequeat, nisi de illo expressa fiat mentio, aut nisi tenor de verbo ad verbum referatur, ejusmodi privilegium non revocatur per clausulam revocatoriam generalem communem; sufficienter tamen revocatum censetur, si in revocatione dicatur: *Revocamus, etiamsi in eo clausula reperiatur requirens expressam de eo mentionem, vel quacumque verborum forma concessum sit,* vel simili clausula.

b) Quoad revocationem *tacitam* statui solent sequentes regulae: 1.º «Per novam legem generalem revocantur privilegia in novo Codice J. C. contenta, at non revocantur privilegia specialia, nisi eorum specialis mentio fiat (can. 71); ratio est, quia legislator censetur cognoscere privilegia in corpore juris clausa. 2.º Per dictam legem non tolluntur privilegia in corpore juris non clausa; nam legislator censetur ea ignorare: proinde ex eo quod ferat legem ipsis contrariam, immerito concluderetur eum velle haec privilegia esse sublata. 3.º Si princeps concedat privilegium contrarium alteri privilegio jam concesso, quin de hoc anteriori privilegio quidpiam exprimat, novum privilegium pro subreptitio ac invalido regulariter loquendo habendum est. 4.º Quando princeps fert sententiam, ex qua se-

quitur ab ipso non agnosci ut validum aliquod privilegium, non censendus est revocare ejusmodi privilegium, sed potius illud tanquam subreptitium declarare. (Cfr. Bouix. II-80).

824.—Q. *An et quaenam privilegia Regularium sint revocata?*

R. Quaelibet religio, post Codicis J. C. publicationem, sequentibus privilegiis gaudet:

1.º Privilegiis quae in ipso Codice continentur, vel generaliter pro religionibus omnibus, vel pro aliqua in particulari. (can. 613, § 1).

2.º Privilegiis quae a *Sede Apostolica directe eidem Religioni concessa fuerint* (can. 613, § 1); *directe* id est *nominatim* tali vel tali religione, vel etiam pluribus religionibus, sed nominatim expressis.

3.º Privilegiis quae legitima *consuetudine* vel *praescriptione* unaquaeque religio tanquam *sibi* propria vindicare valet. Cfr. dicta, hac de re, n. 808.

825.—Q. *Quaenam privilegia vocentur oracula vivae vocis?*

R. 1.º Sunt privilegia non scripta, sed oretenus concessa, sive proprio motu, sive ad instantiam partis, circa quae Codex J. C., can. 79, ait: «Quamvis privilegia, oretenus a Sancta Sede obtenta, ipsi petenti in foro conscientiae suffragentur, nemo tamen potest cujusvis privilegii usum adversus quemquam in foro externo vindicare, nisi privilegium ipsum sibi concessum esse legitime evincat». Ex hoc sequitur, privilegii concessionem in foro externo in tantum admitti, in quantum probatur per rescriptum concessorium vel etiam testibus adhibitis. *A Sancta Sede.* De aliis Ordinariis Legislator non loquitur, sed *a fortiori* videntur lege comprehendi, *in foro conscientiae,* seu interno, sive sacramentali sive extra-sacramentali.

CAPUT II

DE PRIVILEGIO EXEMPTIONIS REGULARIUM

Hoc caput in tres dividitur articulos, quorum primus erit de notione exemptionis; secundus, de subjecto illius; tertius, de ejus utilitate respectu Regularium.

ARTICULUS I

DE NOTIONE EXEMPTIONIS

826.—Q. ***Quid et quotuplex sit exemptio Regularium?***

R. Ad 1m. Exemptio, quae nihil aliud est, quam privilegium quo religiosi subtrahuntur per voluntatem S. Pontificis, ab jurisdictione Ordinarii loci, *praeter quam* in casibus a jure expressis (can. 615).

Unde exemptio Regularium est privilegium, vi cujus Regulares jurisdictioni et regimini Episcopi loci subtrahuntur, et immediate S. Pontifici subduntur.

Ad 2um. Haec exemptio potest esse triplex, nempe: *personalis, localis* et *mixta.*

1.º *Personalis* ea est, qua ipsae personae eximuntur immediate, et per se, seu ratione sui; et haec personalis exemptio comitatur personam, ita ut quocumque pergat, et ubicumque sit, fruatur tali privilegio, v. gr. privilegia Cardinalium (can. 239)

2.º *Localis* ea est, quae immediate et directe datur loco, indirecte vero personis ibidem degentibus, eas a potestate episcopali eximentes, e. gr. libertas ab annua visitatione (1).

3.º *Mixta* ea vocatur, qua personae simul et loca, eorumque res ab Ordinarii loci potestate eximuntur, adeo ut iste neque in locum, neque in personas illius loci exercere jurisdictionem suam, vel tribunal ibi erigere pro jurisdictione in alios exercenda, sine proprii Praelati licentia, ullatenus possit. Hujusmodi est exemptio regularium.

ARTICULUS II

DE SUBJECTO EXEMPTIONIS REGULARIUM

827.—Q. ***An et quinam Regulares exemptione gaudeant?***

R. Ad 1um. Omnes regulares, id est, religiosi omnes votorum sollemnium ipso jure perfecta exemptione personali et locali gaudent, vi canonis 615: «Regulares, novitiis non exclusis, sive viri sive mulieres, cum eorum domibus et ecclesiis, exceptis iis monialibus quae Superioribus regularibus non subsunt, ab Ordinarii loci jurisdictione exempti sunt, praeterquam in casibus a jure expressis. «Exceptio ergo est probanda. Vi hujus canonis regulares non subsunt visitationi Ordinarii loci,

(1) Localis exemptio ejus est naturae ut Leo XIII dicere potuerit, "quod sodalitatum religiosarum domus habitae fuerint juris fictione quasi territoria quaedam ab ipsis dioecesibus avulsa." Const. "Romanos Pontifices" 8 maji 1881. Acta S. S. 13, 481.

nec quoad domos nec quoad ecclesias seu oratoria. «Sunt namque, ait D. A. Tozo, Com. minora, Romae 1914, 2 pag. 176, religiosis exemptis qui, Episcopi loco, ad visitationem peragendam ex jure teneantur, nempe Superiores majores» (1).

Ad 2um. 1.º Illo privilegio gaudent omnes Regulares professi, quicumque illi sint, tam Choristae, quam Laici.

2.º Etiam Novitii dicto gaudent privilegio, ita ut Ordinarius non possit de delictis ab ipsis in saeculo, et multo minus in Religione perpetratis cognoscere; quia Novitii in favorabilibus veniunt nomine Religiosorum ,gaudentque privilegiis Ordinis.

3.º Famuli quoque Regularium, ad normam can. 514, § 1, sunt exempti a jurisdictione Ordinarii, si in religiosa domo diu noctuque degant.

4.º Apostatae et fugitivi, quinimo omnes regulares extra domum illegitime degentes, etiam sub praetextu accedendi ad Superiores, exemptionis privilegio non gaudent (can. 616, § 1), et si extra domum delictum commisserint nec a proprio Superiore praemonito puniantur, a loci Ordinario puniri possunt, etsi e domo ,legitime exierint et domum reversi fuerint (ib. § 2).

828.—Q. *An Regulares, in parvis conventibus degentes, gaudeant etiam eodem privilegio exemptionis?*

R. 1.º Affirmative etiam in domibus non formatis, quae relate ad exemptionem ex jure vigenti non subsunt jurisdictioni Ordinarii loci, sed tantum ejus speciali vigilantiae ad normam canonis 617, § 2 (1).

2.º In locis autem missionum nullus requiritur numerus, ut Regulares exemptionis privilegio fruantur; nam Leo XIII in Const. *Romanos Pontifices,* declaravit «Regulares, qui in residentiis missionum commorantur exemptos esse ab Ordinarii jurisdictione, non secus ac Regulares intra claustra viventes, praeterquam in casibus a jure nominatim expressis, et generatim in iis, quae concernunt curam animarum et Sacramentorum administrationem».

Haec Constitutio pro Anglia et Scotia edita, postea petentibus PP. Conc. Baltimorensis III ad Status Fed. Amer. extensa fuit, imo, quoad praesens argumentum, disciplinam in cunctis missionum locis vigentem exhibere videtur. (Cfr. Génicot. II, n. 105).

Religiosi, qui in territoriis S: Congr. de Prop. Fide subjectis

(1) Cfr. Analecta Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, vol. 2. pag. 204, ubi ex professo haec quaestio dilucidatur.

(2) Cfr. Comment. pro Religiosis, III, p. 52 nota et IV. pag. 221. P. Fanfani, De Jure Relig. n. 297.

operarii instituuntur apostolici, multiplici ratione a Vicariis et Praefectis Apostolicis dependent: Statim, cum advenerint, litteras patentes propriae destinationis eis exhibeant (can. 295, § 1); licentiam sacri ministerii exercendi petant (can. 295, § 2); visitationi et correctioni eorum subjiciuntur in iis quae pertinent ad missionum regimen, curam animarum, sacramentorum administrationem, scholarum directionem, oblationes intuitu missionis factas, implementum piarum voluntatum in favorem missionis; in conflictu mandatorum Superioris missionis et religionis, jus prioris praevalet (can. 296, § 1 et 2), qui etiam dissidia inter missionarios componunt (can. 298).

3.º Quod autem attinet ad religiosos violentia gubernii dispersos et extra claustra degentes, saltem in praxi sic tractantur, ac si in claustro viverent. Porro in his arduis adjunctis, nimis durum foret, et aequitati canonicae contrarium conditionem eorum ad strictos juris apices judicare eosque habere uti extra monasteria degentes, et ita privatos exemptionis privilegio declarare. (Cfr. Acta Ap. Sedis, III, 432.

Si tamen cohabitant in domo, *dummodo ibi tres saltem Regulares degant, quorum unus ad minus sit sacerdos*, subsunt jurisdictioni Ministri Provincialis et sunt regendae hujusmodi domus per peculiarem Superiorem ibi constituendum. (S. Poenitentiaria 18 April 1868).

Quoad disciplinam regularem propriis Superioribus religiosi dispersi subesse eisque oboedire tenentur: quoad politiam vero et disciplinam ecclesiasticam ab Episcopo dependent.

829.—Q. *An Congregationes Religiosorum, in quibus emittuntur solummodo vota simplicia, gaudeant privilegio exemptionis?*

R. «Religiones votorum simplicium exemptionis privilegio non gaudent, nisi specialiter eisdem fuerit concessum (can. 618, § 1).

830.—Q. *An Regulares privilegio exemptionis renuntiare possint?*

R. Huic privilegio exemptionis minime renuntiare possunt, quia hoc cederet in praejudicium status religiosi; quemadmodum Clerici cedere nequeunt privilegio fori, aut canonis, in favorem totius Cleri introducto. Unde Regulares absque licentia S. Pontificis, non possunt tacite, vel expresse privilegio exemptionis renuntiare; quia exemptio ab Ordinariis efficit, ut immediate subjiciantur Sedi Apostolicae; in cujus proinde injuriam et damnum cederet, eo ipso, quo se subtraherent ab immediata subjectione Papae, se subjiciendo Ordinariis, exemptionis privilegio renuntiando.

Unde fit nullam consuetudinem in contrarium praevalere pos-

se, nullumve usum, etiamsi ob illum Ordinarii sint in possessione Regulares judicandi: quia eatenus talis possessio, aut usus illis favere posset, quatenus tacitam renuntiationem includit, quae a Regularibus praestari non potest. (Cfr. Andr. a Matre Dei, p. 149).

Quod si dubium suboriatur circa privilegium exemptionis, in hoc casu semper possidet exemptio, ita quidem, ut religiosi jus suum probare non teneantur ad normam can. 1747, n. 2.º asserentis: «Non indigent probatione...»

Quae ab ipsa lege praesumuntur: «sed Episcopo onus rem suam defendendi incumbat. Ita S. Alphonsus, De privilegiis n. 78, et Leo XIII in sua Const. «Romanos Pontifices» 8 maji 1881 (Acta S. S., 13, 481).

Errat ergo *Pennachi* (Acta S. S. 30, 407) qui censet regulares in iis tantum esse exemptos, in quibus *authentice declarati fuerint* exempti. P. Marc., n. 2184.

ARTICULUS III

DE UTILITATE PRIVILEGII EXEMPTIONIS PRO REGULARIBUS

831.—Q. *Quare Regulares exempti sint ab Episcopi jurisdictione?*

R. 1.º Potissima ratio est, quia sic statuerunt et voluerunt SS. Pontifices. Qua in re RR. Pontificibus nec jus defuit, neque gravissimae causae. Romanus Pontifex quidem ex auctoritate, quam habet in universam Ecclesiam, si in assignandis subditis cuique Episcopo, aliquos ab ejus eximat jurisdictione, sibique immediate subjiciat, utitur jure suo, ut Caput et Princeps Ecclesiae, et nihil est cur quisquam de hac exemptione conqueratur. Sed et fuerunt gravissimae rationes, cur hanc exemptionem concederent. Ab auctoribus autem quatuor praecipuae assignantur, nempe:

a) *Ne Regularium Congregationum unitas dissolveretur.* Eo ipso enim, quod unusquisque conventus Episcopo loci subjaceret, ipsius verus Superior foret *Episcopus,* et quidem Superior *supremus.* Hinc tot exstarent supremi Superiores ab invicem independentes ,quot forent Episcopi aliquem in sua dioecesi conventum habentes. Sed nemo non videt, quod id, si semel concederetur, unitatem Congregationum Regularium dissolveret.

b) *Ut fortiori vinculo particulares Ecclesiae Sedi Apostolicae tanquam centro unitatis devincirentur.* Etenim ita vehementer quandoque impetitur vi hac frandibus a potestatibus hujus saeculi adhibitis, regio catholica, ut fides pericletetur. Jamvero si ibidem exstent exemptorum Regularium conventus, iis totidem veluti arcibus utetur Apostolica Sedes ad propugnandam catholicam unitatem et fidem. Ex his nempe propugnaculis orie-

tur ad fideles, vehemens de periculo clamor; magisque Regularibus cum R. Pontifice perstantibus, quam caeteris in novitatem misere ruentibus, fidentes populi, artes fraudesque omnes deludent.

c) *Ut conservaretur et promoveretur disciplina religiosa in iisdem Institutis.* Ad conservandam enim ac promovendam in unaquaque familia religiosa disciplinae regularis integritatem, necesse est, ut ii, quibus id muneris incumbit, diu in ejusdem Regulae palaestra *sese exercuerint,* ac hujus Instituti spiritu imbibiti quodammodo fuerint.

d) *Ut prospiceretur Religiosorum quieti et ab ipsis gravamina arcerentur.* Quamvis enim haud frequens supponi debeat gravamina monasteriis ab Episcopis inferenda, pro humana tamen fragilitate aliquando haec incommoda incurrere saeculorum experientia testatur, adeo ut, ad componendas lites inter Episcopos et Regulares exortas, specialis S. Congregatio Ep. et R. Romae instituta fuerit. Et quidem optimo plerumque fine in istis disceptationibus ducuntur Episcopi; at non raro eos, etsi ex laudabili zelo, minus tamen recte sensisse arguit *causarum exitus,* quae ad dictam S. C. perferuntur. Unde quisque inferre potest quam salubri ordinatione dispositum fuerit, ut Religiosi exemptionis tutamine protegantur. (Cfr. Bouix, II-122).

2.º Naturam hujusmodi exemptionis et causas optime exponit S. D. Leo XIII in Const. Romanos Pontifices. (Coll. P. F. n. 422). «Quamvis, ait, in Ecclesiae hierarchia, quae est divina ordinatione constituta, presbyteri et ministri sint inferiores Episcopis horumque auctoritate reguntur, tamen, quo melius in religiosis Ordinibus omnia essent inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur, denique ut esset incremento et perfectioni religiosae conversationis consultum, haud immerito RR. Pontifices, quorum est dioeceses describere, ac suos cuique subditos sacra potestate regendos attribuere, Clerum Regularem Episcoporum jurisdictione exemptum esse estatuerunt. Cujus rei non ea fuit causa quod placuerit religiosas sodalitates potiore conditione frui, quam Clerum saecularem, sed quod earum domus habitae fuerint juris fictione quasi territoria quaedam ab ipsis dioecesibus avulsa. Ex quo factum est, ut religiosae familiae, quas jure communi et Episcopis propter primatum Pontificium immediate subesse oportet, in ejus potestate esse perrexerint. Quum autem re ipsa inter fines dioecesium vitam degant, sic hujus privilegii temperata vis est, ut sarta tecta sit dioecesana disciplina, adeoque ut Clerus regularis in multis subesse debeat episcopali potestati, sive ordinariae, sive delegatae».

CAPUT III

DE VARIIS CASIBUS, PRAESERTIM PRACTICIS, IN QUIBUS REGULARES EPISCOPIS SUBJICIUNTUR

Praesens caput in undecim dividitur articulos, quorum primus erit de natura potestatis Episcopi in Regulares; secundus, de lectione S. Scripturae in monasterio habenda; tertius, de variis in ecclesiis Regularium observandis; quartus, de S. Reliquiis; quintus, de celebratione Pontificalium in ecclesiis Regularium; sextus, de Processionibus; septimus, de Confraternitatibus; octavus, de Ordinationibus; nonus, de sepulturis; decimus, de quaestuatione; undecimus, de Regularibus extra claustra delinquentibus.

ARTICULUS I

DE NATURA POTESTATIS EPISCOPI IN REGULARES

832.—Q. *An Episcopi habeant aliquam potestatem in Regulares exemptos in sua dioecesi degentes?*

R. 1.º Etsi Regulares gaudeant privilegio exemptionis ab Episcopi jurisdictione, in variis tamen casibus subjiciuntur potestati Episcopi dioecesani.

2.º Haec autem Episcoporum potestas in Regulares exemptos non est proprie jus imperandi et disponendi *ad modum Superioris*; sed potius jus et officium procurandi, ut exempti *servent leges canonicas,* quas voluit Ecclesia committi Episcoporum inspectioni et auctoritati. Omnis Episcoporum auctoritas in religiosos ex jure ordinario procedit, quia distinctio illa tridentina inter potestatem Episcopi ordinariam et delegatam sublata est.

ARTICULUS II

DE LECTIONE CASUS MORALIS ET LITURGICI IN MONASTERIIS HABENDA

833.—Q. *Quaenam statuta sint quoad hanc lectionem?*

R. Sequentia; «In qualibet saltem formata domo, minimum semel in mense, habeatur solutio casus moralis et liturgici, cui, si Superior opportunum existimaverit, addi potest sermo de re dogmatica conjunctisve doctrinis; et omnes clerici professi qui studio sacrae theologiae operam navant aut illud expleverunt et in domo degunt, assistere tenentur, nisi aliud in constitutionibus caveatur» (can. 591). His conferentiis interesse debent, nisi a

loci Ordinario exemptionem antea expresse obtinuerint, tum omnes sacerdotes saeculares, tum religiosi licet exempti curam animarum habentes et etiam, si collatio in eorum domibus non habeatur, alii religiosi qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerunt» (can. 131, § 3); secus «Ordinarius loci eos ab audiendis saecularium confessionibus suspendat» (can. 2377). Cfr. Commentarium pro Religiosis, 2, pags. 52 et 85.

De hujusmodi lectione loquuntur Constitutiones nostrae, n. 188 his verbis: «Quo autem Fratres nostri Poenitentiae sacramenti fiant idonei ac fideles dispensatores, de ratione hoc sacramentum recte ministrandi, bis saltem in mense, hora opportune designata, mutuo conferant. Quod observetur in omnibus Prioratibus et Vicariatibus; in nostris vero Residentiis dicta collatio semel saltem in mense habeatur. Ad quam conferentiam non conveniant Fratres studiis adhuc incumbentes, nisi Provinciali aliud videatur; in eaque habeatur solutio casus moralis et liturgici, cui, si Superior opportunum existimaverit, addi poterit sermo de re dogmatica conjunctisve doctrinis».

ARTICULUS III

DE VARIIS IN ECCLESIIS REGULARIUM OBSERVANDIS, NON OBSTANTE PRIVILEGIO EXEMPTIONIS

834. 1.º *Quae Episcopus dioecesanus apud regulares facere* potest: a) In ecclesiis regularium exemptorum contionari (can. 1343, §); pontificalia exercere (can. 337, § 1); sacramentum confirmationis ministrare (can. 792). b) Scholas, non internas pro professis religionis exemptae, oratoria, recreatoria, patronatus, etc., in iis quae religiosam et moralem institutionem spectant, visitare (can. 1382).

835. 2. *Quae Episcopo territorii facienda linqui debeant*: a) Consecratio (non item benedictio) loci sacri (can. 1155), et campanarum (can. 1169, § 5); consecratio altaris immobilis (can. 1199, § 2). b) Judicia de causis speectantibus ad S. Officium (can. 1265); et de causis inter religiosas personas physicas vel morales diversae religionis (can. 1579, § 1); et controversiae de praecedentia collegiali, in casibus urgentioribus (can. 106, 6.º). c) Examen voluntatis puellarum vel sororum, ante novitiatum, primam professionem temporariam et perpetuam. (can. 552).

836. 3. *Quae, jubente Episcopo, ipsi regulares facere vel praestare debeant*:

a) Praeces recitare publica causa imperatas (can. 612).

b) Collectas seu orationes imperatas, in Missa dicendas, recitare et Episcopum in canone nominare (ex lege liturgica).

c) Sollemnia sacra generaliter praescripta celebrare (can. 612).

d) Campanam ob publicam causam, jubente Ordinario, sonare (can. 612).

e) Catecheticam institutionem populo tradere (can. 1334).

f) Diebus festis brevem evangelii vel doctrinae christianae explanationem facere (can. 1550).

g) Ordinationes observare ad divinum cultum tutandum. (can. 1261).

h) Processiones publicas ab Ordinario indictas participare, nisi ultra tria millia pasuum a civitate ubi indictae sunt distent, regularibus exceptis qui in strictiore clausura perpetuo vivant. (c. 1291, § 1).

i) Observare taxas dioecesanas pro stipendis Missarum manualium (can. 831, § 3) non tamen pro Missis fundatis (can. 1550).

k) Abstinere divinis officiis quae, judicio Ordinarii loci, catecheticae instructioni aut evangelii explanationi in ecclesia paroeciali tradendae nocumentum afferant (can. 609, § 3).

l) Nisi solis eleemosynis vivant aut actu habeant collegium discentium vel docentium ad commune Ecclesiae bonum promovendum, tributum solvere pro Seminario (can. 1356); aut, qua beneficiarii, extraordinariam et moderatam exactionem praestare (can. 1505).

837. 4. *Quae sine interventu vel consensu Episcopi ab ipsis fieri nequeunt*:

a) Erigere domum religiosam et aedes quoque separatas (can. 497).

b) In certo ac determinato loco erigere ecclesias vel oratoria publica (can. 1162, § 4).

c) Audire confessiones saecularium et religiosarum (can. 874, § 1, et 876).

d) Contionari coram aliis ac monialibus vel contubernalibus, in hac re assimilatis (can. 1338, 1339, 514).

e) Custodire SS. Eucharistiam in oratorio principali, non publico (can. 1265, § 1, n. 2).

f) SS. Sacramentum publice, i .e. cum ostensorio exponere (1) (can. 1274, § 1).

g) Exponere in ecclesiis aut locis sacris imagines insolitas (can. 1279, § 1).

h) Orationes in publica ecclesia vel in oratorio publico et pietatis exercitia non approbata peragere (c. 1259, § 1).

i) Nominare rectorem ecclesiae non adnexae conventui (can. 480, § 2).

(1) Sub nomine expositionis publicae venit etiam Benedictio eucharistica quae, palam exposito SSmo. Sacramento in ostensorio, impertiri solet. Pontif. Commissio, 6 mart. 1927. (Acta A. S. XIX. 161).

k) Indulgentias novas, ecclesiae concessas, quae Romae promulgatae non sint, pervulgare (can. 919, § 1).

l) Ordines suscipere, si Superiores ordinationes facere nequeant (can. 956, 959, 964).

m) Associationes pias erigere (can. 868, § 3, 703); iis peculiares vestes praescribere in publicis functionibus deferendas vel habitum confraternitatis mutare (can. 703, § 3); moderatorem vel capellanum e clero saeculari praeficere associationi in propria ecclesia erectae (can. 698, § 1).

n) Processiones publicas extra ecclesiae ambitum, extra octavam Corporis Domini, peragere (can. 1291, § 2).

o) Publici juris facere libros, ephemerides vel scribere in diariis (can. 1385, 1386).

p) Professionem fidei (cum abjuratione Modernismi) facere qua confessarii, concionatores, beneficiarii curati (can. 1436, § 1, 7.º).

q) Quaestuationes facere, nisi ex instituto vocentur et sint mendicantes (can. 621 et 622).

r) Collocare pecuniam datam paroeciae vel missioni aut religiosis intuitu paroeciae vel missionis (can. 533, § 1, 4.º)

s) Bona fiduciaria recipere quae attributa sint loci seu dioecesis ecclesiis, incolis aut piis causis juvandis (can. 1516, § 1 et 3).

ARTICULUS IV

DE SANCTIS RELIQUIIS

838. -Q. *Quaenam statuta sint quoad S. Reliquias?*

838. Quaenam statuta sint quoad S. Reliquias? R. habet Codex J. C. can. 1281, § 1: «Insignes reliquiae aut imagines pretiosae itemque aliae reliquiae aut imagines quae in aliquae ecclesia magna populi veneratione honorentur, nequeunt valide alienari neque in aliam ecclesiam perpetuo transferri sine Apostolicae Sedis permissu».

«Insignes Sanctorum vel Beatorum reliquiae sunt corpus, caput, brachium, antibrachium, cor, lingua, manus, crus aut illa pars corporis in qua passus est martyr, dummodo sit integra et non parva» (ib., § 2).

«Insignes Sanctorum vel Beatorum reliquiae nequeunt in aedibus vel oratoriis privatis asservari, sine expressa Ordinarii licentia» (can. 1282, § 1).

«Reliquiae non insignes debito cum honore etiam in domibus privatis servari pieque a fidelibus gestari possunt» (ib. § 2).

«Publico cultu eae solae reliquiae in ecclesiis quanquam exemptis, honorari possunt, quas genuinas esse constet authen-

tico documento alicujus S. R. E. Cardinalis, vel Ordinarii loci, vel alius viri ecclesiastici cui facultas *authenticandi* indulto apostolico sit concessa» (can. 1283, § 1, qualis est *Postulator* generalis in sua religione.

«Vicarius Generalis nequit, sine mandato speciali reliquias authenticas edicere (ib. § 2).

«Locorum Ordinarii reliquiam, quam certo non esse authenticam norint, a fidelium cultu prudenter amoveant» (can. 1284)

«Sacrae reliquiae, quarum authenticitatis documenta ob civiles perturbationes vel ob alium quemlibet casum interierint, publicae venerationi ne exponantur, nisi praecedat judicium Ordinarii loci, non autem Vicarii Generalis sine mandato speciali» (can. 1285, § 1).

«Reliquiae tamen antiquae in ea veneratione qua haçtenus fuerunt, sunt retinendae, nisi in aliquo peculiari casu certis argumentis constet eas falsas vel suppositicias esse (ib. § 2).

«Locorum Ordinarii ne sinant, maxime in sacris concionibus, libris, ephemeridibus vel commentariis fovendae pietati destinatis, ex meris conjecturis, ex solis probabilibus argumentis vel praejudicatis opinionibus, praesertim verbis ludibrium aut despectum sapientibus ,quaestiones agitari de sacrarum reliquiarum authenticitate» (can. 1286).

«Reliquiae, cum exponuntur, in thecis seu capsis clausae et obsignatae sint oportet» (can. 1287, § 1).

«Reliquiae sanctissimae Crucis nunquam in eadem theca cum reliquiis Sanctorum publicae venerationi exhibeantur, sed propriam thecam separatam habeant» (ib. § 2).

«Beatorum reliquiae, sine peculiari indulto, in processionibus ne circumferentur, neve in ecclesiis exponantur, nisi ubi eorum officium et Missa celebretur ex Sedis Apostolicae concessione» (ib. § 3).

«Sanctissimae Crucis reliquiae, quas in cruce pectorali Episcopus forte defert, ecclesiae cathedrali, ipso defuncto, cedunt, Episcopo successori transmittendae; et si defunctus pluribus praefuerit dioecesibus, ecclesiae cathedrali, in cujus territorio supremum diem obiit, aut, si extra dioecesim mortuus est, ex qua ultimo discessit» (can. 1288).

«Sacras reliquias vendere nefas est; adeoque Ordinarii locorum, vicarii foranei, parochi aliive curam animarum habentes, sedulo caveant ne sacrae reliquiae, praesertim sanctissimae Crucis, occasione maxime hereditatum aut alienationis acervi bonorum, veneant, neve in acatholicorum transeant» (can. 1289, § 1).

«Rectores ecclesiarum, ceterique ad quos spectat, sedulo invigilent ne sacrae reliquiae ullo modo profanentur, neve hominum incuria pereant, vel minus decenter custodiantur» (ib. § 2).

ARTICULUS V

DE CELEBRATIONE PONTIFICALIUM IN ECCLESIIS REGULARIUM

839.—Q. *An Episcopi possint Pontificalia exercere in ecclesiis Regularium?*

R. Affirmative, ut patet ex can. 337, § 1, ut dictum est n. 834; extra dioecesim vero de consensu Superioris religiosi si agatur de ecclesia exempta.

840.—Q. *An regulares extraneum Episcopum accersire possint, ut Pontificalia in suis ecclessiis exerceat?*

R. Affirmative, ut constat ex numero praecedenti, sed indigent speciali facultate Episcopi loci ad erigendum thronum et baldachinum. Ita P. A. Bondini, De exemptionis, pag. 27.

841.—Q. *An Abbates possint Pontificalia exercere absque licentia Episcopi?*

R. Affirmative, si charactere episcopali ornati sint tam in proprio territorio quam in ecclesiis Regularium ad normam can. 323, § 1, easdem enim potestates ordinarias habet, quae competunt Episcopis residentialibus in propria dioecesi.

ARTICULUS VI

DE SACRIS PROCESSIONIBUS

842.—Q. *Quaenam statuta sunt in novo jure quoad processiones?*

R. Quod «nomine sacrarum processionum significantur solemnes supplicationes quae a populo fideli, duce clero, fiunt eundo ordinatim de loco sacro ad locum sacrum, ad excitandam fidelium pietatem, ad commemoranda Dei beneficia eique gratias agendas, ad divinum auxilium implorandum, (can. 1290, § 1).

«Aliae sunt ordinariae quae statis diebus per annum fiunt ad normam librorum liturgicorum vel consuetudinem ecclesiarum; aliae extraordinariae, quae aliis publicis de causis in alios dies indicuntur» (ib. § 2): aliae sunt generales, quibus intersunt totus clerus totusque populus diversarum ecclesiarum alicujus loci, aliae particulares, ut confraternitatum, etc..

«Nisi aliter ferat immemorabilis consuetudo, vel locorum circumstantiae, prudenti Episcopi judicio, aliud exigant, die festo Corporis Christi unica tantum sollemnisque per publicas vias processio in uno eodemque loco fieri debet ab ecclesia digniore, ei-

que clerici omnes religiosaeque virorum familiae, etiam exemptae, et laicorum confraternitates interesse debent, regularibus exceptis qui in strictiore clausura perpetuo vivant, aut a civitate ultra tria millia passuum distent» (can. 1291, § 1).

«Ceterae paroeciae et ecclesiae etiam regulares possunt, intra octavam, proprias processiones extra ecclesiae ambitum agere; sed ubi plures sunt ecclesiae, Ordinarii loci est dies, horas ac vias praestituere quibus suam quaeque processionem agant» (ib. § 2).

«Ordinarius loci, audito Capitulo cathedrali, potest ex publica causa extraordinarias processiones indicere; quibus, sicut et ordinariis ac consuetis, ii omnes interesse debent de quibus in can. 1291, § 1» (can. 1292).

«Religiosi etiam exempti nequeunt extra suas ecclesias et claustra processiones ducere sine Ordinarii loci licentia, salvo praescripto can. 1291, § 2» (can. 2193) (1).

«Parochus vel quivis alius nequit processiones novas inducere aut consuetas transferre vel abolere sine Ordinarii loci licentia» (can. 1294, § 1).

«Processionibus alicujus ecclesiae propriis interesse debent omnes clerici eidem ecclesiae adscripti» (ib. § 2).

«Current Ordinarii ut sacrae processiones, extirpatis, si qui sint, malis usibus, ordinate procedant, eaque modestia ac reverentia ab omnibus perficiantur, quae piis ac religiosis hujusmodi actibus maxime convenit» (can. 1295).

843. — Q. *Quaenam processiones censeantur publicae, et cuinam competat controversias de praecedentia componere?*

R. Ad 1um. Sunt sequentes, videlicet: processio SS. Sacramenti in festo Corporis Christi; processiones in Litaniis majoribus in festo S. Marci et in minoribus tribus diebus Rogationum, aliisque quibusvis publicis et consuetis processionibus, quae pro bono et honore publico ab Episcopo indicuntur, uti sunt processiones pro gratiarum actione de re gravi, pro pace inter Principes catholicos, pro electione S. Pontificis, vel etiam Episcopi, pro Deo placando occasione pestis, famis, vel belli, tempore jubilaei publici et similes.

Talis est etiam processio fieri solita occasione primi ingressus Episcopi in dioecesim.

Si pro consecratione SS. Olearum, Feria V in Coena Domini constitui non possit sacerdotum saecularium numerus a Pon-

(1) Pontificia Commisio, 10 nov. 1925 declaravit quod jus parochi publicam processionem extra ecclesiam ducendi extenditur etiam ad processiones Religiosorum, licet exemptorum, extra eorum ecclesias et claustra, firmo tamen praescripto can. 1291, § 2 et 1293, de quibus supra n. 842. (Act. A. S. 17, 582).

tificali requisitus, Episcopus supplere debet regularibus sacerdotibus. (Ita S. C. Episc. et Reg. 19 Jun. 1863) Cum ad normam can. 2 omnes liturgicae leges vim suam retineant, haec quoque lex sive praescriptio in vigore etiam est.

Ad 2um. Controversias omnes de praecedentia, etiam inter exemptos, quatenus ii collegialiter cum aliis procedant in casibus urgentioribus, componere loci Ordinarii est in sua dioecesi, remota omni appellatione in suspensivo, sed sine praejudicio juris uniuscujusque (can. 106..., 6.º)

Sequentes regulas statuit circa praecedentiam Codex J. C., can. 491, § 1: «Religiosi praecedunt laicis; religiones clericales, laicalibus; canonici regulares, monachis; monachi, ceteris regularibus; regulares Congregationibus juris dioecesani; in eadem specie servetur praescriptum can. 106, n. 5, tenoris sequentis: «Inter varias personas morales ejusdem speciei et gradus, illa praecedit quae est in pacifica quasi-possessione praecedentiae et, si de hoc non constet, quae prius in loco, ubi quaestio oritur, instituta est, inter sodales vero alicujus collegii, jus praecedentiae determinetur ex propriis legitimis constitutionibus; secus ex ligitima consuetudine ;qua deficiente, ex praescripto juris communis».

844.—Q. *An regulares possint, sine licentia Episcopi, processiones ducere extra suas ecclesias et claustra?*

R. Negative ex praescripto can. 1293, praeter processionem intra octavam Corporis Christi ad normam can. 1291, § 2. Ad ceteras ergo processiones extra suas ecclesias et claustra ab Ordinario loci petere debent regulaers licentiam.

ARTICULUS VII

DE CONFRATERNITATIBUS

845.—Q. *Quid sit confraiernitas, et quaenam statuta sint quoad illius erectionem?*

R. Confraternitates sunt sodalitia in incrementum publici cultus erecta. Ex Codice J. C.: «Associationes fidelium quae ad exercitium alicujus operis pietatis aut caritatis erectae sunt, nomine veniunt *piarum unionum*; quae, si ad modum organici corporis sint constitutae, *sodalitia* audiunt (can. 707, § 1).

«Confraternitates nonnisi per formale erectionis decretum constitui possunt; pro piis autem unionibus sufficit Ordinarii approbatio, qua obtenta, ipsae, licet morales personae non sint, capaces tamen sunt obtinendi gratias spirituales ac praesertim indulgentias» (can. 708). «Vicarius Generalis ex solo mandato generali, et Vicarius Capitularis nequeunt associationes eri-

gere aut consensum praebere pro earum erectione aut aggregatione» (can. 686, § 4).

«Confratres nequeunt sacris functionibus operam praestare, nisi confraternitatis habitum seu insignia deferant».

«Mulieres confraternitatibus adscribi tantum possunt ad lucrandas indulgentias et gratias spirituales confratibus concessas» (can. 709, § 1 et 2).

«Titulus seu nomen confraternitatis vel piae unionis desumatur vel a Dei attributis, vel a christianae religionis mysteriis, vel a festis Domini et Beatae Virginis Mariae, vel a Sanctis, vel a pio opere ipsius sodalitii» (can. 710).

«Plures confraternitates vel piae uniones ejusdem tituli ac instituti, nisi id eis specialiter concessum sit aut jure cautum, ne erigantur neve approbentur in eodem loco; si vero agatur de magnis civitatibus, id licet, dummodo inter ipsas intercedat conveniens, judicio Ordinarii loci, distantia» (can. 711, § 1)

«Curent locorum Ordinarii ut in qualibet paroecia instituantur confraternitates sanctissimi Sacramenti, ac doctrinae christianae; quae, legitimae erectae, eo ipso aggregatae sunt eisdem Archiconfraternitatibus in Urbe a Cardinali Vicario erectis» (ib. § 2).

«Confraternitates vel piae uniones ne erigantur, nisi in ecclesia aut oratorio publico vel saltem semi-publico» (c. 712, § 1)

«Ne instituantur ,sine Capituli consensu, in ecclesia cathedrali aut collegiali» (ib. § 2).

«In ecclesiis vel oratoriis religiosarum Ordinarius loci permittere potest erectionem associotionis mulierum tantum, aut piae unionis quae nonnisi precationibus incumbat et gratiarum spiritualium communicatione gaudeat» (ib. § 3).

«Religiosi cum confraternitatibus piisve unionibus a se erectis possunt et debent communicare omnes et solas gratias spirituales, quae in facultatibus a Sede Apostolica receptis specifice et nominatim communicabiles declarentur, eaeque in actu erectionis manifestandae sunt singulis, servato praescripto can. 919, (can. 713, § 1) (1).

«Confraternitatibus, ab iisdem erectis, non licet vestem propiam seu insignia, quae in publicis processionibus aliisque sacris functionibus deferenda sunt, assumere sine speciali Ordinarii loci licentiae» (ib. § 2).

«Confraternitas proprium habitum vel insignia, sine licentia Ordinarii loci, ne dimittat neve immutet» (can. 714).

«Comitiis confraternitatum, etsi in regularium ecclesiis et oratoriis celebrandis, per se vel per delegatum praeesse sine jure

(1) Canon 919 haec praescribit: "Nova indulgentiae, ecclesiis etiam regularium concessae, quae Romae promulgitae non sunt, ne per vulgentur in consulto Ordinario loci."

tamen suffragii, dignos et idoneos officiales et ministros electos confirmare, indignos vel non idoneos respuere aut removere, statuta aliasve normas, nisi a Sede Apostolica approbatae fuerint, corrigere et approbare, pertinet ad loci Ordinarium» (c. 715, § 1)

«De comitiorum extraordinariorum celebratione confraternitas Ordinarium loci ejusve delegatum tempestive praemoneat; secus Ordinario jus est comitia impediendi vel eorum decreta penitus infirmandi» (ib. § 2).

846. *De sacris functionibus a confraternitatibus peragendis.* «Confraternitates et piae uniones, in propriis ecclesiis erectae, functiones non paroeciales, servatis servandis, independenter a parocho exercere possunt, dummodo ministerio paroeciali in paroeciali ecclesia non noceant» (can. 716, § 1).

«Idem servetur etiam in casu quo paroecia erecta sit in ipsa confraternitatis ecclesia» (ib. § 2).

«In dubio utrum functiones confraternitatis vel piae unionis noceant, necne, ministerio paroeciali, ad Ordinarium loci spectat jus decidendi, itemque statuendi practicas normas servandas». (ib. § 3).

«Si in ecclesiis non suis erectae sint, proprias functiones ecclesiasticas in sacello tantum vel altari, in quo sunt erectae, peragere possint ad normam can. 716 et peculiarium statutorum» (can. 717, § 1).

«Patrimonium confraternitatis et piae unionis, quae erecta sit in ecclesia non sua, aut cujus ecclesia sit simul ecclesia paroecialis, debet esse separatum a bonis fabricae vel communitatis» (ib. § 2).

«Confraternitates processionibus consuetis et aliis, quas Ordinarius loci indixerit, tenentur collegialiter cum propriis insignibus et sub proprio vexillo interesse, nisi Ordinarius aliud praescripserit» (can. 718).

«De Ordinarii loci consensu confraternitas vel pia unio de alia ad aliam sedem transferri potest, nisi jure aut statutis a Sede Apostolica probatis translatio prohibeatur» (can. 719, § 1).

«Quoties agatur de transferenda confraternitate vel pia unione alicui religioni reservata, Superioris consensus est requirendus» (ib. § 2).

847.—Q. *Quaenam sint confraternitates, quas S. Sedes reservavit et Generalibus Ordinum religiosorum delegavit?*

R. Confraternitates SS. Rosarii, SS. Trinitatis, B. Mariae Virginis de Monte Carmelo et VII Dolorum B. M. V. hodie ita privative respectivis Ordinibus Dominicanorum, Trinitariorum, Carmelitarum et Servitarum reservatae sunt, ut non aliter erigi queant, nisi requisitis antea et obtentis a laudatorum Ordinum

Superioribus, pro tempore existentibus, litteris patentibus pro earundem erectione, ita tamen, ut iidem Priores Generales pro hujusmodi confraternitatum erectionibus consuetas litteras sacerdotibus suorum Ordinum, vel, ubi eorum conventus non existunt, aliis ecclesiasticis viris, sive regularibus, sive saecularibus, etiam Episcopis, bene visis expediant, ipsaeque litterae *nonnisi de consensu Ordinariorum locorum,* servatisque omnibus in hujusmodi erectionibus ex Apostolicis Constitutionibus servandis ac servari solitis, executioni mandentur. (Decret. 16 Jul. 1887. Acta S. S. 20-253).

848.—Q. *Quoenam regulae a Superioribus Generalibus Ordinum pro erigendis confraternitatibus servandae sint?*

R. 1.º Nulla confraternitas erigi potest nisi *de consensu Ordinarii loci,* et cum litteris ejusdem testimonialibus, quibus confraternitatis erigendae pietas et christianae caritatis opera, quae exercere cupit, commendentur. (Clemens VIII, Const. Quaecumque, § VIII). «Consensus tamen ab Ordinario praestitus pro erectione domus religiosae valet etiam pro erigenda in eadem domo vel ecclesia ei adnexa associatione, quae non sit constituta ad modum organici corporis et illius religionis sit propria» (can. 686, § 3).

In Gallia vero et in Belgio antiquae *Sodalitates,* quae post Concordatum anni 1801 noviter ac canonice erectae non fuerunt, privilegia et indulgentias ipsis concessa amiserunt. (S. C. Indulg. 22 Febr. 1847, 14 Dec. 1857, 20 Jun, 1858. N. R. T. 29-291).

Confratres aliqua corporis *infirmitate* laborantes, vel *carceribus* detenti, gaudere possunt eisdem omnibus et singulis indulgentiis, quibus gaudent ceteri confratres, ita tamen, ut, omissa visitatione ecclesiae, alia pia opera a discreto confessario injuncta, quae pro viribus peragere possunt, fideliter ac devote exsequantur. Neque necessarius est specialis recursus cujuslibet confraternitatis, ut hoc indulto perfrui valeat (S. C. Indulg. 20 Aug. 1887).

2.º *Statuta* confraternitatum (nisi a S. Sede approbata fuerint) corrigere et approbare, semper et omnino pro omnibus confraternitatibus pertinet ad Ordinarium loci (can. 715, § 1)

3.º *Quoad contributionem pecuniae* non potest statui, ut aliquid solvatur pro adscriptione, «occasione receptionis in associationem nihil directe vel indirecte exigatur, praeter id quod in statutis legitime approbatis designatum sit, aut ab Ordinario loci, ratione specialium circumstantiarum, expresse permissum in associationis favorem» (can. 695), nec conditio apponi, ut quis, ni solvat certam quotam, possit expungi. Cfr. can. 696. Ceterum nihil obstat, quominus confraternitates eleemosynas colligant,

juxta modum ab Ordinario loci praescriptum ad onera confraternitatis sustinenda, et patrimonium confraternitatis debet administrari separatim a quibuscumque aliis bonis sive communitatis sive paroeciae. (can. 717, § 2).

Episcopus autem providere debet, ut haec bona in usum statutis confraternitatum et intentione donatorum determinatum impendantur; et compellere potest eorum administratores ad reddendam sibi rationem administrationis singulis annis. (can. 1525, § 1).

849.—Q. *Quaenam statuta sint quoad receptionem fidelium in confraternitates?*

R. 1.º Receptio canonica in confraternitatem est species contractus, in hoc consistens, ut volens admitti suam intentionem manifestet habenti facultatem recipiendi; hic vero legitimo modo externe sive actu, modo rite praescripto, in admissionem consentiat. «Ut autem de receptione constet, inscriptio in albo associationis fieri omnino debet; imo haec inscriptio, si associatio in personam moralem erecta fuerit, est ad validitatem necessaria» (can. 694, § 2).

2.º Quapropter S. C. Ind. 14 Aug. 1889 declaravit fideles non posse post eorum mortem adscribi alicui sodalitati ad effectum, ut suffragiis potiantur, quibus post obitum gaudent ii, qui adhuc viventes ei nomen dederunt.

«Absentes ne adscribantur associationibus ad modum organici corporis constitutis; praesentes autem, nonnisi scientes ac volentes adscribi possunt» (can. 693, § 3).

850.—Q. *Quaenam statuta sunt pro erectione tertii Ordinis saecularis?*

R. «Dato etiam apostolico privilegio, Superiores religiosi possunt quidem personas particulares tertio Ordini adscribere, sed nequeunt sodalitatem tertiariorum valide erigere sine consensu Ordinarii loci, ad normam can. 686, § 3 (can. 703, § 2); nec sufficit in casu dispositio can. 686, § 3, excipitur enim associatio quae sit constituta ad modum organici corporis, qualis est sodalitas tertii Ordinis».

«Nec sodalitatibus a se erectis possunt concedere usum peculiarium vestium, in publicis sacris functionibus deferendarum, sine speciali ejusdem Ordinarii licentia» (ib. § 3).

«Qui vota nuncupavit vel in perpetuum vel ad tempus in aliqua religione, nequit simul ad ullum tertium Ordinem pertinere, etsi eidem antea fuerit adscriptus» (can. 704, § 1).

«Si solutus a votis ad saeculum redierit, antiqua adscriptio reviviscit» (ib. § 2).

«Nulla tertiariorum sodalitas, sine apostolico indulto, adscribere potest sodales alius tertii Ordinis in eodem remanentes;

singulis tamen sodalibus licet justa de causa transire sive ab alio ad alium tertium Ordinem, sive ab alia ad aliam sodalitatem ejusdem tertii Ordinis» (can. 705).

«Publicis processionibus, funeribus aliisque ecclesiasticis functionibus tertiarii possunt, sed non tenentur collegialiter interesse; at si intersint, cum suis insignibus sub cruce propria incedant necesse est» (can. 706).

Tertii Ordines saeculares solent dividi secundum diversa loca, ubi sunt constituti, in diversas *sodalitates tertiariorum* (can. 702, § 2) quae ad instar communitatis religiosae sunt organicum corpus vel persona moralis. Sicut igitur religiones dividi solent in provincias et in domus, ita tertii ordines dividuntur in plures sodalitates tertiariorum.

ARTICULUS VIII

DE REGULARIUM ORDINATIONIBUS

851.—Q. *A quonam Episcopo ordinandi sint regulares?*

R. Regula generalis est quod unusquisque, sive saecularis sive regularis, ordinandus est a proprio Episcopo vel cum legitimis ejusdem litteris dimis. (c. 955). Episcopus autem fit proprius sive ratione domicilii una cum origine, sive ratione domicilii sine origine. Episcopus igitur proprius religiosi professi exempti in casu, est Episcopus dioecesis, in qua sita est domus religiosa, ad cujus familiam ordinandus pertinet ad normam can. 965: religiosi professi non exempti est idem ac ordinandi saecularis. «Abbas regularis de regimine, etsi sine territorio *nullius,* potest conferre primam tonsuram et ordines minores, dummodo promovendus sit ipsi subditus vi professionis saltem simplicis, ipse vero sit presbyter et benedictionem abbatialem legitime acceperit. Extra hos fines, ordinatio, ab eodem collata, revocato quolibet contrario privilegio, est irrita, nisi ordinans charactere episcopali polleat» (can. 964, n. 1.º).

«Tunc tantum Superior religiosus ad alium Episcopum litteras dimissorias mittere potest, cum Episcopus dioecesanus licentiam dederit, aut sit diversi ritus, aut sit absens, aut non sit ordinationem habiturus proximo legitimo tempore ad normam can. 1006, § 2, vel denique cum dioecesis vacet nec eam regat qui charactere episcopali polleat» (can. 966, § 1).

«Necesse est ut singulis in casibus id Episcopo ordinaturo constet ex authentico Curiae episcopalis testimonio» (id. § 2).

«Caveant Superiores religiosi ne in fraudem Episcopi dioecesani subditum ordinandum ad aliam religiosam domum mittant aut concessionem litterarum dimissoriarum de industria in id tempus differant, quo Episcopus vel abfuturus, vel nullas habiturus sit ordinationes» (can. 967).

852.—Q. *Quaenam statuta sint quoad litteras dimissorias pro religiosis exemptis?*

R. Proprius Superior major concedit litteras dimissorias pro suis subditis, quas tamen subditis a votis simplicibus temporariis nequit concedere nisi ad primam tonsuram et ordines minores (can. 964, n. 2.º et 3.º).

«Ordinatio ceterorum alumnorum cujusvis religionis regitur jure saecularium, revocato quolibet indulto Superioribus concesso dandi professis a votis temporariis litteras dimissorias ad ordines majores» (ib. n. 4.º) .

An regulares extra tempora ordinari possint?

R. Affirmative, nobis enim tale privilegium concesit Pius VI per suum Breve «Quamvis ecclesiastica disciplina» die 17 Aug. 1779, et tale privilegium a Codice J. C. non est revocatum.

853.—Q. *Quaenam statuta sint quoad examen a regularibus ordinandis subeundum?*

R. Codex J. C. can. 996, § 1 sequentia praescribit: «Quilibet promovendus sive saecularis sive religiosus debet praevium ac diligens examen subire circa ipsum ordinem suscipiendum».

«Hoc examen sive pro clericis saecularibus sive pro religiosis recipit loci Ordinarius qui jure proprio ordinat, aut dat dimissorias litteras; qui tamen potest quoque, ex justa causa, illud Episcopo Ordinaturo committere, qui id oneris suscipere velit». (can. 967).

854.—Q. *An regulares habeant privilegium Ordines suscipiendi, non servatis interstitiis?*

R. Affirm. ex concessione Leonis XII, Constit. «Plura inter, d. 11 Jul. 1826. Dies vero festi, in praedicto privilegio, intelligendi sunt dies festi de praecepto ad normam can. 1006, § 3, et quia hi soli in jure canonico dies festi dicuntur.

855.—Q. *Quonam titulo ordinandi sunt regulares?*

R. «Pro regularibus titulus canonicus est sollemnis religiosa professio seu titulus, ut dicitur, paupertatis» (can. 982, § 1)

«Pro religiosis votorum simplicium perpetuorum est titulus *mensae communis, Congregationis* aliusve similis, ad normam constitutionum» (ib. § 2). «Ceteri religiosi, etiam ad ordinationis titulum, quod attinet, jure saecularium reguntur» (ib. § 3).

Nullo privilegio gaudent regulares quoad aetatem promovendorum ad ordines, sed servari debent praescriptum can. 975, tenoris sequentis: «Subdiaconatus ne conferatur ante annum vicesimum primum completum; diaconatus ante vicesimum se-

cundum completum; presbyteratus ante vicesimum quartum completum». Sola S. Sedes in hoc dispensare potest.

Episcopus regularem ordinans non potest ab eo obedientiae promissionem exigere, sed promittere debet Ordinario suo, id est Praelato regulari, obedientiam juxta dispositionem Pontificalis Romani, De Ordinatione Presbyteri, et declarationem S. R. C. 22 julii 1848.

856.—Q. *Quaenam sunt poenae latae in eos, qui deliquerint circa sacramentum Ordinis?*

R. Sunt sequentes: «Omnes, etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam ad ordines scienter promoverint vel promoti fuerint... sunt suspecti de haeresi; clerici praeterea suspensionem incurrunt Sedi Apostolicae reservatam» (can. 2371).

«In suspensionem per annum ab ordinum collatione Sedi Apostolicae reservatam ipso facto incurrunt:

1.º Qui contra praescriptum can. 955, alienum subditum sine Ordinarii proprii litteris dimissioriis ordinaverint;

2.º Qui subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, ordinaverint contra praescriptum can. 993, n. 4, 994;

3.º Qui aliquem ad ordines majores sine titulo canonico promoverint contra praescriptum can. 974, § 1, n. 7.

4.º Qui, salvo legitimo privilegio, religiosum, ad familiam pertinentem quae sit extra territorium ipsius ordinantis, promoverint, etiam cum litteris dimissorialibus proprii Superioris, nisi legitime probatum fuerit aliquem e casibus occurrere, de quibus in can. 966».

857. *De poenis contra delicta commissa in receptione sacramenti Ordinis*:

1.º Qui per simoniam ad ordines scienter promoti fuerint, sunt suspecti de haeresi, et clerici praeterea suspensionem incurrunt Sedi Apostolicae reservatam (can. 2371).

2.º Suspensionem a divinis, Sedi Apostolicae reservatam, ipso facto contrahunt, qui recipere ordines praesumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, haeretico, schismatico; qui vero bona fide a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio careat ordinis sic recepti donec dispensetur (c. 2372). Dispensatio in hoc casu, ait P. Ferreres, 2, n. 1301, ab Episcopo concedi potest, ut patet ex verbis—donec dispensetur.—Idem sentit Sole, de Delictis et Poenis, n. 430, cum Bucceroni, qui declarans haec verba *donec dispensetur* scribit: dispensatio haec, uti ex jure constat, reservata non est S. Pontifici; neque vero hic reservatur, cum indefinite ponatur; unde intelligenda est cum clausula, *prout de jure. Donec dispensetur* a suo episcopo, secus vero haec *donec dispensetur,* supervacanea

forent. Ante dispensationem peccat ministrando in susceptis. Non vero inducit irregularitatem, quia haec inhabilitas non habet rationem poenae canonicae.

4.º «Qui sine vel cum litteris dimissoriis falsis, vel ante canonicam aetatem, vel per saltum ad ordines malitiose accesserit, est ipso facto a recepto ordine suspensus; qui autem sine litteris testimonialibus vel detentus aliqua censura, irregularitate aliove impedimento, gravibus poenis secundum rerum adjuncta puniatur» (can. 2374).

ARTICULUS IX

DE REGULARIUM SEPULTURA

Praenotandum. Jus sepulturae sub duplici respectu considerari potest; quoad cadavera nempe ipsorum regularium, et quoad cadavera personarum saecularium.

858.—Q. *An jus antiquum quoad sepulturam, ejusque electionem hodie adhuc immutatum maneat?*

R. *Affirmative* ut constat ex can. 1223, § 1, his verbis: «Omnibus licet, nisi expresse jure prohibeantur, eligere ecclesiam sui funeris aut coemeterium sepulturae».

«Uxor et filii puberes in hac electione prorsus immunes sunt a maritali vel patria potestate (ib. § 2).

Excipiuntur impuberes qui, cum nequeant testari, nec sepulturam eligere possunt, sed loco ipsorum, etiam post eorum mortem, sepulturam eligere valent pro ipsis eorum parentes vel tutores. Nec religiosi professi, cujuslibet gradus aut dignitatis, nisi sint Episcopi (can. 1224, § 1 et 2). Novitii vero sepulturam eligere possunt.

«Ut electio ecclesiae funeris valeat, cadat necesse est vel in ecclesiam paroecialem, vel in ecclesiam regularium, non tamen monialium (nisi agatur de mulieribus quae famulatus, educationis, infirmitatis aut hospitii causa intra clausuram ejusdem monasterii non precario commorabantur), vel in ecclesiam juris patronatus, si agatur de patrono, vel in aliam ecclesiam funerandi jure praeditam» (can. 1225).

Cum electio sepulturae a defuncto sit factum positivum, debet probari et non praesumi, factam vero electionem aut mandati concessionem, si legitimum mandatum dederit, quolibet modo legitimo probare licet (can. 1226, § 1). «Si electio fiat per alium, hic suum mandatum explere potest etiam post mortem mandantis» (ib. § 2). Electio debet esse libere facta, quare «religiosi et clerici saeculares districte vetantur ne quos ad vovendum, jurandum vel fide interposita seu aliter promittendum

inducant ut apud ipsorum ecclesias funus aut apud ipsorum coemeterium sepulturam eligant, vel factam electionem non immutent; quod si contra factum fuerit, electio sit nulla» (c. 1227)

Electa legitime sepultura, cadaver in illa sepeliatur, dummodo nihil obstet ex parte eorum a quibus coemeterium pendet (can. 1228, § 1).

«Electa sepultura in coemeterio religiosorum, ut cadaver inibi sepeliri queat, requiritur et sufficit consensus Superioris religiosi, ad normam constitutionum cujusque religionis» (ib. § 2).

859.—Q. *Quaenam statuta sint quoad sepulturam religiosorum?*

R. Ad normam can. 1221, § 1: «Professi religiosi ac novitii, defuncti cum sint, transferendi sunt, funeris causa, ad ecclesiam vel oratorium suae domus vel saltem suae religionis, nisi novitii aliam ecclesiam ad suum funus elegerint; jus autem levandi cadaver et illud deducendi ad ecclesiam funerantem pertinet semper ad Superiorem religiosum».

«Si longe moriantur a domo, ita ut in ecclesiam suae domus vel saltem suae religionis nequeant commode asportari, funerandi sunt in ecclesia paroeciae ubi decedunt, nisi novitius aliam ecclesiam ad funus elegerit, et salvo Superioribus jure de quo in can. 1218, § 3 (can. 1221, § 2).

Quae de novitiis dicta sunt §§ 1, 2, valent quoque de famulis actu servientibus et intra domus septa stabiliter commorantibus; qui tamen, si extra religiosam domum decesserint, funerandi sunt ad normam can. 1216-1218» (ib. § 3); nempe funerandi sunt sicut ceteri paroeciani.

«Quod attinet ad defunctos in hospitali, standum est canonibus 1261-1218, nisi constet de jure particulari aut privilegio; quod vero ad illos attinet qui in Seminario moriuntur, servetur praescriptum can. 1368» (can. 1222): idem dicendum de pueris educandis in collegiis religiosorum.

860. Quoad religiosas sequentia praescribit Codex J. C.: «Religiosas et novitias, in religiosa domo defunctas, ad clausurae limen deferant aliae religiosae; indeque, si de religiosis agatur jurisdictioni parochi non obnoxiis ad propriam religiosae domus ecclesiam vel oratorium deducit et exsequias peragit cappellanus; si de aliis religiosis, valet praescriptum § 1; quod vero ad religiosas attinet extra domum defunctas, serventur generalia canonum praescripta» (can. 1230, § 5).

Sequens privilegium exclusive competit monialibus nostri Ordinis constitutiones habentibus approbatas pro iis quae sub ditione erant antiquae Congregationis hispaniae, sicuti constat in textu constitutionum, approbato, forma specifica, a Pio VI. cap. XIV. n. 2, his verbis: «Ad sepeliendas nostras religiosas

et officium sepulturae peragendum possunt ingredi (in clausuram) 12 usque religiosi nostri Ordinis et non ultra, si in illo oppido fuerit conventus nostrarum (religiosorum); in loci vero in quibus non adsit conventus, si de facto adfuerint religiosi nostri, poterunt ingredi ad illam sepeliendam: si non adfuerint, poterunt advocare duos e viciniore conventu et ii, aliis duobus clericis comitantibus, eam sepelient; deficientibus religiosis, ingredientur ad officium peragendum is qui cappa pluviali indutus est et alii quatuor clerici et non ultra: nullo modo ingredietur in conventum ullus laicus, exeptis Sacrarii custode et fossore, sub poena suspensionis ab officio per sex menses in Antistitam, quae in plurium laicorum ingressum consenserit. Ita Analecta Ord. Car. Excalc. vol. 1, an. I, fascic. III, pag. 158, quod privilegium, utpote a Cod. J. C. non expresse revocatum, in suo robore permanet.

861.—Q. *Quaenam statuta sunt quoad sepulturam saecularium in ecclesiis regularium faciendam?*

R. Si regulares habent coemeterium proprium et cadaver deduci potest in ecclesiam religiosorum, sequenti modo procedendum est: religiosi debent invitare parochum, ut sub cruce ecclesiae funerantis procedat et levet corpus ac deducat ad ecclesiam regularium. Proinde parochus habet jus gestandi stolam, aspergendi cadaver, incipiendi antiphonam «Exultabunt» et generatim omnia statuendi usque ad ingressum in ecclesiam religiosorum. Si parochus debite requisitus recuset aut venire aut alium mittere, tunc etiam levatio corporis pertinet ad religiosos. Postquam cadaver portatum est in ecclesiam religiosorum, cessat jus parochi, ceteraque omnia funeris et tumulationis peragenda sunt a rectore ecclesiae (can. 1230, § 3). Portio paroecialis solvenda est parocho.

Si vero regulares non habeant coemeterium proprium, neque cadaver, ob prohibitionem legis civilis, asportari possit in ecclesiam religiosorum, tunc S. Congregatio Ep. et Reg. 1, aug. 1902 sequentia statuit:

«Parochi est stolam deferre, cadaver e domo levare et funus ducere usque ad januam publici coemeterii».

«Regularibus ecclesiae tumulantis jus competit in propria ecclesia justa funebria peragendi, una cum parocho ab ecclesia paroeciali ad domum defuncti accedendi et, cadavere per parochum levato, ad publicum coemeterium associandi; si tamen velint, possunt ad coemeterii januas exspectare, quin ad funeris associationem teneantur. Pariter regularibus spectat recipere cadaver ad januas coemeterii ceteraque omnia peragere, quae in cadaveris tumulatione fieri solent. Denique si una cum parocho regulares ecclesiae tumulantis funebri associationi intersint, unica crux conventualis seu ecclesiae tumulantis deferenda est, sub

qua et ipse parochus incedere tenetur, dummodo ecclesiae cathedralis vel collegiatae capitulum non adfuerit, cui privative spectat crucem in associatione levare». Et in casu etiam portio paroecialis solvenda est parocho.

862.—Q. *Quae portio funebris parocho debeatur?*

R. «Salvo jure particulari, quoties fidelis non funeratur in ecclesia paroeciali propria, proprio defuncti parocho debetur portio paroecialis, excepto casu quo cadaver in ecclesiam propriae paroeciae commode asportari nequeat» (can. 1236, § 1).

«Si quis habeat plures paroecias proprias ad quas cadaver commode deferri possit, et alibi funeretur, portio paroecialis dividenda est inter omnes parochos proprios (ib. § 2).

«Detrahi debet portio paroecialis ex omnibus et solis emolumentis, quae statuta sunt pro funere et tumulatione in taxa dioecesana» (can. 1237, § 1).

«Si quacumque de causa primum sollemne officium funebre non statim, sed intra mensem completum a die tumulationis non a die notitiae obitus—Pontif. Commissio 24 nov. 1920, Acta A. S. XII, 576—fiat, licet hoc die non defuerint minora publica officia, portio tamen paroecialis ex hujus etiam funeris emolumentis debetur» (ib. § 2).

«Quantitas portionis paroecialis determinetur in taxa dioecesana; et si ecclesia paroecialis et ecclesia funerans ad diversas dioeceses pertineant, quantitas portionis paroecialis attenditur secundum taxam ecclesiae funerantis» (ib. § 3).

Ex decreto S. R. Congr. die 13 maji 1879, regularibus permissum est cantare Missam de Requiem, quam fideles celebrari petunt pro parentibus vel amicis defunctis, postquam funeralia in ecclesia parochiali persoluta fuerint, etiamsi Missa exequialis in ea non celebretur, et omnes Missae quae celebrari solent occasione tertiae, septimae, trigesimae vel aniversariae diei mortis, possunt dici aut cantari in alia ecclesia, etiam regularium, quin parochus possit reclamare aut aliquod emolumentum inde exigere, ut patet ex decr. S. R. C., 29 nov. 1901 et 24 Januarii 1902 (1).

863.—Q. *Quaenam apud nos statuta sint quoad sepulturam?*

R. Constitutiones nostrae haec habet n. 170: «Sit locus a saecularium sepulcris separatus, ubi Fratres nostri sepeliantur, nullique saecularium in eodem capella, vel peculiare sepulcrum sine Praepositi vel Provincialis scripta venia detur; quod si Praepositus vel Provincialis consuli nequeat, id fiat de consensu Conventus. In communi vero sepultura de consensu Conventus poterunt saeculares sepeliri».

(1) Cfr. "El Monte Carmelo" 1902, pag. 185-187.

ARTICULUS X

DE QUAESTUATIONE

864.—Q. *Quaenam statuta sint quoad quaestuationem a regularibus faciendam?*

R. Praeprimis praenotandum quod quaestari dicitur is, qui urbem vel pagum perlustrat, ut pro se vel pro aliis personis vel pro pio aliquo opere eleemosysnas colligit; jam vero circa hunc modum quaestuandi sequentia statuit Codex J. C.

«Regulares, qui ex instituto mendicantes vocantur et sunt, (nempe ex declaratione Commis. Pontif. 16 octob. 1919 (1), qui nec *in communi,* bona possident, ut Capucini, etc) eleemosynas in dioecesi, ubi eorum religiosa domus est constituta, quaerere valent de sola Superiorum suorum licentia; extra dioecesim vero indigent praeterea licentia scripto data ab Ordinario loci in quo eleemosynas colligere cupiunt» (can. 621, § 1).

«Hanc licentiam Ordinarii locorum, praecipue dioecesum finitimarum, nisi gravibus et urgentibus de causis, ne denegent neve revocent, si religiosa domus ex mendicatione in sola dioecesi, in qua est constituta, vivere nullo modo possit» (ib. § 2). Etiam Carmelitae Excalceati ex Instituto mendicantes sunt (Const. n. 120).

Ut autem praefato jure gaudeant regulares, requiritur, ut eleemosynas per seipsos quaeritent, nec eleemosynas colligere possunt pro confraternitatibus in ipsorum ecclesiis erectis. Praeterea semper secum deferre debent litteras authenticas sui Superioris et, extra dioecesim, Episcopi loci, quibus constet de debita facultate quaestuandi.

«Alii omnes religiosi Congregationum juris pontificii, sine peculiari Sanctae Sedis privilegio, stipem petere prohibentur; quibus, si hoc privilegium impetraverint, opus erit praeterea licentia scripto data ab Ordinario loci, nisi aliter in ipso privilegio cautum fuerit» (can. 622, § 1).

«Religiosi Congregationum juris dioecesani stipem quaeritare nequaquam possunt sine licentia scripto data tum ab Ordinario loci in quo sita est eorum domus, tum ab Ordinario loci in quo stipem quaerere cupiunt» (ib. § 2).

«Non licet Superioribus stipem colligendam committere, nisi professis aetate animoque maturis, maxime si de mulieribus agatur, nunquam autem iis qui in studia adhuc incumbunt». (can. 623).

«Quod vero attinet ad modum in quaeritanda stipe servandum et ad disciplinam a quaestantibus custodiendam, religiosi

(1) Cfr. Acta A. S. XI. 478.

utriusque sexus stare debent instructionibus a Sede Apostolica hac de re datis. (can. 621).

Quaenam statuta sint quoad sorores eleemosynas quaeritantes?

R. Sororibus votorum simplicium non liceat eleemosynas quaerere sive intra dioecesim, in qua ipsae resident, sive extra, sine licentia Ordinarii loci respectivae residentiae. Stipem quaesiturae extra dioecesim respectivae residentiae licentiam obtinere insuper debent ab Ordinario loci, in quo eleemosynas quaeritare desiderant.

Ordinarius loci, in quo exstat domus Sororum quaeritare volentium, licentiam eis non concedet, 1.º si de vera domus vel pii operis necessitate sibi non constet; 2.º si quaeritatio commode fieri possit per alios ab ipsomet Ordinario designandos. Si autem necessitati occurri valeat per quaeritationem in loco, in quo Sorores resident, vel intra propriam dioecesim, Ordinarius licentiam eisdem non impertiatur eleemosynas colligendi extra dioecesim.

Quisque loci Ordinarius Sorores ex aliena dioecesi advenientes ad eleemosynas colligendas non admittat, nisi prius eaedem licentiam proprii Ordinarii sibi exhibuerint. Ubi autem Sorores, etiamsi, utraque licentia praeditae, in eleemosynarum quaestu male se gerant, statim in propriam domum eas redire Ordinarius jubeat, opportunisque etiam mediis ,si opus fuerit, compellat.

Superiorissae, praesertim extra locum, ubi domus habent, numquam ad eleemosynas quaerendas mittant Sorores, nisi binas, aetate et animo maturas, intra dioecesim non ultra mensem, extra dioecesim non ultra duos menses, et semper ea pecuniae summa instructas qua, inopinato quocumque casu cogente, possint statim domum redire. (Cfr. S. C. Ep. et R. 27 Mart. 1896) et S. Congr. de Relig. 21 Nov. 1908 (Acta A. Sedis, 28, 555 et Acta Ap. Sedis I, 153).

CAPUT IV

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM QUOAD ABSOLUTIONEM SAECULARIUM A CENSURIS RESERVATIS

865.—Q. *Quibusnam privilegiis gaudeant regulares quoad absolutionem saecularium a censuris reservatis?*

R. Post Codicem J. C. nullo privilegio gaudent regulares circa absolutionem a censuris sive specialissimo modo, sive speciali modo, sive simpliciter Romano Pontifici reservatis; a censuris vero *jure communi* reservatis Episcopo, juxta sententiam

valde communem et in praxi tutam, possunt regulares absolvere. Ita S. Alphonsus, Theol. Mor. VII. 99; Vermeersch, De relig. instit. n. 519; Lehmkuhl, 2. n. 1245; Noldin, de Censuris, n. 95; Prümmer, Man. J. C. q. 245.

Animadvertendum vero est confessarium regularem non posse poenitentes, extra articulum mortis, ab his casibus absolvere, si reconciliatio *in foro externo* est necessaria, tunc enim nequit absolvi, nisi prius scandalum datum sit sublatum. Dicitur extra articulum mortis, quia in periculo mortis nulla est reservatio; sed secundum canonem 2252: «Qui in periculo mortis constituti, a sacerdote specialis facultatis experte, receperunt absolutionem ab aliqua censura ab homine vel a censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, tenentur, postquam convaluerint, obligatione recurrendi, sub poena reincidentiae, ad illum qui censuram tulit, si agaur de censura ab homine; ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum, ad normam can. 2254, § 1, si de censura a jure, eorumque mandatis parendi». In can. 2254, § 1 sequentia praescribuntur: «In casibus urgentioribus, si nempe censurae latae sententiae exterius servari nequeant sine periculo gravi scandali vel infamae, aut si durum sit poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut Superior competens provideat, tunc quilibet confessarius in foro sacramentali ab eisdem quoquomodo reservatis, absolvere potest, injuncto onere recurrendi, sub poena reincidentiae, intra mensem saltem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve Superiorem praeditum facultate et standi ejus mandatis».

«Nihil impedit quominus poenitens, etiam post acceptam, ut supra, absolutionem, facto quoque recursu ad Superiorem, alium adeat confessarium facultate praeditum, ab eoque, repetita confessione saltem delicti cum censura, consequatur absolutionem; qua obtenta, mandata ab eodem accipiat, quin teneatur postea stare aliis mandatis ex parte Superioris supervenientibus» (ib. § 2).

866.—Q. *An casu, quo Episcopus etiam sibi reservat hos casus, jure communi reservatos, possint regulares ab illis absolvere?*

R. Negando suppositum, ex can. enim 2247, § 1; si censura sit reservata Sedi Apostolicae, ut in praesenti casu, Ordinarius nequit aliam censuram sibi reservatam in idem peccatum et sub eodem respectu. Aliud esset si tale peccatum Episcopus sibi reservaret sub alio respectu, tunc enim nequeunt regulares ab eo, sicuti nec a ceteris reservatis episcopalibus, absolvere.

CAPUT V

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM QUOAD FACULTATEM IN VARIIS DISPENSANDI CUM SAECULARIBUS

In praesenti capite exponentur privilegia regularium, quatenus cum saecularibus dispensare possunt: 1.º in irregularitatibus; 2.º in votis et juramentis. De restitutione debiti conjugalis amissi antea ob copulam incestuosam, non est agendum, quia post Codicem J. C. haec poena jam sublata est.

ARTICULUS I

DE FACULTATE DISPENSANDI IN IRREGULARITATIBUS

867.—Q. *An confessarii regulares possint cum saecularibus dispensare in irregularitatibus?*

R. Possunt dispensare cum saecularibus ,saltem si talis facultas ipsis a suis Superioribus concessa fuerit, in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto, nondum ad forum contentiosum deducto, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario et ex procuratione abortus pro ipsis agentibus eorumque cooperatoribus.

Dicitur, 1.º *possunt dispensare*: dispensatio autem ut sit legitima ,semper justam requirit causam; imo absque justa causa concessa, invalida foret, quia S. Pontifex non censetur suam communicare potestatem regularibus in destructionem, bene vero in aedificationem Ecclesiae. Nulla praescripta est forma, sub qua concedenda est illa dispensatio: unde haec vel similis adhiberi potest: *auctoritate mihi cencessa dispenso tecum in irregularitate vel irregularitatibus, quam vel quas ob talem vel tales causas incurristi, teque habilem restituo ad susceptionem vel executionem Ordinum.*

Confessarii regulares, ait P. Prümmer, Man. J. C. q. 245, videntur posse dispensare in his irregularitatibus non solum ad exercitium Ordinum jam susceptorum, sed etiam ad ipsos Ordines suscipiendos. S. Alph. VII, 355. Praedicta forma adhibetur immediate post absolutionem a peccatis.

Dicitur ,2.º *saltem si talis facultas ipsis a suis Superioribus concessa fuerit*: disputatur namque inter auctores, utrum confessarius regularis uti possit privilegiis regularium eo ipso, quod instituitur confessarius; an vero usum horum privilegiorum, a suis Superioribus accipere debeat.

Dicitur, 3.º *ex delicto occulto,* quod nempe non est publicum. Delictum autem publicum censetur ad normam can. 2197, n. 1.º, si jam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur

in adjunctis ut prudenter judicari possit et debeat facile divulgatum iri.

Dicitur, 4.º *nondum ad forum contentiosum deducto*: ad forum externum seu contentiosum casus censetur deductus, si coram judice probatus est, saltem per unum testem, seu juxta alios, si delatio parti per citationem a judice intimata est. (Cfr. Penn. II, 501).

Dicitur, 5.º *excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario et ex procuratione abortus pro ipsis agentibus eorumque cooperatoribus*: non desunt auctores, qui regularibus hanc facultatem etiam tribuant quoad homicidium, si istud sit omnino occultum, sine gravi periculo manifestari nequit; nemo enim tenetur ad prodendum crimen suum, quo sibi infamiam, aliis autem scandalum generet. (Cfr. Génicot, II. n. 632). Possunt item dispensare in omnibus irregularitatibus dubiis.

ARTICULUS II

DE FACULTATE IN VOTIS AC JURAMENTIS DISPENSANDI

868.—Q. *An Confessarii Regulares possint in votis dispensare cum saecularibus?*

R. I. Non possunt dispensare quoad vota in Communitate religiosa emissa, neque in duobus votis R. Pontifici reservatis, nempe: perfectae et perpetuae castitatis et ingrediendi in religionem approbatam cum votis sollemnibus, dummodo ista duo vota sint emissa absolute et post completum decimum octavum aetatis annum (can. 1309), neque in votis factis principaliter in favorem alicujus personae sive phisicae sive moralis, e. gr. votum faciendi eleemosynam alicui personae determinatae.

Ut autem illa duo vota sint reservata, debent esse perfecta et absoluta: ideoque non essent reservata, si emissa fuerint sub obligatione levi, vel ex metu, etiam levi, aut si non sint perfecta ex parte materiae; sic quoad votum castitatis requiritur, ut voveatur in perpetuum abstinentia ab omni actu venereo, et ab omni actu etiam interno contra castitatem. Unde votum non nubendi, aut servandi virginitatem presse sumptam, non est reservatum, neque votum ingrediendi in Ordinem, in quo non emittuntur vota solemnia.

II. In omnibus autem aliis votis non reservatis possunt dispensare confessarii regulares, saltem ii qui habent privilegia mendicantium, ut tenet sententia communissima cum S. Alphonso, III, 257; Noldin, De praeceptis, n. 237; Vermeersch, De Relig. instit. n. 519, etc.; Prümmer, Man. J. C. q. 245 et 400. Ceterum cum S. Alphonsus absolute doceat confessarios regulares posse dispensare in votis non reservatis, atque confessarius possit tuto sequi opiniones S. Alphonsi a S. Sede non reprobatas, hinc con-

fessarius regularis potest tuto dispensare a votis non reservatis idque eo vel magis, quia novus Codex nihil contrarii statuit.

869.—Q. *An Regulares dispensare possint in votis e quibus jus tertio sit acquisitum?*

R. Negative; nam nemo, saltem praeter R. Pontificem, in votis hujusmodi dispensare valet. Quod autem tertius jus e voto acquirat, dupliciter contingere potest: primo, si votum, puta obedientiae vel perseverantiae, emissum fuerit in aliqua Congregatione religiosa; id namque fit per modum contractus onerosi. Secundo, si votum emissum fuerit in utilitatem solius hominis, ab eoque acceptatum: quod tamen non obligat sub gravi, quatenus est promissio homini facta et ex fidelitate tantum servanda; secus vero dicendum esset, si vovens intenderit sese obligare sub gravi ex justitia erga tertium, qui hanc promissionem acceptaverit, ut constat ex dictis n. 868.

870.—Q. *An Regulares possint dispensare in votis, etiam extra confessionem sacramentalem?*

R. Sententia sat communis, praesertim inter auctores Regulares, affirmat. Sententia haec est solide probabilis, adeo ut tuta conscientia in praxim deduci possit. Praestat tamen, ut Regulares hac potestate utantur in actu confessionis. Caeterum fideles generatim non solent petere commutationem, vel dispensationem in votis, nisi in actu confessionis. P. Marc,, n. 2191, ait: dispensandi cum saecularibus, etiam extra confessionem, *in omnibus votis* simplicibus non reservatis, et cum conjugibus, in impedimento exigendi debitum, quod alter conjux contraxit ex voto castitatis personalis, ante vel post matrimonium emisso. Attamen secundum plures licentia specialis a Superiore saltem domus est petenda. (S. Alphonsus, VI, 987, et 1076).

871.—Q. *An pro dispensatione in votis requiratur justa causa?*

R. Ad validitatem dispensationis in votis semper requiritur justa causa; cum enim vota soli Deo fiant, homo nequit ab eis dispensare, nisi tanquam delegatus: delegatus autem non potest valide dispensare sine justa causa.

Porro justae causae pro hujusmodi dispensatione sunt sequentes: bonum Ecclesiae, familiae, vel etiam illius, qui voto est obstrictus: sic censentur causae justae: si vovens notabilem in voto exsequendo experiatur difficultatem; si actus vovendi non fuerit perfecte deliberatus. Quo in sensu dicit S. Alph.: (l. 3. n. 253) «Etiamsi absit periculum transgressionis et notabilis difficultas in exsecutione, sufficit pro causa, quod votum emissum fuerit immature, scilicet cum nimia facilitate, vel ex imperfecta deliberatione, vel sine perfecta libertate. Ob hanc causam vota

impuberum sine alia causa possunt absolute dispensari sine aliqua commutatione. Idem dicendum, si votum emissum fuerit ob metum levem incussum ab extrinseco. Idem quando imperfecta deliberatio, aut libertas in vovendo processit ex tristitia, sive ira, sive metu intrinseco naufragii, mortis, vel alterius mali; quia tunc immature vota fieri solent, et ideo possunt dispensari sine commutatione. Si autem constaret, tunc maturam adfuisse deliberationem, tunc dispensationi admisceatur aliqua commutatio».

872.—Q. *An valeat dispensatio pro casu, quo bona fide credatur adesse justam causam, quae tamen revera non adest?*

R. Distinguendum est: si error contigerit circa sufficientiam causae, quae reapse aliqualis adsit, affirmandum est. Verum, si error versetur circa *existentiam* causae, dum nulla existit, non valebit dispensatio. Unde pro valore dispensationis standum est, si dispensans et petens *bona fide* putaverint causam fuisse sufficientem ad dispensandum, et postea deprehendatur causa non fuisse plane sufficiens, vel dubium oriatur, num aliqua adfuerit causa; ratio est, quia bonum et suave Ecclesiae regimen postulare videtur, quod Deus actus Superiorum bona fide positos ratos habeat, saltem donec error *omnino* appareat. (Cfr. Th. Mechl. de Virt. p. 320).

873.—Q. *An Regulares habeant, vi privilegiorum suorum, etiam potestatem dispensandi in juramentis?*

R. Affirmative, non enim dantur juramenta reservata juxta S. Alphonsum, III, 259, ideo possunt dispensare in omnibus juramentis, exceptis iis, quorum dispensatio vergat in praejudicium aliorum, qui obligationem juramenti remittere recusant (can. 1320).

CAPUT VI

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM QUOAD VARIAS BENEDICTIONES FACIENDAS

874.—Q. *An Regulares suas ecclesias possint benedicere?*

R. Affirmative, ut patet ex can. 1156:

«Jus benedicendi locum sacrum, si hic pertineat... ad religionem clericalem exemptam, spectat ad Superiorem majorem qui potest alium sacerdotem ad hoc delegare». Et ecclesiam benedictam reconciliare, si opus sit, ad normam can. 1176, § 1, potest rector ejusdem vel quilibet sacerdos de consensu saltem praesumpto rectoris.

875.—Q. *An Regulares benedicere possint paramenta sacra?*

R. Affirmative vi can. 1304, § 5:

«Superiores religiosi, et sacerdotes ejusdem religionis ab ipsis delegati, pro propriis ecclesiis et oratoriis ac pro ecclesiis monialium sibi subditarum, benedictionem sacrae supellectilis impertire possunt».

876.—Q. *An paramenta non benedicta, vel vasa non consecrata, bona fide ad usum adhibita, censeantur benedicta?*

R. Per se loquendo fas non est ejusmodi paramentis vel vasis uti, nisi prius rite benedicantur, vel consecrentur. Nihilominus si vasa sacra, etsi nulliter consecrata, adhibita fuerint in sacro ministerio, non amplius indigere dicuntur consecratione, quatenus fieri nequeat sine scandalo. Igitur vasa sacra non consecrata, si jam, saltem bona fide, sint adhibita, vel ipso usu consecrantur, vel obtinent aliquid aequivalens consecrationi, ita ut non amplius egeant consecratione. (Cfr. Ball. P. IV-794).

Hic autem agitur de vasis sacris, quae fuerunt per longum tempus bona fide adhibita. Nam si sacerdos bona fide cum vestimentis non benedictis celebraverit, per hanc celebrationem non fiunt benedicta. (S. R. C. 31 Aug. 1867).

877.—Q. *An Regulares benedicere possint statuas Sanctorum?*

R. «Si imagines, publicae venerationi expositae, sollemniter benedicantur, haec benedictio Ordinario reservatur, qui tamen potest eam cuilibet sacerdoti committere (can. 1279, § 4). Ergo etiam possunt Superiores majores religionum clericalium exemptarum, ut veri Ordinarii.

878.—Q. *An Regulares possint benedictionem mulieris post partum facere?*

R. Affirmative, quia talis benedictio parocho non reservatur in Codice J. C., ut constat ex can. 462.

879.—Q. *Quaenam pro unaquaque benedictione requiratur formula?*

R. Illa et non alia, pro quacumque benedictione, formula requiritur, quam Ecclesia praescribit. Hinc infertur, in benedictionibus Rituali Romano et Missali tantum utendum esse, in quibus approbatae inscribuntur formulae, seu preces ritusque, quos Ecclesia pro illis exigit. Prohibitae enim sunt omnes benedictio-

nes eccleisiasticae, nisi a S. R. C. approbatae fuerint. (23 Maii 1835). Quod si pro re aliqua desit specialis formula approbata; communis adhibeatur, ut prostat in Appendice Ritualis Romani, n. 70.—*Benedictio ad omnia.*

880.—Q. *An res benedicendae poni possint super altare?*

R. Negative, si quae Sacrificio Missae inservientes excipias, uti corporalia, paramenta sacerdotalia etc. Hinc esculenta, vexilla, enses, atque etiam candelae, super mensam ad cornu Epistolae, vel alio loco commodo paratam, ponenda sunt, in eaque facienda est benedictio.

APPENDIX

DE FACULTATIBUS APOSTOLICIS, SEU DE PRIVILEGIIS PERSONALIBUS

Hic per modum appendicis opportunum duximus aliquas facultates Apostolicas exponere, in gratiam illorum religiosorum, qui iis dotati sunt, nempe: 1.º facultatem benedicendi cruces, etc.; 2.º legendi libros prohibitos; 3.º celebrandi quotidie missam votivam. Unde praesens appendix in tres dividitur articulos.

ARTICULUS I

DE FACULTATIBUS IMPERTIENDI BENEDICTIONES CUM APPLICATIONE INDULGENTIARUM

881.—Q. *Quaenam notanda sint circa illas facultates?*

R. A. S. Congr. Indulg., 14-jun. 1901, communicata fuit sequens instructio:

I. *Convenit* ut qui facultatem benedicendi coronas, cruces, rosaria, numismata, etc., cum applicatione indulgentiarum Apostolicarum et S. Birgittae obtinere cupit, si sit e clero saeculari litteris commendatitiis proprii Ordinarii munitum supplicem libellum exhibeat; si vero sit regularis, Superioris sui Ordinis, vel instituti a S. Sede approbati.

II. Ut *valide* praefata facultas exerceatur, opus erit ut sacerdos ad excipiendas sacramentales confessiones, saltem virorum, sit approbatus.

III. Ad eam facultatem *licite* exercendam requiritur consensus Ordinarii loci in quo quis ea uti velit, firmo manente, quoad regulares exemptos, decreto hujus S. C. diei 2 jan. 1888.

Hic autem consensus optandum, ut sit expressus; sufficit tamen etiam tacitus vel implicitus, et in aliquo casu, quando practice aliter fieri nequeat, sufficit etiam consensus prudenter praesumptus.

Quoad regulares declaratum ab ipsa S. Congr. fuit: Nomine Ordiinarii in casu intelligi non Superiorem regularem, sed Ordinarium dioeceseos, in qua facultas exercenda est (22 jul. 1886); sufficere tamen consensum Superioris regularis, si praedicta facultas intra monasterium exerceatur (2 jan. 1888).

Ad applicandas indulgentias crucibus, etc., sufficit crucis signum. Cfr. Append. V.—Indulgentia Plenaria—Toties quoties—pro recitatione coronae coram SSmo. Sacramento.

ARTICULUS II

DE FACULTATE LEGENDI LIBROS PROHIBITOS

882.—Q. *Sub quonam tenore concedatur facultas legendi libros prohibitos?*

R. Sub hoc aut simili tenore: «Facultas conceditur retinendi ac legendi libros ab Apostolica Sede prohibitos, etiam contra religionem ex professo agentes, ad effectum eos impugnandi, quos tamen diligenter custodiat, ne ad manus aliorum perveniant, exceptis de obscoenis ex professo tractantibus».

Explanatur. 1.º *Contra religionem ex professo agentes.* Ut liber autem tractet *ex professo* contra religionem, alii requirunt, quod impugnet ex professo non tantum religionem revelatam, sed etiam religionem naturalem. (Cfr. N. R. T. 2-662). At alii id restringunt ad impugnationem Religionis revelatae, seu cacholicae. (Cfr. N. R. T. 8-450).

2.º *Ad effectum eos impugnandi.* Quaeritur igitur num facultate hac munitus, et libros prohibitos ex sola curiositate legens incurrat excommunicationem, si liber sit ex iis, quorum lectio sub ea censura vetatur; aut peccet, si liber prohibitus quidem sit, at sub nulla censura.

Resp. Excommunicationem non incurrit, cum clausula illa non indicet finem intrinsecum, sed extrinsecum tantum facultatis. Finis enim ejus intrinsecus, seu finis operis est eximere a lege, quae vetat librorum prohibitorum lectionem; extrinsecus autem *usum* concessae facultatis ita moderari, ut, ratione etiam finis operantis, a culpa vacet. Praeterea dum S. Pontifex vult, ut talis finis operantis sit conditio sine qua non facultatis, id exprimit, additis verbis: *alias non*; aut: *secus totum erit irritum et* inane, aut aliis aequivalentibus.

3.º Quod autem ad peccatum attinet, sunt qui dicunt esse grave, quia tales agunt in materia gravi contra finem extrinsecum dispensationis. (Cfr. N. R. T. 2663). Hoc tamen S. Alphonsus (l. 7. n. 291) negat «tum ait, quia finis praecepti non cadit sub peccato... tum quia Superior ob duas causas dispensat: primo, quia considerat dispensato non imminere periculum perversionis; secundo, quia spèrat lectionem esse illi vel aliis

proficuam; unde si cessat secunda causa, non cessat prima.». Insuper, ut addit Heymans, dispensantes sciunt, paucos esse Oratores, in quibus haec conditio ita stricte verificetur. Lectio tamen periculo non caret in piis etiam Sacerdotibus, quando finis legentis non est omnino rectus, qualis certo non est curiositas. (Cfr. Putzer, n. 174).

4.º *Exceptis de obscoenis ex professo tractantibus.* Libri obscoeni hic comprehenduntur in hac facultate eodem sensu, quo in septima Regula Indicis: intelliguntur scilicet libri, qui res lascivas seu obscoenas *ex professo* tractant, narrant aut docent. *Ex professo,* id est, non sufficit librum continere unum pluresve locos obscoenos, sed oportet praeterea, ut directe saltem implicite, ac in aliqua sui parte notabili (non in parva sui parte) morum honestatem lacessat.

5.º Qui generalem obtinuit licentiam legendi libros in Indicem relatos, nequit, vi hujus licentiae, legere libros, vel ephemerides ab Ordinario proscriptos. (S. C. Ing. 6 Dec. 1895, apud N. R. T. 28-102).

ARTICULUS III

DE FACULTATE QUOTIDIE CELEBRANDI MISSAM VOTIVAM DE B. M V. AUT DE REQUIEM

INSTRUCTIO

PRO SACERDOTE CAECUTIENTE CIRCA MISSARUM CELEBRATIONEM EIDEM EX INDULTO APOSTOLICO CONCESSAM

1.—*Praenotanda.*

883. 1. Sacerdos caecutiens seu tali visivae potentiae debilitate, sive accidentaliter sive habitualiter, laborans, ut legere possit non nisi typos valde crassos, a Summo Pontifice seu Sacra Rituum Congregatione, nisi Episcopus Apostolica facultate fuerit munitus, dispensationem obtinere potest celebrandi, juxta normas inferius accuratius exponendas, aut Missam votivam de Beata Maria Virgine aut Missam, quam vocant, quotidianam Defunctorum.

2. Conditiones vero in hujusmodi privilegii instrumento appositae, non sunt merae ritualitatis et styli, sed obligatoriae in conscientia.

3. Si in privilegio dicatur: «Dummodo Orator non sit omnino caecus, «et interea plane caecus evadat, tunc a celebrando Missam abstinere debet, donec novum indultum impetraverit; eoque obtento, sub gravi tenetur assistentia uti alterius sacerdotis, quamvis forte haec obligatio in indulto non expresse fuerit appositae.

2.—*Regulae circa Missam votivam de beata Maria Virgine.*

I.—*Quae Missa votiva de beata María Virgine sit dicenda.*

884. 1. Caecutiens dispensatus dicat Missam inter votivas de beata Maria Virgine assignatas *quintam,* quovis anni tempore.

2. Si vero tantae adhuc est potentiae visivae ut legere possit etiam alias quatuor Missas votivas de beata Maria Virgine in Missali caecutientium pro diversitate Temporum exstantes, facultas eis sit easdem celebrare juxta temporum diversitatem.

II.—*Quando Missa votiva de beata Maria Virgine sit dicenda.*

885. 1. Missa votiva de beata Maria Virgine dici *potest* quovis anni tempore; dici vero *debet* omnibus et singulis diebus, in quibus non permittuntur Missae quotidianae Defunctorum juxta Calendarium Ecclesiae in qua Sacerdos caecutiens celebrat; salvis tamen privilegiis ulterioribus circa Missas Defunctorum infra num, 3 expositis.

2. In triduo sacro Majoris Hebdomadae Sacerdos caecutiens omnino a celebrando abstinebit.

3. In Festo Nativitatis Domini tres dicere potest Missas.

III.—*Quo ritu sit celebranda.*

886. 1. Si Missa votiva de beata Virgine Maria celebretur pro re gravi et publica simul causa; a Sacerdote caecutiente semper dicuntur unica *Oratio, Gloria in excelsis, Credo, Praefatio* in tono solemni, *Ite Missa est* et ultimum Evangelium S. Joannis *In principio,* etsi a Sacerdotibus non privilegiatis facienda esset illa die conmemoratio, vel dicenda Collecta ab Ordinario imperata, vel dicendum in fine Evangelium Officii commemorati, juxta Rubricas.

2. In omnibus aliis casibus:

a) dicitur *Gloria in excelsis*:

I. Quandocumque dicendum est in Missa diei currentis, juxta Calendarium Ecclesiae in qua Missa celebratur;

II. In jubilaeo propriae ordinationis sacerdotalis;

III. Infra Octavas, etiam simplices, beatae Mariae Virginis, juxta Calendarium Ecclesiae in qua Missa celebratur;

IV. In Sabbato.

b) Orationes quod attinet, haec observanda sunt:

I. Secunda et tertia Oratio non adduntur, quandocumque Orationes de Tempore excluduntur a ritu Missae diei currentis, juxta Calendarium Ecclesiae in qua Missa celebratur;

II. Secus tres dicantur Orationes, et quidem secunda de Spiritu Sancto, tertia contra persecutores Ecclesiae vel pro Papa.

c) *Credo* dicitur:

I. Quandocumque dicendum est in Missa diei occurrentis, juxta Calendarium Ecclesiae in qua Missa celebratur;

II. In Praefatione dicitur *et te in veneratione*, praeterquam in Festis et per Octavas, etiam simplices, beatae Mariae Virg., in quibus Praefatio dicitur perinde ac si Missa de Festo vel de Octava celebraretur.

e) Ultimum Evangelium semper est S. Joannis *In principio.*

f) In Oratoriis privatis, Calendarium proprium Celebrantis tenet locum Calendarii Ecclesiae in qua Missa celebratur; idque etiam circa Missam Defunctorum servabitur.

3.—*Rubrica circa Missam Defunctorum.*

887. 1. Loco Missae votivae de beata Maria Virgine Sacerdos caecutiens celebrare potest Missam quotidianam Defunctorum, cum vel sine cantu, ad normam rubricarum de Missis Defunctorum, juxta Calendarium Ecclesiae in qua celebrat.

2. Hanc Missam celebrat etiam (et quidem ter si placuerit) in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, in qua tamen unam tantum orationem dicet, nempe Fidelium; servata (si bis vel ter hac die celebret) Constitutione Benedicti Papae XV Incruentum Altaris sacrificium, cujus vigore unam tantummodo Missam cuicumque maluerit aplicare et pro ea stipem percipere valeat; alias vero Missas, nulla stipe percepta, pro omnibus fidelibus defunctis et ad mentem Summi Pontificis, prout ceteri Sacerdotes applicet.

3. Unica oratio in hac missa dicitur, quandocumque haec Missa quotidiana locum teneat Missae in qua unica tantum oratio, juxta Rubricas, dici debeat. Secus tres saltem Orationes dicantur; prima tamen et secunda Oratio variari poterunt, juxta peculiarem intentionem et applicationem Missae.

4. Ad Sequentiam *Dies irae* Sacerdos caecutiens nunquam tenetur. Attamen si Missam cantet, licet ipse Sequentiam non legat, Chorus eam cantare non omittat.

Die 12 januarii 1921.

SECTIO II

DE PRIVILEGIIS ORDINI NOSTRO PROPRIIS

Haec Sectio tribus constat capitibus: in primo agetur de Tertiariis Ordinis nostri; in secundo, de Confraternitate S. Scapularis B. M. V. de Monte Carmelo; in tertio, de Indulgentiis similibusque gratiis Ordini nostro concessis.

CAPUT I

DE TERTIARIIS ORDINIS NOSTRI

Praesens caput in tres dividitur articulos, quorum primus erit de notione Tertii Ordinis nostri; secundus, de favoribus et gratiis ipsi concessis; tertius, de obligationibus Tertiariorum.

ARTICULUS I

DE NOTIONE TERTII ORDINIS NOSTRI

888.—Q. *An Ordo noster habeat Tertium Ordinem?*

R. Affirmative: nam Patres Carmelitani plenam habent facultatem Apostolicam instituendi Tertium Ordinem, ac Tertiarios utriusque sexus ad habitum atque professionem admittendi. Possunt Superiores praescribere Tertiariis habitum regularem Ordinis, secundum quod eorum statui et conditioni conveniens fuerit, et saluti expediens. Ita Nicol. V in sua Const. Cum nulla, an. 1452, et Sixtus IV in sua Const. Dum attenta, 28 Nov. 1476 (apud Silv. 10-275 et Lez. 3-284).

Vi hujus concessionis Superiores nostri Majores habent potestatem accommodandi Tertium Ordinem nostrum juxta statum et conditionem recipiendorum. Et verum, Ven. Definitorium nostrum Generale hac potestate usum est, quum, die 13 Aprilis 1921, Regulam Tertii Ordinis nostri modificavit, et sic modificatam approbavit, quam Benedictus XV, die 6 Martii 1921, definitive approbare et confirmare dignatus est.

889.—Q. *Quinam habeant potestatem admittendi postulantes ad habitum et professionem Tertii Ordinis nostri?*

R. 1.º Potestatem *ordinariam* habent: R. adm. P. N. Generalis in toto Ordine; Provinciales in suis respectivis Provinciis; Priores et Superiores locales in suis respectivis conventibus et districtibus. (Cfr. Regulam Tertii O. N. c. III).

Potestatem delegatam ad hunc finem concedere potest: R. Adm. Praepositus Generalis vel ejus Vicarius omnibus sacerdotibus saecularibus vel regularibus cujuslibet Instituti, ejus arbitrio quoad tempus et locum: R. P. Provincialis vel Vicarius Provincialis, sed dumtaxat eorum subditis religiosis intra limites propriae Provinciae et per tempus sui officii; Superior localis propriis subditis in ejus districtu et durante suo officio.

890.—Q. *Quinam admitti possint ad Tertium Ordinem nostrum?*

R. 1.º Personae utriusque sexus admitti possunt, dummodo sint honestae conditionis et vitae exemplaris, atque habeant, unde honeste vivant.

Circa aetatem, tam pro viris quam pro mulieribus, requiritur ut attigerint 24 annum: verumtamen Superiores vel Directores poterunt dispensare ab hoc requisito, sed non infra vigesimum annum expletum, dummodo tali dispensatione dignae judicentur ob praeclaros eorum mores. Ex Regula Tertii Ordinis nostri saecularis, cap. IV, n. 12. f).

2.º «Qui vota nuncupavit vel in perpetuum vel ad tempus in aliqua religione, nequit simul ad ullum tertium Ordinem pertinere, etsi eidem antea fuerit adscriptus» (can. 704, § 1).

«Si solutus a votis ad saeculum redierit, antiqua adscriptio reviviscit» (ib. § 2).

3.º «Nulla tertiariorum sodalitas, sine apostolico indulto, adscribere potest sodales alius tertii Ordinis in eodem remanentes; singulis tamen sodalibus licet justa de causa transire sive ab alio ad alium tertium Ordinem, sive ab alia ad aliam sodalitatem ejusdem tertii Ordinis» (can. 705).

ARTICULUS II

DE FAVORIBUS ET GRATIIS TERTIO ORDINI NOSTRO CONCESSIS

891.—Q. *Quinam sint favores et gratiae Tertio Ordini nostro concessae?*

R. 1.º Sunt imprimis variae Indulgentiae. (Cfr. Manuale Tertii O. N. Appendix, pag. 168).

2.º Est *Benedictio* cum indulgentia plenaria, quae etiam vocatur *absolutio generalis*. Porro dies pro impertienda hac absolutione, sunt sequentes:

1. Dies Nativitatis Domini (25 Dec.)
2. Circumcisio Domini (1 Jan.)
3. Epiphania Domini (6 Jan.)
4. Dominica Paschatis.
5. Ascensio Domini.
6. Dominica Pentecostes.
7. Festum SSmae. Trinitatis.
8. Festum SS. Corporis Christi.
9. Festum SS. Cordis Jesu.
10. Festum Purificationis B. M. V. (2 Febr.)
11. Festum Annuntiationis B. M. V. (25 Mart.)
12. Festum Visitationis B. M. V. (2 Jul.)
13. Festum Assumptionis B. M. V. (15 Aug.)

14. Festum Nativitatis B. M. V. (8 Sept.)
15. Festum Praesentationis B. M. V. (21 nov.)
16. Festum Immac. Conceptionis B. M. V. (8 Dec.)
17. Festum S. P. N. Joseph, Sponsi B. M. V. (19 Martii).
18. Festum Apost. S. Petri et S. Pauli (29 Jun.)
19. Festum S. P. N. Eliae. Prophetae (20 Jul.)
20. Festum S. M. N. Teresiae a Jesu (15 Oct.)
21. Festum S. P. N. Joannis a Cruce (24 Nov.)
22. Festum Omnium Sanctorum (1 Nov.)
23. Festum Omnium Sanct. O. N. (14 Nov.)
24. Omnibus diebus Hebdomadae Majoris.
25. Post Visitationem canonicam a Visitatore impertienda. (Man. Tert. O. N., p. 142) (1).

Proprius Superior vel in ejus absentia quilibet sacerdos ad confessiones approbatus, absolutionem generalem cum indulgentia plenaria impertiri potest Tertiariis in supradictis festis vel qualibet die, ipsis commodiori, infra proprias octavas, publice vel privatim, vel etiam intra confessionem post absolutionem sacramentalem, a primis vesperis talium sollemnitatum.

3.º Juxta Decretum S. R. C. 4 Sept. 1745 et 11 Jun. 1570, Tertiarii in Sacris constituti, etiam cum cura animarum, non adscripti choro, recitare possunt Horas Canonicas juxta Breviarium et Kalendarium Ordinis nostri.

892.—Q. *Quid intelligatur per hanc absolutionem generalem?*

R. Illa absolutio non est sacramentalis, neque per eam quis absolvitur a culpa peccati; sed est quaedam absolutio *deprecativa,* per quam, auctoritate Apostolica, absolvuntur Tertiarii plenarie a poena debita in purgatorio, quae secundum aequitatem justitiae divinae restat adimplenda propter defectum sufficientis contritionis, aut satisfactionis in hac vita. Unde quando in formula dicitur: *plenariam indulgentiam omnium peccatorum vestrorum vobis impertior,* intelligi debet: plenarium remissionem omnium poenarum pro peccatis vestris debitarum, vobis impertior. (Cfr. N. R. T. 12-194).

Ut autem quis hanc remissionis poenarum plenitudinem effectu ipso consequatur, ex se patet oportere, ut praeditus sit necessariis dispositionibus, atque nominatim supponitur omnium venialium culparum expiatio.

(1) Manual de la Orden Tercera Seglar de la B. V. María del Monte Carmelo y de la Santa Madre Teresa de Jesús.—Burgos. Tipografía de "El Monte Carmelo." 1923.

893 – Q. *Quisnam possit impertire Tertiariis Ordinis nostri absolutionem generalem?*

R. 1.º *Privatim*: a) *in actu confessionis,* quilibet confessarius eam impertire potest (S. C. Ind. 10 Jun. 1886); b) *extra actum confessionis,* licet confessario eam impertire singillatim suis poenitentibus, vel etiam tribus aut quatuor ex eis simul coadunatis. (Cfr. Annales Franciscaines, 15-353, apud Libertum «Manuel complet du Tiers-Ordre», p. 522).

2.º *Publice.* Superior, sive Sodalitatis Rector, aut alius sacerdos ad confessiones approbatus eam concedere potest.

Sacerdos tamen, qui non est confessarius, ad hanc absolutionem impertiendam delegari nequit. (Cfr. N. R. T. 6-100).

894. – Q. *An sacerdos impertiens absolutionem generalem teneatur imponere aliquam poenitentiam?*

R. Negative, etenim nulla poenitentia a Leone XIII imponenda praescribitur, (Cfr. N. R. T. 16-326). Observa tamen, quod ad indulgentiam plenariam lucrandam ordinarie requiritur, ut preces consuetae recitentur. Quod etiam videtur intelligendum de Indulgentia plenaria huic Benedictioni adnexa.

895. – Q. *Quaenam formula adhibenda sit pro hac Benedictione impertienda?*

R. Distinguendum est: quando *publice* impertitur, adhibenda est formula a Leone XIII, die 7 Mart. 1882, praescripta, quae incipit his verbis: *Intret oratio mea* (Cfr. Decr. auth. n. 413).

Quando autem immediate post confessionem sacramentalem datur, adhibetur quidem eadem formula, sed abbreviata, incipiendo scilicet, reliquis omissis, a verbis: «*Dominus noster Jesus Christus*» etc., et sic prosequendo usque ad finem, plurali tantum numero in singularem immutato.

Insuper in Caeremoniali Tertii Ordinis subjungitur: «Si ex circumstantiis adhiberi nequeat suprascripta formula, sacerdos, reliquis omissis, dicat. «*Auctoritate a SS. Pontificibus mihi concessa, plenariam omnium peccatorum tuorum Indulgentiam tibi impertior. In nomine Patrix, et Filii, † et Spiritus Sancti. Amen.*»

Porro sacerdos semper valide utetur hac ultima breviori formula; recte tamen omnino, ubi fieri poterit, longiorem adhibeat formulam, quae incipit a verbis: *Dominus noster Jesus Christus,* in qua devotae quaedam invocationes haud inefficaces, nec in breviori expressae ,continentur. (Cfr. Th. Mech. de Indulg. p. 153)

ARTICULUS III

DE OBLIGATIONIBUS TERTIARORUM ORDINIS NOSTRI

896.—Q. *Quaenam sint obligationes Tertiarorum Ordinis nostri?*

R. Hae obligationes sunt duplicis generis: aliae nempe, quae a Regula proveniunt: non sunt obligationes proprie dictae; quia sub peccato in conscientia non obligant: hae obligationes in Regula contentae sunt a cap. X usque ad finem. Aliae autem proveniunt ab ipsa professione, in qua emitttitur votum obedientiae et castitatis; quae quidem obligationes ligant conscientiam, de illisque hic est inquirendum, quousque scilicet se extendant obligationes, quae ex illo duplici voto dimanant.

897.—Q. *Quomodo votum obedientiae in professione a Tertiario emissum obliget?*

R. In capite octavo Regulae rite explicantur natura et limites hujusmodi voti obedientiae. Votum illud solummodo obligat secundum Regulam in eis, quae spectant ad salutem animae et profectum spiritualem. Numquam autem sub gravi obligat, nisi, vi illius voti, praeceptum grave secundum Regulam imponatur, a) in scriptis, b) coram duobus testibus, c) cum declaratione, quod hujusmodi praeceptum sub gravi obliget. Nec aliter imponetur unquam aliquod praeceptum grave.

898.—Q. *Quomodo obliget votum castitatis in professione a Tertiario emissum?*

R. In capite nono Regulae rite explicatur natura hujusmodi voti, quod addit novum titulum, vi ipsius voti, obligationi communi, quam habet illud emittens, caste vivendi in statu praesenti vel futuro; votum hujusmodi castitatis obligat quidem Tertiarios, sed tantum secundum praesentem statum, in quo hic et nunc versantur, vel futurum, quem amplectentur, ita ut virgo, vi illius voti, teneatur ad castitatem conjugalem, si matrimonium contrahat; ad castitatem autem vidualem, si vir ipsius moriatur. Hinc, juxta tenorem Regulae, votum castitatis nullo modo constituit impedimentum impediens matrimonii.

899.—Q. *An Tertiarii matrimonio juncti, aequiparari debeant illis conjugibus, qui in matrimonio emiserunt votum castitatis?*

R. Negative, nam conjuges in marimonio votum castitatis emittentes, reddere quidem debent debitum conjugale, at illud petere, salvo voto castitatis, non possunt. Tertiarii autem conjugati non tantum reddere, sed et petere possunt debitum conju-

gale, non obstante voto castitatis in professione emisso. Etenim non est praecise votum simpliciter et absolute servandi castitatem; sed est votum servandi castitatem secundum suum statum. Porro conjuges, qui modo debito, petunt et reddunt debitum conjugale, servant castitatem secundum suum statum, scilicet castitatem Conjugalem.

900.—Q. *Quomodo peccent Tertiarii transgrediendo votum castitatis?*

R. Cum gravitas obligationis voti castitatis in ipsa Regula non exprimatur, neque de illa constet ex intentione voventis, dicendum videtur illud votum obligare secundum gravitatem materiae in violatione virtutis castitatis, ita ut, si Tertiarius graviter peccet contra virtutem castitatis, etiam graviter peccat contra hoc votum; e contra, si tantum leviter peccet contra virtutem castitatis, pariter solummodo leviter peccat contra illud votum. (Cfr. Lez. I-433, n. 19).

901.—Q. *Quomodo vota illa cessare possint?*

R. In capite septimo Regulae duo exponuntur casus, in quibus illa vota cessant, nempe: 1.º quando Tertiarius, vel Tertiaria propter suam vitam scandalosam, jure merito per legitimum Superiorem ab Ordine dimittitur. 2.º quando sponte et proprio arbitrio exit ab Ordine (praevio consilio Superioris vel Directoris).

CAPUT II

DE CONFRATERNITATE S. SCAPULARIS B. M. V. DE MONTE CARMELO

Praesens caput in tres dividitur articulos, quorum primus erit de S. Scapulari B. M. V. de Monte Carmelo; secundus, de Confraternitate S. Scapularis; tertius, de potestate benedicendi Scapulare illudque fidelibus imponendi.

ARTICULUS I

DE S. SCAPULARI B. M. V. DE MONTE CARMELO

902.—Q. *Quid sit Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo?*

R. Parvum Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo, quod fideles gestare solent, aliud non est quam Scapulare Ordini nostro proprium, pro majori fidelium commoditate ad parvam formam redactum. Quod autem spectat ad formam, usus genera-

lis habet, ut illud Scapulare sit formae oblongae, aut saltem quadratae.

Nunc autem quibusdam in regionibus introducitur usus conficiendi Scapularia formae rotundae vel ovalis, imo et multangulae. Quaeritur itaque, utrum alia forma praeter oblongam vel quadratam obstet validitati Scapularis?

S. C. Ind. die 18 Aug. 1868 respondit: *nihil esse innovandum.* (Cfr. Coll. P. F. n. 460) (1).

903.—Q. *Quaenam statuta sint circa materiam, e qua confici debent Scapularia?*

R. 1.º Materia (seu duo Scapularis panniculi) debet esse necessario et exclusive ex lana, et sumi nequit cylinum (coton, algodón), sericum (soie, seda) aut quaevis alia materia. Debet autem sumi lanea proprie dicta (laine tissue, tejido de lana), et nequit esse ex lanea textura reticulata (tricotage, encaje), aut ex lana subcoacta (feltro, feutre, fieltro) aut ex quocumque laneo opere acu picto (ricama, broderie, bordado).

Validum tamen est Scapulare ex lanea textura seu panno laneo coloris praescripti, etiamsi intexta, vel acu picta habeat ornamenta non ex lana, sed v. gr. ex serico, argento, vel auro, etiam diversi coloris, dummodo ornamenta sint talia, ut color praescriptus praevaleat. (l. c.)

Vincula autem, quibus conjunguntur binae sacri habitus partes, cum sacrum Scapulare non constituant, non oportet, ut sint lanea; possunt fieri ex serico, lino, etc., cujuscumque coloris.

2.º *Quoad colorem*: sodales gestent Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo ex lana coloris fusci (atenado, *couleur brune ou tannée*) aut niger (oscuro). Imago B. M. V., quae ponitur ordinarie super unius oris partem, non est necessaria, sed est

(1) Die 16 Dec. 1910. S. Cong. S. Officii, per suum Decretum "Cum sacra" declaravit: Omnibus fidelibus, tam uni quam pluribus veri nominis atque a Sancta Sedi probatis scapularibus (exceptis quae Tertiorum Ordinum sunt propria), per regularem, ut ajunt, impositionem jam adscriptis aut in posterum adscribendis, licere posthac pro ipsis, sive uno sive pluribus, scapularibus ex panno, unicum numisma ex metallo seu ad collum seu aliter, decenter tamen super propriam personam, deferre, quo, servatis propriis cujusque eorum legibus, favores omnes spirituales *(sabbatino,* quod dicunt, scapulariis B. M. V. de Monte Carmelo *privilegio* non excepto) omnesque indulgentias singulis adnexas participare ac lucrari possint ac valeant;

Hujus numismatis partem rectam, SSmi. D. N. J. suum sacratissimum Cor ostendentis, aversam, Bmae. Virginis Mariae effigiem referre debere;

Idem benedictum esse oportere tot distinctis benedictionibus quot sunt scapularia regulariter imposita, queis, pro lubitu petentium, suffici velit;

Singulas has, demum, benedictiones imperteri posse *unico crucis signo,* vel in ipso adscriptionis actu, statim post absolutam regularem scapularis impositionem, vel etiam serius, pro petentium opportunitate... (Acta A. S. III. 22 et VI. 346).

tantum pius et laudabilis usus. (Decr. auth. 12 Febr. 1840, n. 278).

Praeterea non officit valori S. Scapularis imaginum varietas, modo in Scapulare appareat color, forma et pannus. (S. C. Ind. 18 Jun. 1898).

Ex hoc Decreto non inferatur non licere S. Scapulare ita involucro contegere, ut panni jam penitus non appareant; illud namque involucrum non immediate afficit ipsam Scapularis constitutivam materiam, sed extrinsece tantum Scapulare jam constitutum obtegit, sicut illud obtegunt vestes. Jamvero non praescribitur, ut appareat *ipsum Scapulare,* sed ut in Scapulari *appareant color, forma et pannus praescriptus.* (Cfr. Coll. Brug. III-538 et IV-174).

Eo in sensu cl. Beringer S. C. Ind. Consultor (*Theologisch -Praktisch Quartalschrift,* 1899, p. 213) scribit: «Nuper periodicum aliquod ex hoc Decreto intulit jam non licere Scapularia circumdare involucro, quo a sudoris effectu munirentur. Sed hoc immerito, nec S. Congregatio in praelaudato responso hoc intendit, prout iterum atque iterum interrogantes in Secretaria didicimus. Quando aliunde Scapularia cognitis praescriptis conformia sunt, contra hunc usum nihil est inferendum; secus posset aliquis tandem aliquando concludere Scapularia jam non posse gestari sub vestibus, quia et his eodem modo, quominus appareant, impediuntur». (Coll. Brug. IV-175). Documenta circa scapulare Carmelitanum theca protectum. Anno 1909.

904. Anno 1901, die 19 Julii, Sancta Sedes decreto quodam inconvenientia aliqua exposuit quae ob sudorem ex scapulario oriuntur. Ex alia parte, ut patet ex ipso decreto S. Oficii quo conceditur facultas sufficiendi metallicum numisma sacris scapularibus: «Sanctissimus D. N. Pius divina providentia PP. X... vehementer exoptat ut eadem (sacra scapularia ex panno confecta), quo hucusque modo consueverunt fideles deferre prosequantur (1). Prudentia hujus declarationis magis patebit, si consideratur: privilegia Mariana Scapularis Carmelitani securius consequi gestatione scapularis quam gestatione numismatis; immo qui tantum numisma portat, non fit particeps meritorum Ordinis Carmelitani; bene vero qui scapulare portat.

Consequenter conveniebat ut inveniretur modus quidam gestandi sacrum scapulare, vitatis illis inconvenientiis. Ad hunc finem factum est «Scapulare Carmelitanum theca protectum»; quod constat e duobus panniculis a sudore protectis duobus sacculis e metallo confectis, qui sacculi catena uniuntur, ita ut unum sacculum ab humeris et alterum a pectore dependeat.

(1) Decretum "Cum sacra" diei 16 decembris 1910; cfr. *Acta Apostolicae Sedis,* t. III, p. 23.

Hoc scapulare, approbationi Superioribus Ordinis et Sacrae Congregationi Rituum submissum anno 1923, laudabile responsum ad experimentum obtinuit. Ideo ad approbationem officialem obtinendam experientia probandum erat populum Christianum hocce scapulare acceptare. Quod feliciter evenit; etenim tempore paucorum mensium divulgatum est hoc scapulare in Europa, America et Oceania. Quibus obtentis, approbatio officialis a S. Congregatione Rituum Kalendis maiis 1925 postulata, consecuta est decretis 8 Maii et 3 Junii 1925.

Ut tam exteri quam Fratres Ordinis Nostri meliorem notitiam hujus scapularis consequi possent, opportunum duximus duo documenta huc spectantia hic referre.

«Beatissime Pater:

Fr. Raynaldus M. a S. Justo, Ordinis Carmelitarum Discalceatorum sacerdos professus, Commissarius S. Scapularis in Hispania, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, sequens proponit *dubium*: An vincula S. Scapularis, quibus conjungi solent binae parvi habitus partes possint valide et licite fieri ex qualibet decenti materia, dummodo partes Scapularis ita disponantur, ut una pars ab humeris, altera a pectore dependeat. Et Deus...»

Resp.: Ex congressu S. Rituum Congregationis die 8 Maii 1925: Sacra Rituum Congregatio, proposito dubio respondendum censuit *affirmative* juxta decreta, praesertim decretum S. Congregationis Indulgentiarum diei 29 Augusti 1864. Atque ita rescripsit ac declaravit die 8 Maii 1925. (Locus sigilli S. Congregationis Rituum et subscriptionis Mons. F. Di Java, ejusdem S. Congr. Rit. Substituti).

«Beatissime Pater:

Fr. Raynaldus M. a S. Justo, Ordinis Carmelitarum Discalceatorum sacerdos professus, Commissarius S. Scapularis in Hispania, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, sequens proponit *dubium*: An panniculi S. Scapularis possint valide et licite protegi a sudore quibusdam sacculis (borsette) ex qualibet decenti materia confectis, dummodo sacculi non sint assuti, etc., panno, seu inseparabiles ab eo, sed potius sint faciliter moviles, et dummodo vincula Scapularis uniantur panniculis et non directe sacculis, et mediante sacculo panniculis. Et Deus...»

Resp.: 1925, 3 Junii: «Nihil obstat». (Locus sigilli S, Congregationis Rituum et subscriptionis Mons. H. Dante, ejusdem S. Congreg. Rit S. Substituti) (1). Fr. Anastasius a S. Paulo.— (Analecta Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, vol. I. pag. 43).

(1) Approbatione officiali consecuta, R. P. Raynaldus M. a S. Justo litteras laudatorias accepit ab Emis. Cardenalibus Vico et Merry del Val, a R. P. Praeposito Generali Carmelitarum Excalceatorum et a Priore Generali Carmelitarum

905.—Q. *Quaenam servanda sint quoad benedictionem Scapularis et impositionem?*

R. Scapulare a sacerdote, ad hoc potestatem habente, benedici debet, adhibita forma praescripta. Benedictio autem non est necessario facienda in fidelium recipiendorum praesentia. Sic v. g. si aliqua die plura fuissent Scapularia benedicta, quam adsunt fideles ad ea recipiendum, possent ea Scapularia benedicta postea aliis imponi. Posset quoque in morbo, in vitae periculo, aliove urgenti casu quis in aliquam sodalitatem recipi ei Scapulare *jam benedictum* imponendo, brevioremque admissionis formulam proferendo. (Beringer. I-397).

E converso, ubi plures essent fideles recipiendi, quam habentur Scapularia, posset etiam unum idemque Scapulare semel benedictum valide pluribus per vicem imponi, repetita solummodo super singulis receptionis, sive impositionis forma, ita tamen, ut primum Scapulare, quod deinceps quilibet adscriptus induere debet, sit benedictum. (Decr. auth. n. 41).

Verum ad recipiendum primum Scapulare requiritur praesentia personalis; ad validitatem tamen non requiritur, ut impositio fiat *circa collum*, sed sufficit, ut *uni tantum humero fidelium imponatur*. Hic modus imponendi Scapulare speciatim adhibetur cum mulieribus et Monialibus, quibus ob capitis tegumentum difficulter circa collum S. Scapulare imponi potest. (26 Sept. 1892, Cfr. Beringer Suppl. p. 67).

906.—Q. *Quomodo S. Scapulare gestari debeat?*

R. Scapulare debite receptum ita gestari debet, ut una pars ab humeris, altera a pectore dependeat; secus indulgentias quis non lucratur. (12 Febr. 1840, n. 277). Continuo, die ac nocte gestari debet Scapulare; sed non necessario immediate super corpus deferendum est, ita ut illud physice tangat, sed super vestes retineri potest. (Decr. auth. n. 363).

Quando Scapulare tritum, aut laceratum est, quilibet sibi aliud assumere et imponere potest; nec necesse est, ut sit benedictum.

Qui rite semel adscripti in Sodalitate B. M. V. de Monte Carmelo, postea habitum sacrum Sodalitatis dimiserint, ad lucrandas Indulgentias praedictae Sodalitati concessas, non tenentur ad novam sacri habitus receptionem ab habente potestatem, sed sufficit, ut simpliciter sacrum habitum denuo resumant. (27 Maii 1857).

Nova impositio tunc tantum requiritur, ubi quis Scapulare deposuerit cum animo illi valedicendi, sive illa voluntas fuerit

Antiquae Observantiae. Immo. Summus Pontifex Pius PP. XI Scapulare Carmelitanum theca protectum accipere illudque benedicere "perlibenter in Domino" dignatus est

implicite deponendo Scapulare ex contemptu, sive fuerit explicite directe eidem vel ejusdem Sodalitati renuntiando.

907. — Q. *Quaenam formula sit adhibenda in benedictione et impositione S. Scapularis?*

R. Duplex habetur formula ad hoc legitime approbata: una nempe consueta et propia Ordini Carmelitarum; altera vero brevior ex S. R. C. Decr. 24 Jul. 1888 edita, quarum una, vel altera a sacerdotibus, etiam a Religiosis Carmelitanis, licite adhiberi potest. Quinimo ad validitatem receptionis sufficit, ut verba substantialia adhibeantur. (Cfr. Decr. auth. n. 421).

Quando plures fideles adsunt, qui Scapulare recipere cupiunt, formula benedictionis una tantum vice in plurali numero super omnia Scapularia pronuntiatur. Dein in ipsa impositione, licet etiam, omnibus rite peractis, dicere semel numero plurali formulam *accipite,* etc., imponendo successive et sine interruptione Scapulare omnibus praesentibus; nec formula numero singulari pro singulis repetenda est, etsi hoc facere expedit, quoties circumstantiae sinunt. (5 Febr. 1841, n. 286 et 18 April, apud Coll. P. F., n. 2175).

Si tamen viri a mulieribus facile segregari possint, et duplici actu functio peragi posset, quod certe esset convenientius, tunc prout de more, uti posset formula longiori, mutatis mutandis; si vero unico actu promiscue viri cum mulieribus sint aggregandi, tum ad praecavendam cacophoniam melius erit, si formula brevior adhiberetur, dicendo tantum «*accipite hunc habitum*» etc.

Hoc in casu formula dicenda est immediate antequam Scapularia imponi incipiantur, eaque sacerdote in manibus tenente. (S. C. Ind. 18 Junii 1898).

Nunc autem ex illo responso liquet sequenti ordine procedendum esse, quando plures simul recipiendi sunt: sacerdos, pronuntiatis verbis *benedictionis,* Scapularia manibus tenens profert semel in plurali formulam *impositionis,* et statim, nihil dicens singulis successive revera imponit Scapulare benedictum. Tandem profert semel in plurali formulam *admissionis* ad Confraternitatem, et singulorum nomina in albo adscribit. (Cfr. Coll. Brug. III-539).

908. Demum, cum Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo prae ceteris sit honore dignum, ex Decreto S. C. Ind. 27 April. 1887, non amplius commixtum cum aliis, sed separatim est benedicendum et imponendum, et *Indultum in perpetuum* postmodum non amplius conceditur, atque illi, quibus est concessum, eo tantummodo *ad decennium* (i. e. usque ad 27 April. 1897) perfrui possunt (1).

(1) In novissima editione (1925) Ritualis Romani prostat Formula brevior be-

Jamvero plures sacerdotes ,tum saeculares, tum Regulares, etiam post hoc Decretum, Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo cum aliis Scapularibus commixtum benedicere et imponere solent, ita tamen, ut peculiari formula utantur ad Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo benedicendum et imponendum; dicunt enim praedictum Decretum non vetare, quominus praefatum Scapulare Carmeliticum, sive ante, sive post benedictionem et impositionem *de facto commixtum sit* cum aliis Scapularibus, sed referri tantum ad peculiarem *benedictionem* et *impositionem* Scapularis. Haec methodus valide et licite servari potest, juxta Decr. S. C. Ind. 11 Mart. 1897.

ARTICULUS II

DE CONFRATERNITATE S.. SCAPULARIS B. M. V. DE MONTE CARMELO

909.—Q. *Quinam gaudeant potestate instituendi Confraternitatem S. Scapularis B. M. V. de Monte Carmelo?*

R. 1.º Solus Pater Generalis Ordinis pro tempore existens, et in sua absentia ejus Vicarius Generalis, ex Indulto Pauli V, potest ubique locorum extra Urbem, servata forma praescripta a Clemente VIII, Confraternitates erigere et instituere, illisque indulgentias, et gratias spirituales auctoritate Apostolica libere et licite communicare. (Cfr. Bull. O. N. 2-351) (1).

2.º Cum ex una parte Patres Carmelitani tam Calceati, quam Discalceati, liberam habeant facultatem instituendi ubicumque locorum Confraternitatem S. Scapularis B. M. V. de Monte Carmelo, et ex altera parte, unica tantum hujusmodi Confraternitas erigi possit in eodem loco, ideo ad conservandam bonam pacem inter Patres Carmelitanos Calceatos et Discalceatos, anno 1616, die 24 Aug., sequens concordia a S. Pontifice approbata fuit, prout sequitur: Paciscuntur inter se, ut ubi Patres Carmelitani erectam jam habent Confraternitatem, possint Discalceati S. Scapulare petentibus concedere, Sodalesque ita admittere, ut eo ipso Confraternitati Patrum Carmelitarum adscripti censeantur, et sint, et easdem Indulgentias, privilegia, facultates, aliasque spirituales gratias et Indulta consequantur.

nedicendi et imponendi quinque Scapularia SS. Trinitatis, Passionis D. N. J. C., beatae Mariae Virginis sub respectivo titulo inmaculatae Conceptionis, Septem Dolorum et Montis Carmeli: pro impositione vero horum Scapulariorum adhibenda est formula propria cujusque Scapularis. Appendix Rit. Rom. n. 14.

(1) Aliae Associationes de consensu Capituli Conventualis et de venia Provincialis in nostris ecclesiis poterunt institui, habita ratione ut eorum exercitia a nostro Instituto aliena non sint. (Constit. nostrae n. 180.)

Et eodem modo, si alicubi Patres Discalceati Confraternitati Patrum Carmelitarum adscripti censeantur, et sint, et easdem Indulgentias, privilegia, facultates, aliasque spirituales gratias et Indulta consequantur.

Et eodem modo, si alicubi Patres Discalceati Confraternitatem prius erexerint, possint Patres Carmelitani S. Scapulare ita petentibus induere, ut in Discalceatorum Confraternitatem eo ipso adscripti censeantur et sint, et easdem Indulgentias, etc., consequantur modo, quo supra. (Cfr. Bull. O. N. 2. 374).

Item quoad processiones ita pariter conveniunt et pascincuntur, ut ubi Confraternitas in domibus Patrum Discalceatorum fuerit erecta, nolintque ipsi dictam processionem, seu processiones facere, possint Patres Carmelitani eam vel eas celebrare, illique vel illis assistentes Confratres lucrentur Indulgentiam, ac si in eorum domo esset Confraternitas.

Et e converso, si in domibus Patrum Carmelitarum fuerit erecta Confraternitas, nolintque ipsi processionem celebrare, possint Patres Discalceati eam facere, Confratresque assistentes consequantur Indulgentiam praedictam. (Cfr. Privil. O. N. p. 126, et Lez. I-448).

910.—Q. *Quaenam mitti debeant ad R. adm. P. N. Generalem pro erectione canonica Confraternitatis S. Scapularis B. M. V. de Monte Carmelo?*

R. Ea quae sequuntur, videlicet: 1.º Litterae Episcopi, quae exprimunt consensum in hanc erectionem, 2.º Titulus Ecclesiae, in qua erigenda est Confraternitas.

911.—Q. *An nomina Christifidelium, quibus S. Scapulare imponitur, sint inscribenda in libro Confraternitatis?*

R. 1.º Ex benigna concessione Gregorii XVI, 30 April. 1838, ea inscriptio olim non requirebatur ad valorem, et ut *conditio sine qua non* obtinerentur indulgentiae: verum illud Indultum Gregorianum revocavit SS. D. N. Leo XIII, die 27 April. 1887, ita ut hodie pro receptione Christifidelium in hanc Confraternitatem omnino exigatur eorum nominum inscriptio in libro Confraternitatis.

Ex Resp. 22 Aug. 1842, etiam sufficit transmittere nomina ad monasterium Sororum Carmelitarum. (Cfr. Decr. auth. n. 309).

2.º Inscriptio igitur necessaria est. Ubi ergo non existit Confraternitas, Sacerdos, qui Christifidelibus imponit S. Scapulare, habeat registrum privatum, in quo nomina inscribit. Quae identidem, saltem semel in anno, transmittere debet ad conventum Ordinis nostri, sive Patrum, sive Monialium, vel ad Confra-

ternitatem quamlibet canonice erectam. (Cfr. N. R. 7. 24-207, Beringer. II-202. et S. C. Ind. 18 Jun. 1898).

3.º Juxta S. C. Ind. Decr. 12 Dec. 1892, indulgentia plenaria concessa pro die, quo quis induitur Scapulari, ipso die impositionis et inscriptionis in *privato regesto illo* acquiri potest. Ab eadem die fideles adscripti incipiunt lucrari ceteras indulgentias Confraternitati concessas. (13 Nov. 1893).

912. Sed major gratia concessa est, die 23 Apr. 1914, a Pío X in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita; praevia enim sanatione omnium defectuum hucusque admissorum in inscriptione et transmissione nominum christifidelium, qui ad quamcumque piam Sodalitatem cooptati fuerint, declaravit, firma remanente in conscientia obligatione inscribendi et transmittendi nomina, juxta decreta aliasque a S. Sede praescriptiones, fideles, eo ipso quo a legitime deputato admittuntur, rite adscriptos censeri, ad effectum tantummodo ut indulgentias lucrari aliarum gratiarum spiritualium participes fieri valeant, etiamsi eorum nomina, quacumque ex causa, in album Sodalitatis relata non fuerint (Acta A. S. VI, 307).

4.º Attamen quando ob ingentem fidelium aggregandorum numerum, aliave ratione contingat eorum nominum in albo recensionum difficultatem sacerdoti coaptante facessere, tunc designare is poterit unum vel plures pro opportunitate sibi visas personas, quae fidelium nomina scripto referant in catalogum, quem ipse postea subsignabit, et ad proximiorem Confraternitatem, seu domum Religiosam, uti superius dictum est, transmittat. (Litt. encycl. S. C. de P. F. 30 Junii 1889, apud Coll. P. F. n. 466). Omnes etiam Sacerdotes omittere nominum inscriptionem valent si verum incommodum sequatur, salva tamen inscriptionis obligatione in casibus ordinariis. (Benedictus XV, 11 jan. 1917).

5.º Nihilominus a necessitate inscribendi nomina manent exempti illi, qui per specialia Indulta dispensationem obtinuerunt, ut Patres Redemptoristae et Societatis Jesu in Neerlandia et Belgio, prout habetur ex Resp. 26 Sept. 1892, in quo tamen responso admonentur Patres... ut nomina receptorum in albo ipsius Sodalitatis vicinioris, sive Monasterii Religiosorum respective inscribere non omittant, ne in eorum obitu suffragiis priventur, juxta Resp. *in una Versalensi*, 17 Sept. 1845. (Apud. Act. S. S. 25-319).

6.º Cum autem non raro contingat, quod Christifideles, qui ad Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo admitti postulant, invalide recipiantur, sive ob omissam nominum inscriptionem, sive ob aliam causam. Benedictiones et impositiones s. scapularis de Monte Carmelo nulliter factae usque ad annum 1926, sanatae sunt benigno Rescripto S. Congregationis.

913.—Q. *Quaenam sint praecipua privilegia hujus Confraternitatis?*

R. Imprimis duo sunt privilegia, quibus haec Confraternitas prae caeteris eminet.

1.º *Primum* derivatur a revelatione facta S. Simoni Stock, Superiori Generali O. N., 16 Julii 1251, ubi B. M. V. ei Scapulare porrigens dixit: «Hoc tibi erit et cunctis Carmelitis privilegium: *in hoc moriens aeternum non patietur incendium*». Unde etiam *privilegium bonae mortis dicitur*. Haec promissio tanquam genuina defenditur a Benedicto XIV (de Festis p. II, n. 76); intelligenda autem est secundum morem loquendi in S. Scriptura usitatum, ut «Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum» (Joan. IV, 59). etc. Ad hoc acquirendum nihil requiritur, nisi pia gestatio hujus Scapularis in articulo mortis, supposita legitima ejusdem susceptione.

2.º *Secundum* privilegium est promptae liberationis ex purgatorio, quod dicitur *privilegium Sabbatinum,* quia B. M. V. in apparitione Joanni XXII facta, gestantibus hoc Scapulare promisit se eosdem praecipue *Sabbato* post eorum mortem, ex purgatorio liberaturam esse. Pontifex autem, ut ipse narrat in Bulla, *Sacratissimo uti culmine,* diei 3 Maii 1322, authentica declarata a Clemente X, 8 Maii 1673, hanc promissionem tanquam indulgentiam extraordinariam ratam habuit. Confirmatur hoc privilegium per lectiones secundi Nocturni Festi B. M. V. de Monte Carmelo secundum votum Card. Bellarmini, 20 Junii 1609 et 15 Julii 1612, a S. Pontifice approbatas, et per Decr. S. Off., 15 Febr. 1613, quo Carmelitis permissum fuit, illud publice praedicare. Unde, juxta Benedictum XIV, (de Festis II, c. 6) nulli catholico id impugnare licet.

Conditiones autem speciales ad hoc privilegium acquirendum sunt:

a) Ut pro sui quisque status ratione castitatem colat.

b) Ut, qui legere norit, quotidie recitet officium parvum B. M. V., id est, Nocturnum diei cum Laudibus et ceteras Horas ejusdem diei, idque juxta ritum Romanum, sed in privata recitatione officio parvi uti possunt lingua vulgari, ex declaratione S. C. Ind. 14 jun. 1901. Qui ad officium magnum aut parvum obligati sunt, id adimplentes satisfaciunt.

Qui vero legere nesciunt, debent servare jejunia Ecclesiae, et abstinentiam Feria quarta et Sabbato cujuscumque hebdomadae, nisi in hos dies incidat Nativitas Domini.

Conditiones praedictae in sensu stricto accipiendae sunt, ita ut, qui legere potest, nequeat arbitrio proprio eligere abstinentiam et observantiam jejunii supra expositam, et ii qui legere nesciunt, uti possunt etiam indultis dioecesanis vel aliis quoad jejunia ab Ecclesia praescripta juxta praedictam declarationem S. Congr. Indulg. 14 jun. 1901, et ovis ac lacticiniis uti possunt;

ob justam vero causam *omnes* confessarii facultate donantur commutandi singulis confratribus petentibus abstinentiam feriae IV et sabbati in alia pia opera: S. Congr. Indulg. 14 jun. 1901.

3.º Deinde omnes et singulae Missae, quae in suffragium Sodalium celebrantur, eodem gaudent privilegio, ac si in altari privilegiato celebratae fuissent. (S. C. Ind. 22 Jun. 1863).

4.º Ubi deest Ecclesia Ordinis nostri, visitatio ecclesiae parochialis, reliquis praestitis, pro Sodalibus sufficit ad lucrandas Indulgentias Ecclesiis Ordinis nostri concessas. (S. C. Ind. 15 Jan. 1885).

ARTICULUS III

DE POTESTATE BENEDICENDI PARVUM SCAPULARE B. M. V. DE MONTE CARMELO, ILLUDQUE CHISTIFIDELIBUS IMPONENDI

914.—Q. *Quinam habeant hanc potestatem?*

R. 1.º In Ordine nostro hanc potestatem ordinariam habent: a) Generalis in toto Ordine; b) Provincialis in sua vincia; c) Superior localis in suo conventu et districtu. Hi omnes possunt etiam proprios subditos sacerdotes, etsi non sint confessarii, delegare intra limites suae respectivae potestatis.

2.º *Extra Ordinem* delegatam habent potestatem sacerdotes confessarii ,qui eam obtinuerunt.

Ex responsione S. C. Indulg. 3 dec. 1892 patet Superiores regulares minime posse, absque rescripto S. Congregationis, *ad validitatem* transmittere diplomata sine appositione nominis Rectoris aut certi Sacerdotis, ut vulgo dicitur, *in bianco, en blanc,* aliis relinquendo onus implendi spatia, sed haec omnia per semetipsos exequi debere. Cfr. Monsano, Collectio Indulg. n. 1719.

3.º Sacerdotes autem non obtinent hanc facultatem, nisi cum illa clausula: *dummodo id fiat in locis, ubi conventus nostri Ordinis non reperiantur.*

Superiores tamen Generales Ordinis Carmelitarum concedere possunt facultatem sacerdotibus saecularibus, vel Regularibus non Carmelitis, recipiendi fideles in Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo, etiam iis in locis, in quibus adsunt conventus Carmelitarum, sive aliqua Confraternitas ejusdem B. M. V. de Monte Carmelo jam canonice erecta, ut patet ex Resp. S. C. Ind. 24 Aug. 1844. (Cfr. Decr. auth. n. 329).

Verumtamen adm. P. N. Generalis non solet concedere sacerdotibus extraneis, ut possint uti sua facultate in locis, in quibus conventum habemus, sed benigne facit potestatem Superioribus localibus, ut possint ob justas et urgentes causas, ad

hoc subdelegare sacerdotem extraneum, sed tantum ad casum singularem.

Facultas benedicendi et imponendi S. Scapulare limitatur ad loca, in quibus conventum non habemus. At de facultate commutandi nihil hujusmodi dicitur. Cum ergo illa limitatio non adjiciatur in diplomate, jam videtur dicendum habentem facultatem commutandii in quocumque loco ea uti posse.

Fieri solet ut S. Sedes, variis de causis, concedat sacerdotibus facultatem benedicendi et imponendi sacra Scapularia, sicuti alias plures facultates; iis utantur sacerdotes ad tenorem rescripti sive gratiae S. Sedis.

4.º Designatio Moderatoris et capellani eis tribuunt, durante munere, facultatem benedicendi habitum seu insignia, scapularia, etc., eaque adscribendis imponere (can. 698, § 2).

Moderator Piae Unionis alium sacerdotem subdelegare potest ad benedicendum et imponendum numisma in actu adscriptionis, quamvis in ejusdem Piae Unionis Statutis hoc expresse non declaretur S. Congr. Conc. 9 Febr. 1928. (Analecta Ord. N. II. 211).

CAPUT III

DE INDULGENTIIS ET ALIIS PRIVILEGIIS ORDINI NOSTRO CONCESSIS

Praesens caput in duos dividitur articulos, quorum primus erit de Indulgentiis: secundus, de aliis privilegiis Ordini nostro concessis.

ARTICULUS I

DE VARIIS INDULGENTIIS ORDINI NOSTRO CONCESSIS

915.—Q. *Quaenam sint praecipuae Indulgentiae Ordini nostro concessae?*

R. 1.º *Indulgentia «Toties quoties»*. Etenim per Breve, 16 Maii 1892, Leo XIII in perpetuum concessit omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui quamlibet ex ecclesiis, vel quodlibet ex publicis oratoriis sive Fratrum, sive Monialium universi Ordinis Carmelitidis, tum Calceatorum, tum Excalceatorum, die 16 Julii cujusque anni, qua festivitas Deiparae Virginis de Monte Carmelo celebratur, a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi devote visitaverint, ibique consuetas pias ad Deum preces effuderint, *quoties* id egerint *toties* indulgentiam plenariam defunctis applicabilem.

Haec vero indulgentia, ubi transfertur festum B. M. V.

de Monte Carmelo transferri quoque potest, at tantum in Dominicam immediate sequentem diem 16 Julii, juxta privilegium a Paulo V tributum ecclesiis universi Ordinis Carmelitani, et ex declaratione S. Congr. Indulg. die 31 Augusti 1892.

Ex concessione Benedicti PP. XV, die 6 Julii 1920, omnes fideles lucrari possunt indulgentiam plenariam *Toties quoties,* in festo B. M. N. a Monte Carmelo, visitando ecclesiam Tertii Ordinis sive regularis sive saecularis, si autem nec haec ecclesia in loco existat, visitando ecclesiam, in qua canonice erecta fuerit Confraternitas B. M. V. a Monte Carmelo, et Moniales cujuscumque Ordinis vel Congregationis religiosae proprium oratorium vel ecclesiam visitando.

2.º *Benedictio Papalis* «quater in anno, nempe uno ex tribus primis diebus Paschatis et Pentecostes; in die Commemorationis solemnis B. M. V. de Monte Carmelo, vel in quem solemnitas externa transferatur, ac in die Natalis Domini vel S. Stephani Protomartyris, Superiores Conventuum in respectivis propriis ecclesiis et in ecclesiis Monialium vel Tertiariorum Ordini legitime aggregatorum (can. 915, C. J. C.), per se vel per alium ab eis deputatum (1), impertire possunt Benedictionem super populum nomine Summi Pontificis cum Indulgentia Plenaria, juxta tamen normam ejusdem Canonis. (Ex Summario Indulgentiarum, Privilegiorum, Indultorum Ordinis Excalceatorum Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo» cap. II, § 4) die 8 Aprilis 1922.

Ad usum autem hujus Benedictionis Papalis, ex Decreto Clementis XIII, 30 Aug. 1763, impetranda est in scriptis permissio Ordinarii loci.

Quod autem attinet ad caeremonias in hac Benedictione servandas, vide Man. O. N., p. 222 et Beringer 2-423.

916. 3.º Die anniversario suae religiosae professionis concessit, sub consuetis conditionibus, Pius VIII, die 4 Dec. 1829, indulgentiam plenariam.

4.º A Visitatoribus post canonicam visitationem danda (indulgentia plenaria); Gregorius XV, die 12 Martii 1623.

5.º A Praesulibus in Capitulis sive Generalibus sive Provincialibus pro solis suffragantibus gremialibus concedenda. Gregor. XV. 12 Mart. 1623.

6.º In articulo mortis, si invocaverint nomen Jesu; et, si ore nequiverint, saltem corde, Indulgentiam Plenariam consequentur. Paulus V, 23 Maji 1606.

(1) Superior vero localis, juxta responsum Ven. Definitorii N. Generalis, 2 nov. 1926, non videtur posse delegare Episcopum Dioecesanum, etsi Tertiarum O. N. ad impertiendam Benedictionem Papalem (Cfr. Analecta Ord. Car. Exc. I. pag: 162)

7.º Christifideles, qui, si in gratia extiterint, Ordinem Carmelitarum et Fratres ejusdem Ordinis, Ordinem seu Fratres gloriosissimae Dei Genitricis semperque Virginis Mariae de Monte Carmelo vocaverint, nominaverint vel appellaverint, lucrantur Indulgentiam trium annorum totidemque quadragenarum. Benedictus XV, 8 Nov. 1921.

2.º Pius IX, 28 Oct. 1856, concessit Indultum, vi cujus Moniales Ord. nostri possunt lucrari omnes Indulgentias illis concessas, qui deferunt scapulare Imm. Concep. B. M. V., quin necessarium sit deferre illud scapulare, sed ad hoc ipsis sufficit deferre proprium scapulare. Idem privilegium nobis concessit Pius PP. XI, 16 Mart. 1922, his verbis: «Religiosi proprium scapulare deferentes, lucrantur indulgentias Scapularis caerulei Immaculatae Conceptionis, quin ipsum Scapulare recipere nec induere teneantur (Summarium Indulg. etc. Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo, 8 Apr., 1922).

Aliae indulgentiae Ordini nostro concessae in Manuali Ord. Tertii, pag, 168, et passim in aliis libris inveniuntur, et praecipue in dicto Summario.

917. Hic addenda apportunum duximus ea, quae spectant ad absolutionem generalem regularibus impertiendam.

Absolutionem generalem cum indulgentia plenaria recipere poterunt (religiosi et moniales Ord. N.) diebus: Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, SS. Trinitatis, Corporis Christi, Sacratissimi Cordis Jesu, Purificationis B. M. Virginis, Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis, Praesentationis et Immaculatae Conceptionis ejusdem. In festo S. Joseph, Sponsi B. M. V., die 19 Mart. In Sollemnitate ejusdem. In festo Apostolorum Petri et Pauli, S. P. N. Eliae, Prophetae, S. Matris Teresiae, S. P. Joannis a Cruce, Conf. Omnium Sanctorum (1 Nov.), Omnium Sanctorum Ordinis N. (14 Nov.) Singulis diebus per totam Majorem Hebdomadam, i. e. a dominica Palmarum inclusive ad Sabbatum sanctum inclusive.

918. In absolutione generali pro Regularibus et Monialibus cujuscumque Ordinis, adhibeatur omnino formula a Leone XIII praescripta, quae incipit his verbis: *Ne reminiscaris, Domine*; abrogatis penitus et suppressis quibuscumque aliis formulis hucusque usitatis.

Pro Tertiariis conceditur formula abbreviata in actu confessionis adhibenda, prout supra n. 895 dictum est; sed quoad absolutionem pro Regularibus nulla formula abbreviata datur.

ARTICULUS II

DE ALIIS PRIVILEGIIS ORDINI NOSTRO CONCESSIS

919.—Q. *Quaenam sint praecipua privilegia Ordini nostro concessa?*

R. 1.º Clemens XII, die 9 Octobris 1738, concessit altare privilegiatum perpetuum in omnibus Ecclesiis Carmelitarum utriusque sexus, tam Calceatorum, quam Discalceatorum per Ordinarium respective locorum semel tantum designandum (Cfr. Bull. O. N. 4-278). Sed nunc vi can. 916: «Superiores majores religionis clericalis exemptae, possunt designare et declarare unum altare privilegiatum quotidianum perpetuum in suis ecclesiis».

2.º *Missa votiva B. M. V.* quoque Sabbato canenda: est Missa valde privilegiata *ex immemorabili consuetudine* nobis acquisita, (fr. Ord. N. n. 670) et a S. R. Congr. die 12 Nov. 1913, concessa est, cum proprio Formulari «Gaudens gaudebo» per totum annum cum Gloria (extra Sabb. sine Gloria) sine Credo et cum tribus tantum orationibus, nempe II de S. Joseph, et III de Spiritu Sancto, omissa commemoratione officii ocurrentis, si una saltem Missa de eodem officio in ecclesia celebretur, omissa collecta et cum praefatione propria. (Analecta Carm. Exc. I. pag. 260).

3.º Antiphona *Salve Regina* ante ultimum Evangelium in Missa singulis diebus dicenda. Die 1 Jan. 1854, Pius IX dignatus est ad alumnos nostrae Congregationis extendere Indultum ab anno 1766, 29 Nov. a Clemente XII concessum Congregationi Hispanicae, nimirum in fine Missae addendi ante ultimum Evangelium Antiphonam *Salve Regina* cum sua Oratione. Quod autem spectat ad Rubricam servandam, vide Ord. N. n. 463.

4.º Quoad Missas Ternarii cantandas. Ex Indulto S. R. C. 5 Jul. 1855, cantari possunt Missae Ternarii cum tribus orationibus in Missali Ordinis nostri assignatis et sequentia: *Die irae,* omnibus diebus, exceptis festis duplicibus 1 et 2 cl., festis de praecepto servandis, feriis, vigiliis octavisque privilegiatis.

5.º Quoad privilegia circa officium divinum, vide n. 309.

6.º Die 15 Jun. 1841, a Gregorio XVI, et die 8 Nov. 1921 a Benedicto XV, et die 16 Martii 1922 a Pio XI, in perpetuum concessum fuit sequens privilegium:

«Religiosi, qui Schalam, intra claustra respectivi Monasterii sitam, orationi tantum destinatam, quater in anno flexis genibus pie ascenderint, qua vice id egerint, Indulgentiam plenariam consequi possunt: partialem autem novem annorum pro singulis gradibus. Ex Summario Indulgentiarum, etc. Ordinis Excalc. B. V. M. de Monte Carmelo, §. 4 *Privilegia* n. 3, diei 8 Aprilis 1922.

Hoc privilegio fruuntur etiam moniales Ordinis Nostri.

PARS SEXTA

DE POENIS ET PROCESSU CRIMINALI

Haec pars quartuor complectitur capita, quorum primum erit de poenis jure communi statutis; secundum, de poenis in Ordine nostro statutis; tertium, de processu criminali apud Regulares; quartum, de modo procedendi extrajudicialiter ex informata conscientia.

CAPUT I

DE POENIS JURE COMMUNI STATUTIS

Praesens caput in quatuor dividitur articulos, quorum primus erit de poenis in genere; secundus ,de excommunicationibus; tertius, de suspensionibus; quartus, de poenis privativis.

ARTICULUS I

DE POENIS IN GENERE

920.—Q. ***Quid sit poena?***

R. Poena, *latiore sensu,* id omne dicitur, quod hominem labore ac molestia afficit, eumque certis bonis privat.

Strictiore autem sensu: «Poena ecclesiastica est privatio alicujus boni ad delinquentis correctionem, et delicti punitionem a legitima auctoritate inflicta (can. 2215). Unde duplex est praecipue finis poenae ecclesiasticae, nempe: correctio delinquentis et ordo socialis conservandus, quare in poenis vindicativis poena infligitur, etiamsi delinquens non corrigatur; nam tum ipse delinquens tum alii deterrentur a delictis committendis per comminationem vel applicationem poenarum.

921.—Q. ***Quotuplex sit poena?***

R. Est multiplex, videlicet: 1.º *Ratione finis proximi*: alia est *medicinalis,* ut censura; alia est *vindicativa,* ut degradatio et depositio, quae praeprimis intendunt reparationem ordinis socialis laesi; inter poenas enumerari possunt etiam *remedia poenalia* et *poenitentiae,* quae potius ordine disciplinari quam judiciali infliguntur.

2.º Aliae sunt *determinatae,* prout in ipsa lege vel in prae-

cepto taxative statutae sunt, aliae *indeterminatae,* prout prudenti judicis arbitrio aut superioris relinquuntur.

3.º *Ratione modi, quo infigitur*: alia est *a jure*; alia vero *ab homine* Poenae *a jure* sunt illae, que a legislatore per legem aut edictum perpetuum irrogantur in omnes legis transgressores.

Poenae autem *ab homine* sunt illae, quae a Superiore, per modum praecepti particularis vel per sententiam condemnatoriam infliguntur.

4.º *Ratione modi quo incurritur*: alia est *latae sententiae*; alia vero *ferendae sententiae,* prout ab ipsa lege *ipso facto,* vel a judice aut Superiore infligantur. Poena intelligitur semper ferendae sententiae, nisi expresse dicatur, eam esse latae sententiae, vel ipso facto, vel ipso jure contrahi vel alia similia verba adhibeantur. Si igitur lex statuit poenam ferendae sententiae, talis poena *ante* sententiam condemnatoriam est a jure tantum; post vero sententiam latam est quidem poena tum a jure tum ab homine, sed consideratur tanquam ab homine. (can. 2217).

Advertendum est enim discrimen, quod intercedit inter poenam latae sententiae, quae nullam exteriorem executionem requirit, quaeque, commisso crimine, statim in conscientia contrahitur; et poenam, quae *externam postulat executionem,* qualis est privatio beneficii vel officii. Haec sententiam declaratoriam criminis requirit: siquidem conditioni ac fragilitati humanae consentaneum non est, ut quis, absque sententia *se ipsum prodere ac spoliare debeat.* Igitur, cum in foro externo ecclesiastico requiratur generatim officium judicis, requiruntur quoque probationes factae vel rei confessio; sententia vero declaratoria poenam ad momentum commissi delicti retrotrahit. (can. 2232 § 2).

Poena *ferendae sententiae* non contrahitur statim ac delicto commisso, sed accedente tantum sententia judicis *condemnatoria.*

5.º *Ratione objecti*: *alia est spiritualis*: alia vero *temporalis.* Poena *spiritualis* est illa, quae privat participatione Sacrorum, ut sacramentis, officiis divinis, suffragiis Ecclesiae. Poena autem *temporalis* est, quae privat aliquo bono temporali, ut mulcta pecuniaria, etc.

922.—Q. *An Regulares ante Judicis sententiam teneantur subire poenam?*

R. Si poena sit moderata et nullum periculum gravis infamae inde procedat, et id a Regula praescribatur, Regulares possunt ad id obligari. Si vero neque Regula ,neque legitima statuta praescribant, ut poenae ante quamcumque declarationem in conscientia subeantur, probabilius est, quod ad eam incurrendam requiratur sententia, saltem criminis declaratoria: ita enim habet usus Religionum, et id sufficit ad rectam gubernationem, quae ita suavior evadit.

ARTICULUS II

DE EXCOMMUNICATIONIBUS, QUAE SPECIALITER SPECTANT AD REGULARES

923.—Q. *Quaenam excommunicationes in novo Codice Juris Canonici specialiter spectent ad regulares?*

R. Sequentes: Plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata:

1.º Clausuram monialium violantes, cujuscumque generis aut conditionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes, quod si clerici sint, praeterea suspendantur per tempus pro gravitate culpae ab Ordinario definiendum».

2.º Mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliique, quicumque ii sint, eas cujuscumque aetatis introducentes vel admittentes; et praeterea religiosi introducentes vel admittentes priventur officio, si quod habeant, et voce activa ac passiva. «Admittentes autem censendi sunt Superiores aliive ad quos specialiter pertinet clausurae custodia».

Introducere dicuntur, qui ingredi volenti januam aperiunt. Cfr. n. 348.

3.º «Moniales e clausura illegitime exeuntes contra praescriptum can. 601» (can. 2342).

4.º «Regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes, incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam». «Quod si sint professi votorum simplicium perpetuorum tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis, omnes, ut supra, excommunicatio tenet latae sententiae Ordinario reservata» (can. 2388, § 1 et 2), et ad normam can. 985, n. 3 sunt irregulares ex delicto.

Cum in § 1 can. 2388 dicatur, *praesumentes*, excusat quaelibet ignorantia etiam affectata.

Praeterea in Constitutionibus nostris, n. 328, «si aliquis religiosus noctu absque Praelati licentia Eremi clausuram egrediatur, ipso facto poenam, excommunicationis incurrit».

ARTICULUS III

DE SUSPENSIONIBUS, QUAE AD REGULARES SPECIALITER SPECTANT

924.—Q. *Quaenam sint hujusmodi suspensiones?*

Hae quae sequuntur, videlicet:

1.º Religiosus clericus cujus professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata... si in majoribus Ordinibus sit constitutus, ipso facto suspensus manet, donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit (can. 2387). Professio hic late intelligitur, etiam de professione improprie dicta quae habetur in societatibus virorum in communi viventium sine votis, sicut et religiosus, etiam sensu improprio, scilicet sodalis societatis clericalis sine votis, ut patet ex declarationes Commissionis Pontif. 2-3 Junii 1918 (A. A. S. X. 347).

2.º Ipso facto suspensus manet, donec a Sancta Sede absolutionem obtinuerit, qui fuit e religione dimissus ob delicta minora iis de quibus in can. 670 (can. 671, n. 1.º) Haec poena suspensionis lata est in religiosos dimissos, qui vota *perpetua* nuncuparunt.

3.º «Religiosus fugitivus, si sit in sacris, ipso facto incurrit in suspensionem proprio Superiori majori reservatam» (can. 2386)

4.º «Superiores religiosi qui contra praescriptum can. 965-967, subditos suos ad Episcopum alienum ordinandos remittere praesumpserint, ipso facto suspensi sunt per mensem a Missae celebratione» (can. 2410).

925.—Q. *Quando censura in jure statuitur contra Clericos, an Regulares afficere censeatur?*

R. Negative, nam clerici in stricto sensu vocantur illi, qui prima tonsura hierarchiae ecclesiasticae sunt adscripti. Ceterum omnes fatentur religiosos comprehendi in suspensione contra personas ecclesiasticas, quia hae non tantum significant clericum, sed etiam personas religiosas utriusque sexus.

ARTICULUS IV

DE POENIS PRIVATIVIS, QUAE AD REGULARES SPECIALITER SPECTANT

926.—Q. *Quaenam sint hujusmodi poenae?*

R. Illae poenae sunt, privatio vocis, privatio vocis activae et passivae, privatio officiorum et dignitatum, et inhabilitas ad illa in posterum obtinenda, necnon privatio praecedentiae.

927.—Q. *Quid importet privatio vocis?*

R. Controvertitur: alii enim censent privationem vocis extendi ad privationem vocis *activae* et *passivae* simul; alii vero communius illam ad privationem vocis *activae* tantum restringunt, nisi aliter exprimatur. Apud nos in priori sensu intelligitur, ut patet ex Constitutionibus nostris n. 663.

928.—Q. *Quousque se extendat privatio vocis activae et pasivae?*

R. Controvertitur: alii enim eam privationem ad omnes actus, qui per suffragia expediuntur, extendunt; alii vero ad electiones proprie dictas illam restingunt.

929.—Q. *Quid importet privationem officiorum et dignitatum?*

Praenotandum. Triplex est genus officiorum, nempe: 1.º alia sunt dignitates, seu officia, quae nempe administrationem includunt cum jurisdictione, uti Prioratus; 2.º alia vero sunt personatus, quae scilicet praeeminentiam, seu praecedentiam important sine jurisdictione, uti Definitoriatus; 3.º alia tandem sunt, quae specialius et magis proprie dicuntur officia, ea nimirum, quae administrationem important, sine praeeminentia et jurisdictione.

R. Controvertitur: alii enim hanc privationem extendunt ad praedictum triplex genus officiorum; alii vero illam ad duo priora restringunt: alii tandem dumtaxat ad tertium officiorum genus restringunt, et hi quidem rectius; nam, cum in odiosis versemur, verba legis stricte sunt interpretanda.

Si tamen lex poenam statuens expresse memoret dignitates, tunc non tantum tertium officiorum genus, sed et primum comprehendit.

930.—Q. *In quo consistat inhabilitatis poena ad officia seu dignitatis?*

R. Duplex datur inhabilitas: una nempe, quae non est poena, sed simplex carentia conditionum requisitarum, ut quis ad officium assumatur; alia vero est poena, de qua hic agitur, et quae incurritur propter transgressionem alicujus legis.

In eo autem consistit illa poena, quod vi illius non possit quis eligi, neque licite, neque valide, ad officia vel dignitates.

931.—Q. *Quid importet privatio praecedentiae?*

R. Haec poena Religiosus jure praecedentiae privatur. Jus autem praecedentiae est quoddam jus honorificum ex justo titulo acquisitum, vi cujus Religiosus alios praecedit in loco, sessione, et functionibus, sive publicis, sive privatis.

Hoc autem jus inter Regulares ejusdem Ordinis, seclusis

dignitatibus et officiis, quibus ejusmodi praecedentia adnectitur, desumendum est, non a die sumpti habitus, sed a die professionis. Addunt auctores S. Congregationem Ep. et R., die 23 Nov. 1592 et 14 Jun. 1595, ita statuisse, non obstante quolibet praetextu, vel contraria consuetudine. (Cfr. Ferr. v. Praecedentia, n. 34).

«Privatus vero loco ,postremus inter omnes sui gradus, puta sacerdos inter sacerdotes ,sedebit, nisi Constitutio aliud expresserit» (Const. n. 663).

Anterioritas vero Religiosorum, qui saecularizationis Indultum consecuti sunt, a die novae professionis computanda est ad normam can. 640, § 2.

932. In quibusnam autem casibus poena privationis vocis activae et passivae, officiorum et dignitatum, necnon inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda incurratur, passim in decursu praesentis tractatus exponitur, et praesertim n. 576.

933.—Q. *An poenae privativae in praesenti articulo relatae incurrantur ante sententiam judicis?*

R. 1.º Hae poenae, si sint *ferendae sententiae,* non incurruntur, nisi post sententiam condemnatoriam. 2.º Quoad poenas autem *latae sententiae,* seu *ipso facto* incurrendas, distinguendum est inter poenas mere privativas, et illas, quae actionem rei requirunt ad sui executionem. Quoad priores, communiter docent auctores poenam incurri ante quamlibet judicis sententiam, nisi reus jure quaesito privetur, vel eam subire non posset sine infamia.

Quoad posteriores, ante sententiam declaratoriam a poena observanda delinquens excusatur quoties eam servare sine infamia nequit, et in foro externo ab eo ejusdem poenae observantiam exigere nemo potest, nisi delictum sit notorium, firmo praescripto can. 2223, § 4» (can. 2232, § 1).

Hinc ad incurrendas inhabilitates a lege statutas requiritur judicis sententia, saltem declaratoria: nam executio ejusmodi poenae semper vel fere semper, infamiam inhabilitato gigneret; ac insuper haec poena est valde acerba, et ita per epikeiam excipienda videtur a regula poenarum privativarum; et cum in jure valde multiplicata sit, si ante hanc sententiam obligaret in conscientia, stante humana fragilitate, hominibus praeberetur magna peccandi occasio.

934.—Q. *Ad quemnam spectet illam sententiam declaratoriam ferre?*

R. Id spectat ad Superiores Regulares, nisi illa sententia declaratoria a legislatore fuerit sibi reservata. Ratio est, quia casus remissus remanet in dispositione juris communis. Porro

jure communi Regulares suis Superioribus subduntur, etiam quoad poenas. Quod jus tribuitur, juxta plures auctores, etiam Superioribus localibus, siquidem et ipsi sunt judices ordinarii, saltem ubi non agitur de gravioribus aut gravissimis delictis.

935.—Q. *Quomodo procedendum sit in his poenis ferendis?*

R. Cum hae poenae sint valde graves, ad illas applicandas non proceditur, nisi sint *legitime probatae.* Necesse ergo est, quod probationes sint graves, solidae, facientes vim homini prudenti; nec ullus habendus est tanquam *probatus legitime* reus, deficiente examine testium, eodemque inaudito, nec dato illi tempore ad se defendendum. (Cfr. Instr. de Cap. p. 64), et ex can. 2233 statuente: «Nulla poena infligi potest, nisi certo constet delictum commissum fuisse et non esse legitime praescriptum».

936.—Q. *An istae poenae suspendantur per appellationem legitime interpositam?*

R. Affirmative, juxta regulam generalem, quod appellatio effectum suspendat sententiae, nisi tamen statuatur, quod reus, prolata sententia, has poenas subire debet, etiam pro casu, quo recursum habeat ad Superiores majores.

«Omnis appellatio est in suspensivo, nisi aliud in jure expresse caveatur...» (can. 1889, § 2).

937.—Q. *Quisnam sit effectus sententiae declaratoriae?*

R. 1.º Actus ante ejusmodi sententiam declaratoriam positi certe sunt validi, et manent validi, etiamsi postea superveniat talis sententia.

2.º Si vero actus positi sint post sententiam declaratoriam certe invalidi sunt, cum ipso facto reus spolietur facultate illos ponendi. (Cfr. Piat. II-626, 2.ª edit.) Cfr. can. 2264.

938.—Q. *An culpa mortalis requiratur ad incurrendas has poenas?*

R. Distinguendum est, utrum latae sint a S. Pontifice, seu a S. Congregatione, an vero a Constitutionibus cujuslibet Ordinis. Si prius, cum istae poenae sint graves, et poena, ut sit justa, culpam excedere non debeat, sequitur illas infligi non posse, nisi supposita culpa mortali.

Si autem posterius, cum Constitutiones generatim sub peccato non obligent, patet ad incurrendas poenas in iis contentas non requiri culpam mortalem.

939.—Q. *Quinam dispensare possint cum Regularibus super istis poenis?*

R. Ad normam can. 2236, § 1, dispensare tantum potest is qui poenam tulit, ejus competens Superior aut successor vel is cui haec potestas commissa est.

Praeterea ex praescripto can. 2289: «Poena vindicativa finitur ejus expiatione vel dispensatione ab eo concessa qui legitimam habeat dispensandi potestatem ad normam can. 2236, § 1»: ut supra.

«In casibus occultis urgentioribus, si ex observatione poenae vindicativae latae sententiae, reus seipsum proderet cum infamia et scandalo, quilibet confessarius potest in foro sacramentali obligationem servandae poenae suspendere, injuncto onere recurrendi saltem intra mensem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum facultate praeditum et standi ejus mandatis» (can. 2290, § 1).

«Et si in aliquo casu extraordinario hic recursus sit impossibilis, tunc ipsemet confessarius potest dispensationem concedere ad normam can. 2254, § 3» (ibid. § 2).

Si latae sint illae poenae a jure speciali Ordinis, in iis dispensare potest Superior Ordinis, nisi pars laesa punitionem exigat. (Cfr. Piat. II-627. 2.ª edit.)

CAPUT II

DE POENIS A JURE IN ORDINE NOSTRO STATUTIS

Hoc caput in sex dividitur articulos, quorum primus erit de poenis in genere; secundus de poenis levi et media, tertius de poena gravi; quartus de poena graviore; quintus de poena gravissima seu de dimissione ab Ordine, sextus de poena privationis officii.

ARTICULUS I

DE POENIS IN GENERE

940.—Q. *Quaenam notanda sint quoad poenas a jure in Ordine nostro statutas?*

R. 1.º «Quamquam Fratres nostros amore potius virtutis quam poenae metu moderari cupimus, Superiorum tamen jus est et officium coercendi delinquentes salutaribus poenis. Prae oculis autem habeatur Sacrorum Canonum monitum, ex Concilii Tridentini Actis depromptum: «Meminerint Episcopi aliique Ordinarii se pastores non percussores esse, atque ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tamquam

filios et fratres diligant, elaborentque, ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur; quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas; sin autem ob delicti gravitatem virga opus erit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina, populis salutaris ac necessaria, conservetur, et qui correcti fuerint, emendentur aut, si resipiscere noluerint, ceteri, salubri in eos animadversionis exemplo, a vitiis deterreantur». (Constit. N., n. 659).

21.º «Quia vero in poenis decernendis aequa proportio cum delicto servari debet, statuimus plures poenarum species, quae pro qualitate culpae distinguuntur in leves, medias, graves, graviores et gravissimam; quibus accedunt aliae poenae canonicae» (n. 660).

941. «Poenae in legibus taxatae ordinarie infligendae sunt; sed conscientiae et prudentiae Superioris, qua patris vel qua judicis, relinquitur aliquando poenae applicationem ad tempus magis opportunum differre, vel a poena infligenda abstinere, eam quoque licet determinatam temperare vel loco ipsius aliam adhibere; quae omnia secundum normas Sacrorum Canonum et nostrarum Constitutionum fiant» (n. 661).

«Si qua poena, usque ad gravem inclusive, imposita fuerit, non retardetur ejusdem executio, quamvis illi quibus imponitur recursum fecerint ad Superiores Majores, et si subditus in contumacia perseveraverit, nolens poenam impositam subire, augeatur poena pro qualitate contumaciae vel contemptus aliarumque circumstantiarum. Insuper poena reum ubique terrarum tenet, etiam resoluto jure Superioris, nisi aliud expresse caveatur, aut ejus successor aliter provideat» (n. 662).

«Quoties quis in Constitutionibus voce privatus asseritur, sensus est, eum voce tam activa quam passiva privari, ut nec eligere nec elegi possit. Privatus vero loco, postremus inter omnes sui gradus, puta sacerdos inter sacerdotes, sedebit, nisi Constitutio aliud expresserit» (n. 663).

ARTICULUS II

DE POENIS LEVI ET MEDIA

942.—Q. *Quaenam sit poena levis?*

R. «Poena levis est Psalmum vel orationem aliquam, Superioris nutu impositam, recitare; Fratrum osculari pedes; brachiis extensis crucis figuram repraesentare; genibus flexis ad januam refectorii, cum Fratres ingrediuntur aut egrediuntur, eorum preces postulare» (n. 664).

943.—Q. *Quibusnam haec poena imponatur?*

R. Hujusmodi poena imponetur ei qui in chori officio errorem admmiserit, si se non postraverit terramque fuerit osculatus; ei qui ad communes actus diligenter non accesserit, vel injuncta ei e communi tabula officia negligenter praestiterit; ei qui ex professo cum alio Religioso sine venia verba fecerit, vel in locis prohibitis per diem silentium non observaverit; ei qui sine venia biberit; ac denique cuivis, qui alia his similia commiserit, seu Constitutionem quamcumque non observaverit» (n. 665).

944.—Q. *Quaenam sit poena media?*

R. «Poena media est in refectorio aliquam ex mortificationibus extraordinariis exercere; crucem mortuive caput, exuto capucio et parvo scapulari super habitu indutum, in refectorium deferre; eleemosynam in refectorio mendicare et, humi sedendo, iis quae a Fratribus dantur tantummodo vesci; vino aut aliquo e communibus cibis relicto, humi genuflexum prandere» (n. 666).

945.—Q. *Quibusnam haec poena imponatur?*

R. «Haec poena imponetur e choro vel quovis communi Fratrum coetu exeunti sine Praesidentis venia; ad chorum vel alium communem actum non eunti absque Superioris permissu; cum saecularibus ex proffesso vel de rebus inanibus loquenti; interdiu in cellam alterius sine venia ingredienti; jejunia Constitutionum non observanti; denique illi qui ea, quae secundum Constitutiones poena media plectuntur, aut eis similia commiserit» (n. 667).

ARTICULUS III

DE POENA GRAVI

946.—Q. *Quaenam sit poena gravis?*

R. Poena gravis est integrum in pane et aqua unicus diei jejunium; per nonnullos dies humilibus actibus, quibus sensus repugnat, exerceri; Psalmos poenitentiae, dum Fratres prandent,

genibus flexis, exuto capucio, recitare; per dies duos loco antiquitateque privatum, postremum in omnibus locis sedere; poenam mediam bis substinere» (n. 668).

947.—Q. *Quibusnam haec poena imponatur?*

R. Poena haec imponetur Regulae jejunium non observanti; cellam alterius noctu vel Superioris absentis quovis tempore sine venia ingredienti; rem quampiam a cella quavis injussu Praelati accipienti; litteras danti vel accipienti sine Superioris venia; cujusvis Fratris litteras aperienti vel retardanti; de Superioris licentia in oppidum eunti ibique sine illius concessu pernoctanti, cui, si quam aliam culpam commiserit, pro culpae modo poena imponetur; ei qui sine debita nomini divino veneratione juraverit, obedientiam Superiori praestare expresse renuerit, aut contra ejusdem personam vel mandata publice arroganter se gesserit, Communitati scandalo fuerit, vel culpas, juxta Constitutiones hac poena puniendas, vel alias similes commiserit» (n. 669).

948.—Q. *Cuinam competat poenam levem, mediam vel gravem imponere?*

R. «Universas praecedentium capituin poenas poterit Superior localis in Capitulo vel extra illud ordinarie imponere; et cum ejusmodi culpae commissae fuerint, quibus poenae praedictae sunt assignatae, probato facto et audito reo poenam infliget, nisi malit ipse illam pro eo subire, aut nisi credat alio prudentiori modo illum fore corrigendum; tunc enim eam poterit mutare vel lenire; at caveat, ne forte clementia laxitati viam faciat. Ad leniendam ergo poenam gravem Discretum primum consulet» (n. 670).

«Si quis vero culpam gravem admiserit, cui per Constitutiones poena non decernatur, Prior seu Vicarius, de consilio duorum Discretorum vel Consiliariorum, qui sunt electione antiquiores, remedium provideat. Quoad culpas etiam per Constitutiones Praeposito, Provinciali, vel Definitorio Generali aut Provinciali reservatas, si subitaneum remedium requirant, illud Prior, Vicarius aut Praesidens de praedictorum Discretorum vel Consiliariorum consilio adhibeat; sed in utroque eventu statim Superiores, ad quos punitio pertinet, certiores faciat» (n. 671).

ARTICULUS IV

DE POENA GRAVIORE

949.—Q. *Quaenam sit poena gravior?*

R. «Poena gravior est per aliquot dies exercitiis spiritualibus vacare; vel in refectorium ingredi, humique sedendo pane dumtaxat et aqua refici, datoque signo in cellam reverti, atque

a verbis cum Fratribus abstinere; et praeterea ejus poenae tempore voce carere, nulloque interea officio fungi» (n. 672).

«Est etiam poena gravior voce ac loco ultra quindecim dies, citra annum tamen, privari, et per singulas hebdomadas ejus poenae mortificationem unam extraordinariam subire, et feriis sextis pane tantum et vino uti» (n. 673).

«Poena denique gravior est, ut reus ultra quindecim dies, sed citra annum, habitum more Novitiorum distinctum gerat, et postremos in choro ac refectorio sedeat; et in Capitulo cum Donatis aut Novitiis, si ibi fuerint, se prosternens, de culpis se accuset» (n. 674).

950. — Q. *Quibusnam haec poena inferatur?*

R. Haec poena inferetur ei qui in Ordine praecepto formali, sibi vel omnibus imposito, non obedierit; ei qui post emissam professionem sollemnem divinum officium non persolverit, de quo fuerit convictus; ei qui verbo aut opere proximum absentem vel praesentem graviter in fama vel corpore laeserit; ei qui aliquod ex votis externe violaverit, postquam fuerit convictus aut confessus; ei qui Superiorum officium usurpaverit; ei qui Praepositi aut Definitorum Generalium aut Procuratoris Generalis aut Provincialium aut proprii Superioris localis litteras, ab eis vel ad eos datas, voluntarie aperuerit vel retardaverit; ei qui Communitatis alicujus vel cujuspiam officio fungentis sigillum adulteraverit aut finxerit; ei denique qui quaevis alia his similia commiserit» (n. 675).

951. — Q. *Quibusnam competat has poenas imponere?*

R. «Poenas omnes has Praepositus Generalis in toto Ordine, et Superior Provincialis in sua Provincia inferre poterit; sed tam erga eas quam reliquas praedictas ac subjiciendas, modus et circumstantiae, quibus afficiuntur, ponderentur. Nam iis omnibus prudenter collatis, minui aut augeri pro rerum ratione valebunt. Verum de levi aliquoties correptis non resipiscentibus, levis in mediam, et eadem proportione media in gravem, gravis in graviorem, gravior in gravissimam mutetur» (n. 677). Quibusnam, a Constitutionibus nostris, infligatur poena privationis vocis activae et passivae dictum est n. 578.

«Ad poenam gravem aut graviorem imponendam necesse est, ut aut delictum sit notorium aut de eodem certo constet ex rei confessione extrajudiciali vel ex aliis sufficientibus probationibus, quas praevia inquisitio suppeditaverit. In inquisitione vero peragenda serventur, congrua congruis referendo, Codicis praescripta circa inquisitionem judicialem (can. 1939-1946) (n. 677)

ARTICULUS V

DE POENA GRAVISSIMA SEU DE DIMISSIONE AB ORDINE

952. —Q. *Quaenam sit poena gravissima?*

R. «Poena gravissima est dimissio ab Ordine, postquam, remediis ad normam Sacrorum Canonum prius adhibitis, Religiosus censetur se non emendasse. Haec poena a Praeposito Generali cum suo Definitorio decernatur. Si autem agatur de sollemniter professo, fieri debet juxta praedictos canones totius rei processus, quem Judices et Actuarius subscribent; pro locis tamen dissitis poterit Praepositus cum consensu Definitorii facultatem dimittendi demandare tribus saltem probis ac prudentibus Religiosis. Si sententia a Sacra Congregatione, ad quam cum omnibus actibus processus transmittendus est, confirmetur, litterae dimissionis, quibus fides ubique habeatur, expulso dabuntur, scripto processu vigilanter asservato. Quae omnia sine saecularium commercio fiant, nisi res id ferre nequeat» (n. 678).

«Ipso facto habendi sunt tamquam legitime dimissi Religiosi, qui aliquod delictum commiserint ex enumeratis in can. 646 Codicis juris canonici. In his casibus sufficit ut Superior Major cum suo Consilio emittat declarationem facti; curet autem probationes facti collectas in sui archivi regestis asservare» (n. 679)

953.—Q. *Quibusnam haec poena inferatur?*

R. «Poena gravissima obstinatis seu incorregibilibus inferetur, cujusmodi sunt ii quos inferius recensemus. Primum incorregibilis obstinatusque putabitur, qui legitime ob culpam mortalem ad graviorem poenam condemnatus, eam ferre ita detrectat, ut tandem poenae subjici nolit; qui statim voce, si ea gaudeat, sin autem loco privetur, per tempus a Definitorio Provinciali praescribendum, adhibitis piis consiliis et exhortationibus, item jejuniis in pane et aqua et aliis ejusmodi remediis; quae si post primam et secundam monitionem cum comminatione dimissionis non prosint, denique dimittatur» (n. 680).

«Si quis (quod Deus avertat) graviter et externe contra aliquod professionis suae votum deliquerit cum scandalo saecularium, vel etiam Fratrum tantum, voce, si ea gaudeat, per annum, vel etiam ad longius tempus, privetur; quo perdurante, semel per singulas hebdomadas in pane et aqua jejunet; quodsi non se emendaverit procedatur ad illius dimissionem, servatis de jure servandis» (n. 681).

«Apostata a Religione ipso jure incurrit excommunicationem Praeposito Generali reservatam, ab actibus legitimis ecclesiasticis est exclusus, privilegiis omnibus Religionis et officio, si quod habeat, privatur, et si redierit, perpetuo caret voce activa et passiva, itemque, pro majore vel minore tempore apostasiae et

scandalo dato, in pane et aqua bis in hebdomada jejunet tempore a Superiore Majore cum suo Consilio determinando. Praeterea Ordinis antiquitatem amittat, quae in posterum a die reditus ei computetur, et primo canonice moneatur. Donatus vero loco perpetuo careat» (n. 682).

«Qui semel et iterum apostataverit, praeter poenas superius expressas, ut Novitius recipiatur, nec ullo antiquitatis jure gaudebit, sed post annum a receptione ultima lapsum, ejus antiquitas incipiet computari; praeterea secunda monitio canonica ei detur. Quod si tertia vice apostataverit, vel etiam si prima vel secunda, factis monitionibus canonicis, non redierit, tamquam incorrigibilis dimittatur» (n. 683).

«Fugitivus ipso facto incurrit in privationem officii, si quod habeat, et in suspensionem Superiori Majori reservatam, si sit in sacris; cum redierit, loco careat per integrum annum a die reditus computandum, et semel in hebdomada jejunet tempore a Superiore Majore determinando. Si fugam iteraverit, praeter poenas superius expressas antiquitatem Ordinis amittat, quae in posterum a die reditus computatur; quod si tertia vice fugerit, factis monitionibus canonicis, ut dictum est pro apostatis, tamquam incorrigibilis dimittatur» (n. 684).

«Si quis ad Superiorem quempiam externum ab Ordinis sententiis, decretis, correctione, praeterquam ad praescripta Sacrorum Canonum, appellare praesumpserit, ipso facto a legitimis omnibus Ordinis nostri actibus sit exclussus, officio, si quod habeat, privatus, et voce in quavis electione careat. Praelati autem, qui poenam hanc non imponunt, et qui appellantes defendunt aut juvant, ab officiis deponantur. Qui iterum et tertio appellaverint, factis monitionibus canonicis, ut supra, dimittantur» (n. 685).

«Cum non tantum praedicta delicta, sed quaelibet delicta externa gravia sive contra jus commune sive contra jus nostrum sufficiant, ut aliquis ab Ordini dimittatur, eodem modo ac debita proportione, ut in numeris praecedentibus statuitur, procedatur contra eos qui illa jura violaverint, quando dimissio necessaria censetur» (n. 686).

«In casu gravis scandali exterioris vel gravissimi nocumenti Communitati imminentis, etiam primo tantum delicto commisso, statim Superior Major, vel, si periculum sit in mora et tempus non adsit ad eum recurrendi, Superior localis cum consensu Capituli Religiosum ad saeculum remittat, habitu illico deposito, et processus, si nondum fuit institutus, statim instituatur» (n. 687).

954. – Q. *Quibusnam competat has poenas imponere?*

R. «Poenas superius in hoc Capite expressas, Prior, Vicarius vel Praesidens executioni mandare incipiet, et statim Superiorem Majorem monebit» (n. 688).

«Si Ordo noster in casibus a jure communi expressis expulsos recipere cogatur, ita eos recipiat, ut Fratres Clerici voce et loco perpetuo careant, et aliis subjiciantur, quae disponantur a Definitorio Generali. Cum Donatis autem eodem modo agatur respective» (n. 689).

«Ad dimissionem professorum a votis temporariis, causae, etsi eas judicio formali comprobari non sit necesse, tamen graves esse et certo Definitorio Generali innotescere debent, et possunt se habere sive ex parte Ordinis sive ex parte Religiosi. Defectus spiritus religiosi, qui aliis scandalo sit, est sufficiens dimissionis causa, si repetita monitio una cum salutari poenitentia incassum cesserit. Causae semper Religioso manifestari debent, data eidem plena respondendi licentia; ejusque responsiones Definitorio Generali fideliter subjiciantur. Contra dimissionis decretum est religioso facultas recurrendi ad Sedem Apostolicam; pendente recursu, si interpositus fuerit intra decendium a decreti intimatione, dimissio nullum habet juridicum effectum» (n. 690).

ARTICULUS VI

DE POENA PRIVATIONIS OFFICII

955. — Q. *Quibusnam poena privationis officii infligatur?*

R. «Praelatus quicumque nostri Ordinis, si quam dignitatem intra vel extra Ordinem contra votum ambierit, officio privetur. Privetur etiam officio quicumque Superior, qui delictum contra aliquod ex votis suae religiosae professionis palam commiserit; qui in negotiis, praesertim saecularibus, ita se implicuerit, ut nequeat officio suo satisfacere, et ea de re ter monitus non resipuerit; qui in iis quae ex officio prestanda sunt desidiose admodum, magno cum fratrum aut observantiae religiosae detrimento, processerit. Si vero ob aegritudinem aut aliud quodvis impedimentum officio suo inutilis evaserit, ab eo amoveatur; pariterque amovendus est ab officio, qui de aliquo delicto contra vota sua religiosa sit vehementer suspectus» (n. 691).

«Praeter ea quae dicta sunt, officio privetur Superior quicumque nostri Ordinis, si alicui e nostris Fratribus dignitatem quampiam intra vel extra Ordinem violenter, puta minis, promissis, precibus importunis, dolo, fraude, aut alio modo simili obtinere per se vel per alium curaverit. Alii vero Religiosi poena privationis vocis ac loci, arbitrio Definitorii Generalis, puniantur» (n. 692).

«Officio priventur Praepositus Generalis et Superior Provincialis, si ob ea, quae officii proprii sunt, pecuniam vel quid pretiosum simoniace acceperint; si per se ipsos quater illa, quae per Constitutiones Definitorio Generali vel Provinciali respec-

tive reservantur, expedierint; et sic definita irrita erunt. Eadem poena privationis officii infligatur cuicumque Superiori, si absque consensu sui Capituli aut Consilii ea, quae eisdem reservantur, ter scienter expedierit» (n. 693).

«Definitor et Procurator Generalis, ob culpas superius expressas et ob Praepositi officium usurpatum, suo officio priventur; si vero litteras, Praeposito ac toti simul Definitorio scriptas, semel et iterum aperuerint, poena graviore multenctur; tertia autem vice officio priventur; quod aeque de Praeposito Generali sancimus. Definitor quoque Provincialis, ob culpas hoc Capite expressas et ob Provincialis officium usurpatum, et similiter si litteras Provinciali et toti simul Provinciae Definitorio missas ter aperuerit, officio privetur. Quam etiam poenam feret Superior Provincialis, si Praepositi officium usurpaverit, praedictas litteras ter aperuerit» (n. 694).

«Officio tandem privetur Superior quicumque alius, si culpas hucusque expressas eodem modo commiserit, aut si graviter negligens inventus fuerit in legum et bonarum consuetudinum ab Ordine probatarum curanda custodia; si in construendo conventu approbatum delineamentum notabiliter excesserit; si contra Sacrorum Canonum praescripta, aut in eventibus n. 228 citatis, aliquem ad novitiatum vel professionem admiserit» (n. 695).

956.—Q. *Quibusnam competat has poenas imponere?*

R. «Si Praepositus eas culpas commiserit, ob quas sit officio privandus, primus Definitor Generalis praestabit, quod erga ejusmodi culpas plectendas n. 469 praescribitur. Quod si Provincialis in praedictis culpis fuerit, primus Definitor Provincialis Praepositum monebit, ut Definitorium Generale Provinciali, facto processu, eandem poenam infligat. Similiter alii Superiores a Definitorio Generali vel Provinciali respective, et si agatur de Semiprovinciis a Definitorio Generali, facto processu, officio priventur. Illi vero qui non electi, sed tantum nominati aut designati ad officium fuerint, ab iisdem, qui eos nominarunt sive designarunt, ab officiis amoveantur» (n. 696).

«Patres autem qui recursum fecerint ad S. Sedem, ut declarationem obtineant nullitatis suae professionis, aut indultum saecularizationis vel exclaustrationis, statim a datis litteris declarentur a Praeposito vel Provinciale voce activa et passiva et quocumque officio, etiam per electionem eis collato, privati, et insuper revocetur ab eis facultas sive praedicandi verbum Dei sive confessiones tum Religiosorum tum saecularium audiendi. Quod si postea decisum fuerit pro validitate professionis, aut ii qui indultum exeundi ab Ordine postulaverant, animo resipiscentes, legitime ostendant se a proposito recessuros et in Ordine perseveraturos, a Praeposito Generali rehabilitari possint ad omnia, praeterquam ad officia quae vi electionis habebant, ad quae tamen reeligi queant. Si quis vero, postquam, obtento Apostolicae

Sedis indulto extra claustra degit, ad Ordinem nostrum revertatur, voce activa et pasiva maneat privatus, nisi post aliquot annos Definitorium Generale vocem ei denuo concedendam esse censuerit. Qui autem impetrato saecularizationis indulto, religionem reliquit, in Ordinem nequeant readmitti absque Definitorii sive Provincialis sive Generalis consensu in scriptis dato; quod si ex Apostolico indulto rursus recipiatur, novitiatum ac professionem instaurat, et locum inter professos obtinet a die novae professionis» (n. 697).

«Religiosi denique legem vitae communis Constitutionibus praescriptae in re notabili violantes, graviter moneantur et, emendatione non secuta, puniantur etiam privatione vocis activae et passivae et, si Superiores sint, etiam privatione officii» (n. 698)

CAPUT III

DE PROCESSU CRIMINALI REGULARIUM

Hoc caput in novem dividitur articulos, quorum primus erit de natura processus criminalis; secundus, de judice; tertius, de accusatione; quartus, de denunciatione; quintus, de inquisitione; sextus, de probationibus; septimus, de reo; octavus, de sententia; nonus, de appellationibus.

ARTICULUS I

DE NATURA PROCESSUS CRIMINALIS

957.—Q. *An processus criminalis apud Regulares fieri debeat ad normam juris communis?*

R. Affirmative, regulares enim in suis procesibus observare tenentur praescripta can. 1555, § 2, sequentis tenoris: «Cetera tribunalia servare debent praescripta canonum, qui sequuntur», et praesertim can. 1563, 1579, 1581, 1589, 1621, 1652, 1653, 1657, 1658, nisi aliqua Religio verum privilegium habeat quoad processus contra suos religiosos: antiquae enim normae procedendi *summarie,* id est, simpliciter et de plano abrogatae sunt, ait P. Novat, De Processibus, nn. 35 et 52.

958.—Q. *Quid sit judicium?*

R. «Nomine judicii ecclesiastici intelligitur controversiae in re de qua Ecclesia jus habet cognoscendi coram tribunali ecclesiastico, legitima disceptatio et definitio» (can. 1552, § 1).

«Objectum judicii sunt: (ib. § 2).

1.º Personarum physicarum vel moralium jura persequenda aut vindicanda, vel earundem personarum facta juridica declaranda; et tunc judicium est *contentiosum*;

2.º Delicta in ordine ad poenam infligendam vel declarandam; et tunc judicium est *criminale.*

ARTICULUS II

DE JUDICE

959.—Q. *Quisnam et quotuplex sit Judex Regularium?*

R. Ad 1m. Cum Regulares sint exempti a jurisdictione Episcopi, ac proinde ejus judicio non subdantur, nisi agatur de iis, in quibus non sunt exempti, sequitur judicem esse eorumdem Superiorem.

Ad 2m. Est triplex, nempe: *ordinarius,* qui ratione sui officii habet potestatem judicandi proprios subditos; *delegatus,* qui hanc potestatem habet ex commissione; et *arbiter,* qui nempe ex consensu partium dissidentium potestatem habet judicandi.

960.—Q. *Quisnam sit ordinarius Judex Regularium?*

R. Praeter S. Pontificem et S. Congregationem de Religiosis, sunt Superiores eorumdem, juxta limites ipsis a Constitutionibus assignatos.

Apud nos autem inspiciantur Constitutiones, ubi designantur Superiores, quibus poena delinquentibus infigenda reservatur. Sic praescribitur nn. 670-676-678-688.

961.—Q. *An Judex Regularis recusari possit?*

R. Judex regularis recusari potest: 1.º quando judex est suspectus recusatori ad normam can. 1614, § 1: 2.º quando habet specialem affectionem erga recusatoris adversarium: 3.º quando specialem habet affectionem erga causam, quae in judicio proponitur, hac ratione praescribitur in Codice J. C., can. 1613, § 1, quod sequitur: «Judex cognoscendam ne suscipiat causam in qua ratione consanguinitatis vel affinitatis in quolibet gradu lineae rectae et in primo et secundo gradu lineae collateralis, vel ratione tutelae et curatelae, intimae vitae consuetudinis, magnae simultatis, vel lucri faciendi aut damni vitandi, aliquid ipsius intersit, vel in qua antea advocatum aut procuratorem egerit».

ARTICULUS III

DE ACCUSATIONE

962.—Q. *Quaenam notanda sint quoad accusationem judicialem?*

R. 1.º Accusatio judicialis est legitima delatio rei criminis ad judicem competentem vindictae publicae causa, quae, ex praescripto can. 1934, uni promotori justitiae, ceteris omnibus

exclusis, reservatur. «Promotor statim conficiat accusationis libellum eumque exhibeat judici secundum normas in Sectione Prima statutas» (can. 1955).

2.º Accusans obligatur ad probationem delicti, quae debet esse ad minus semiplena, et cum conjecturis verisimilibus de veritate delicti; et quod accusator non sit solitus infamare proximum, nec conspirator, nec inimicus accusati, nisi suam prosequeretur injuriam; accusatore autem non probante, accusatus absque alia justificatione absolutus censetur.

ARTICULUS IV

DE DENUNTIATIONE

963.—Q. *Quaenam notanda sint quoad denuntiationem?*

R. 1.º Denuntiatio est manifestatio criminis Superiori legitime facta ad bonum commune, et ad punitionem, vel emendationem delinquentis, sine obligatione crimen probandi.

2,º Est autem duplex, *evangelica* nempe, et *judicialis. Evangelica,* quae etiam vocatur *paterna,* ea est, qua culpa defertur Superiori *tanquam patri,* ad emendationem delinquentis. De ea hic non agitur. *Judicialis* vero ea est, qua culpa defertur Superiori *tanquam judici* ad punitionem delinquentis. De ea hic est agendum.

3.º Hinc infertur denuntiationem in multis differri ab accusatione, videlicet: a) accusatio proponi debet per libellum, denuntiatio autem per litteras fieri potest. b) In accusatione actor crimen probare tenetur, non vero in denuntiatione. c) In accusatione applicanda est poena a jure statuta, in casu autem denuntiationis judex mitiorem applicare potest poenam. d) Accusator appellare potest a sententia judicis, non vero denuntiator. e) Accusator examinari nequit ut testes, secus vero denuntiator. (Cfr. Piat. III-33. Thom. a J. de Visit. T. I. c. 4).

964.—Q. *Quomodo differat denuntiatio judicialis ab evangelica?*

R. Differt 1.º *ratione finis*: denuntiatio enim judicialis fit ad correctionem et punitionem delinquentis; evangelica autem fit ad ejus emendationem: ideoque illa fit Superiori tanquam judici, haec Superiori tanquam patri.

2.º *Ratione modi*: in denuntiatione judiciali intervenit semper juramentum, omniaque substantialia judicii in eo observari debent; in evangelica autem juramentum nec a denuntiatore, neque a testibus exigitur, neque ulla forma judicialis requiritur; sed sufficit eam facere juxta modum ab ipso Evangelio indicatum. (Cfr. Thom. a J. Tr. I. c. 4, n. 4).

965.—Q. *Quaenam crimina judicialiter denuntiari possint et debeant?* (1)

R. Exceptis delictis et delinquentibus notoriis et manifestis, semper occurendum est damnis cum minori dispendio famae et honoris delinquentis. Et si per emendationem haberi possit reparatio, et sufficiat revelatio delicti in generali, et in communi, non debet revelari in particulari; et quando sufficit manifestare delictum, non debet manifestari delinquens; et quando sufficit denuntiatio evangelica, non utendum est judiciali; et quando sufficit manifestari delictum uni ex amicis delinquentis, ut ipse solus eum corrigat, non debet deferri ad Praelatum, nequidem tanquam ad patrem. (Cfr. Praxis cr. p. 13).

Qui modus denuntiandi etiam indicatur in Constitutionibus (nn. 15, 16) his verbis: «Si quis autem (quod Deus avertat) quidpiam parum castum commiserit, si occultum sit, et spes emendationis adsit, statim socius illum secreto corripiat. Si tamen facta correptione videat se non profuisse, aut, ante factam, re prudenter expensa, non credat se profuturum; revelet culpam alicui, quem profuturum existimet: quo deficiente, revelet Superiori pio ac prudenti, cujus consilia efficaciora sunt».

Denuntiari judicialiter debent solummodo illa crimina, quorum revelatio necessaria est ad vitandum grave damnum communitati vel tertio imminens, et alia via damnum illud impediri non possit. (Cfr. S. Th. 2-2, q. 33. a. 7.)

Ideoque a Constitutionibus nostris haec praescribuntur: «Si vero saepe, aut semel tantum labentem, sed uno lapsu bono Religionis nomini nocentem videt, Superiori, tamquam Patri, aut pro qualitate culpae, Superiori, quasi judici deferat, ut subditi lapsi salutem quaerat, et bonum Religionis nomen sublatum restituat». (n. 17).

Circa denuntiationem sequentia praescribit Codex J. C., can. 1935, § 1: «Quilibet tamen fidelis semper potest delictum alterius denuntiare ad satisfactionem petendam vel damnum sibi resarciendum, vel etiam studio justitiae ad alicujus scandali vel mali reparationem».

«Imo obligatio denuntiationis urget quotiescumque ad id quis adigitur sive lege vel peculiari legitimo praecepto, sive ex ipsa naturali lege ob fidei vel religionis periculum vel aliud imminens publicum malum» (can. 1935, § 2).

966.—Q. *Quomodo fieri debeat denuntiatio judicialis?*

R. 1.° «Denuntiatio scriptis a denuntiante subsignatis vel oretenus fieri debet loci Ordinario, vel cancellario Curiae vel

(1) Clerici et religiosi nomen dantes sectae massonicae aliisque similibus associationibus denuntiari debent Sacrae Congregationi S. Officii (can. 2336, § 2); et etiam ii qui juramentum contra modernismum emittere recusaverint, ex praescripto decreti "Sacrorum Antistitum" 1 Sept. 1910. (Acta Ap. Sedis, II. 669).

vicariis foraneis vel parochis, a quibus tamen, si viva voce facta fuerit, scriptis est consignanda et statim ad Ordinarium deferenda» (can. 1936). Si denuntiatio Superiori regulari fieri debeat, utatur sequenti forma:

3.º Forma denuntiationis judicialis haec est: R. P. Provincialis... cum non habeam aliud efficax remedium, meliori modo, et forma juris, quibus possum, *denuntio judicialiter* P. F. N. sacerdotem... conventualem talis conventus, quod deposito omni timore Dei, et cum gravi suae conscientiae onere commiserit tale delictum (*debet autem ponere locum, tempus, et ceteras circumstantias, in quibus patratum est*). Et cum bono communi plurimum expediat, ut excessus et peccata puniantur, compescanturque delinquentes, satisfaciendo Communitati et scandalo dato: peto a Reverentia vestra, ut praedictus P. F. N. puniatur poenis per jura et Statuta nostra constitutis, ut illi sint in punitionem et emendationem, caeteris autem in exemplum. Pro testibus exhibeo P. F. N. qui certam habet casus notitiam, quae cum vera sint, me subscripsi in hoc conventu N. tali die, talis mensis et anni (Cfr. Praxis cr. p. 117).

967.—Q. *Quomodo judex, sibi porrecta denuntiatione' se gerere debeat?*

R. Judex debet hic admonere denuntiantem, ut advertat ad modum, quo facit denuntiationem. Si denuntiatio in scriptis facta sit, ponitur in capite processus, supposito, quod Praelatus prius extrajudicialiter habuerit fundamenta sufficientia ad illam admittendam.

Ideoque judex, recepta denuntiatione, examinare debet, utrum media probationum gravia, vel frivola fuerint, ita ut denuntiationem excipere, vel rejicere possit ac debeat; serioque perpendere debet, utrum ad procedendum contra reum satis sit denuntiatio, an vero insimul praevia de crimine fama requiratur.

Quando denuntians nihil velit dare in scriptis, nec obligare se ad aliquam poenam, casu quo delictum non probaretur, dicendo se solum denuntiare ad hoc, ut judex habeat notitiam de eo, ad quod tenetur, et apponat remedium, quod in Domino expediens judicaverit, talis denuntiatio non erit judicialis, sed reducetur ad Evangelicam: solum serviet ad dandam notitiam judici, ut videat, si habeat fundamentum ad procedendum per inquisitionem particularem juridicam *tamquam ex officio*: et quando videt non habere, dimittat. (Cfr. Praxis cr. p. 110).

ARTICULUS V

DE INQUISITIONE

§ I. DE INQUISITIONE GENERALI

968.—Q. *Quid et quotuplex sit inquisitio?* (1)

R. Est criminis et criminosi legitima indagatio ad detegendum crimen ejusque auctorem.

Est autem triplex, generalis nempe, specialis et mixta.

Inquisitio generalis est ea, qua Praelatus ex officio in visitatione conventus, nulla certa persona indicata, nec ullo crimine expresso, praecipit Religiosis talis conventus, ut ad ipsum deferant culpas et excessus Fratrum ad providendum de remedio competenti.

In hujusmodi inquisitione generali facta per visitationem, subditi Praelato detegere non possunt alias graves culpas, nisi illas, quas possunt revelare extra tales visitationes, praemissa prius fraterna correptione. Tunc autem deficiente opportunitate faciendi secretam correctionem, et affulgente spe emendationis, potest et debet differri pro tunc revelatio hujusmodi culpae absque eo, quod contraveniatur praecepto Visitatoris. (Cfr. Praxis. cr. p. 16).

969.—Q. *An in generali inquisitione Superior praecipere possit, ut sibi juridice denuntientur delicta occulta?*

R. Negative, nisi de illis delictis praecesserit publica infamia, sive alia indicia sufficientia. Ratio est, quia judex jus non habet inquirendi de reis occultis; ideoque nec potest subditos obligare ad eos manifestandos, nisi delictum nocumentum illaturum sit communitati, et alio modo damnum communitati praecaveri non possit.

Ideoque legitur in praxi criminali (p. 16), quod «Visitatores tenentur admonere, et dicere, se non inquirere de peccatis occultis, de quibus nulla praecessit infamia; maxime si visitatio et inquisitio fiat inter personas ignorantes, et istae debeant respondere repente et subito: non tamen si haberent tempus sufficiens ad respondendum, et adsint personae doctae, a quibus indocti possunt capere consilium.

(1) De inquisitione agit Codex J. C., Tit. XIX. Lib. IV. cap. II. can. 1939-1946.

§ II. DE INQUISITIONE SPECIALI

970.—Q. *Quid sit inquisitio specialis?*

R. Inquisitio specialis est illa, in qua judex sive ejus delegatus procedit juridice, interrogando de delicto et delinquente determinato, circa quam sequentia praescribit Codex J. C., can. 1939, § 1: «Si delictum nec notorium sit nec omnino certum, sed innotuerit sive ex rumore et publica fama, sive ex denuntiatione, sive ex querela damni, sive ex inquisitione generali ad Ordinario facta, sive alia quavis ratione, antequam quis citetur ad respondendum de delicto, inquisitio specialis est praemittenda ut constet an et quo fundamento innitatur imputatio».

«Huic regulae locus est sive agatur de irroganda poena vindicativa vel censura, sive de ferenda sententia declaratoria poenae vel censurae in quam quis inciderit» (ib. § 2).

«Haec inquisitio, quamvis ab ipso loci Ordinario peragi possit ex generali tamen regula committenda est alicui ex judicibus synodalibus, nisi eidem Ordinario ex peculiari ratione alii committenda videatur» (c. 1940).

«Inquisitor delegetur non ad universitatem causarum, sed toties quoties et ad unam causam» (can. 1941, § 1).

«Inquisitor tenetur iisdem obligationibus quibus judices ordinarii, ac praesertim praestare debet jusjurandum de secreto servando deque officio fideliter implendo et abstinere ab accipiendis muneribus ad normam can. 1621-1624» (ib. § 2).

«Inquisitor nequit in eadem causa judicem agere» (ib. § 3)

«Prudenti Ordinarii judicio committitur statuere quandonam ea, quae praesto sunt argumenta, sufficiant ad inquisitionem instituendam» (can. 1924, § 1).

«Nihili faciendae sunt denuntiationes quae ab inimico manifesto, aut ab homine vili et indigno proveniunt, vel anonymae iis adjunctis iisque elementis carentes, quae accusationem forte probabilem reddant» (ib. § 2).

«Inquisitio secreta semper esse debet, et cautissime ducenda, ne rumor delicti diffundatur, neve bonum cujusquam nomen in discrimen vocetur» (can. 1943).

«Ad finem suum assequendum potest inquisitor aliquos, quos de re edoctos censeat, ad se accire et interrogare sub jurejurando veritatis dicendae et secreti servandi» (can. 1944, § 1).

«In eorum examine servet inquisitor, quantum fieri potest et natura inquisitionis patitur, regulas statutas in can. 1770-1781,» (can. 1944).

«Inquisitor antequam inquisitionem claudat, potest promotoris justitiae consilium exquirere quoties in aliquam difficultatem inciderit, et cum eo acta communicare» (can. 1945).

«Expleta inquisitione, inquisitor, addito suffragio suo, omnia referat ad Ordinarium» (can. 1946, § 1).

«Ordinarius vel de ejus speciali mandato officialis suo decreto jubeat ut:

1.º Si appareat denuntiationem solido fundamento esse destitutam, id declaretur in actis et acta ipsa in secreto Curiae archivo reponantur;

2.º Si indicia criminis habeantur, sed nondum sufficientia ad accusatoriam actionem instituendam, acta in eodem archivo serventur et invigiletur interim moribus imputati, qui pro prudenti Ordinarii judicio erit opportune super re audiendus, et, si casus ferat, monendus ad normam can. 2307;

3.º Si denique certa vel saltem probabilia et sufficientia ad accusationem instituendam argumenta praesto sint, citetur reus ad comparendum et procedatur ad ulteriora ad normam canonum qui sequuntur» (ib. § 2).

971.—Q. *Qualis esse debeat infamatio, ut speciali inquisitioni inservire possit?*

R .Non sufficit, ut duo aut tres jurati testes affirment se vidisse v. gr. Petrum tale crimen committentem; quia adhuc crimen est occultum, ac proinde minime per specialem inquisitionem est procedendum; sed necessario requiritur, ut rumor sparsus sit per majorem partem viciniae ,collegii, vel communitatis, in qua Petrus commoratur, ut dicatur ibidem infamia laborare. Insuper requiritur, ut diffamatio inquisitionem praecedat; si enim illam sequatur, processum non convalidat, etiamsi inquisitus convictus esset per testes postea productos.

Si Judex, facta diligentia in ordine ad probandam infamiam adhuc dubitet, utrum illius fundamenta et conjecturae sint probabiles, vel dubitet de fide et animo actorum proclamantium de infamia, non potest procedere ad inquisitionem delinquentis.

Infamia debet constare in principio processus, saltem per duos, aut tres testes *contestes* omni exceptione majores, et quibus nullus possit objici rationabilis defectus; quod nempe talis sit infamatus de tali delicto, iique cum juramento testari debent, se id audivisse communiter in conventu a viris cordatis et virtuosis, et dicere etiam fundamentum, quod habent ad id credendum; et expresse debent interrogari a quibus audierint: quos si non nominent, nulla est infamiae probatio.

Ultra infamiam requiritur clamorosa insinuatio, quando procedendum est contra aliquem Praelatum, et gravissimam personam. Quum infamia saepius ad aures Superioris defertur, dicitur insinuatio clamarosa. (Cfr. Praxis cr. p. 30).

972.—Q. *Quid intelligatur nomine indicii, et quale sufficiat ad specialem inquisitionem instituendam?*

R. 1.º Indicium dicitur ab indicando, et est conjectura ex probabilibus, et non necessariis fundamentis orta, a quibus potest abesse veritas, non autem verisimilitudo.

Ex indiciis nascuntur suspicio et praesumptio: illa ex indiciis levibus; haec ex gravibus et gravissimis magis vel minus urgentibus.

In materia indiciorum non potest dari doctrina certa, sed totum relinquitur arbitrio et prudentiae boni et docti Judicis, qui tamen non ad libitum, sed juris arbitrio ponderabit circumstantias morales, et secundum qualitatem personae, aetatis, loci, temporis, delicti et suscipionum judicabit, an judicium sit sufficiens, vel non, an leve, vel grave, vel gravissimum, omissis indiciis levissimis, quorum principale fundamentum saepe est malitia, odium, vel inimicitia illius, qui illa adinvenit.

2.º *Indicia levia,* quae et remota dicuntur, sunt: dictum testis inhabilis, lapsus in eodem crimine bis terve, physionomia mala, rubor, pallor, timor, tremor, inconstantia, quae solent saepe esse fallacia indicia. Inimicitia non capitalis, fama a viris probis, et honestis, et alia similia, quae inducunt aliquam verisimilitudinem, ac probabilitatem ad suspicandum de delicto, et sufficiunt ad aperiendam viam Judici, ut specialiter inquirere possit; non tamen ad constituendum reum, nisi aliis indiciis adjuventur, transeantque in naturam indicii gravis.

3.º *Indicia gravia,* quae expressa, et proxima dicuntur, eo quod urgenter et graviter inducant delictum, sunt confessio extrajudicialis ultronee facta in foro incompetenti, scriptura manu rei exarata; sequestratio solius cum sola in loco secreto et suspecto, obscuro, vel obseratis foribus, vel nocturno tempore; exclamatio puellae, vel pueri, vel offensi cum fuga, vel tremore et pallore delinquentis; vacillatio, variatio, mendacium rei circa substantiam delicti, non tamen circa circumstantias, et rei quidem non stupidi, nec obliviosi; fuga rei post delictum, et ante inceptam informationem; inventio rei furatae apud aliquem, nisi probet unde habuerit, vel nisi sit bonae famae, et rem publice teneat, vel reperitio rerum, quae inventae essent in loco delicti, ut pileus, liber, etc.; confessio facta, et postea retractata. Haec omnia indicia, quae praesumptiones etiam dicuntur, sufficiunt ad inquirendum, et constituendum reum.

4.º *Indicia gravissima,* quae etiam manifesta et violenta dicuntur, ex eo quod necessario persuadeant delictum certitudine quadam morali et sufficienti; et sufficiunt non solum ad inquirendum, et constituendum, reum; sed etiam ad eum condemnandum.

5.º Indicia autem omnia cujuscumque generis sint, *nulla reputantur*, nec faciunt fidem in judicio, nisi quaelibet ipsorum per duos saltem testes contestes, ac omni exceptione majores probata sint. Unde cum multis testibus singularibus judicium remanet imperfectum. (Cfr. Praxis cr. p. 32).

§ III. DE INQUISITIONE MIXTA

973.—Q. ***Quid sit inquisitio mixta?***

R. Inquisitio mixta est partim generalis et partim specialis: sic vel est generalis quoad delicta, et specialis quoad personas, ut cum aliquis Religiosus talis conventus infamatus est de transgresionibus talis Regulae, quin in specie cognoscantur; vel e contra est specialis quoad delicta, et generalis quoad personas, ut cum scitur crimen esse commissum, sed ignoratur auctor.

Inquisitio autem generalis quoad delicta, et particularis quoad personas, nulla etiam praecedente infamia, vel alio ipsi aequivalente, licite fit de tali ac tali: quomodo nempe se gerant vel se gesserint in regimine, in religiosa conversatione, in legum custodia, regularique observantia, ad sciendum pro sui cautela, nullo tamen descensu facto ad illorum vitam et mores occultos, donec non resultaverint per testium depositiones sufficientia indicia, aut semiplena saltem probatio. Est igitur ejusmodi inquisitio, quae fit in visitationibus regularibus. (Cfr. Praxis cr. p. 19).

ARTICULUS VI

DE PROBATIONIBUS

974.—Q. ***Quid et quotuplex sit probatio?***

R. Ad 1m. Est actus judicialis, quo per instrumenta, aut testes, aut idonea argumenta Judici de re aut de facto dubio et controverso fit fides.

Ad 2m. Est *plena* et *semiplena*. *Plena* ea est, quae plenam fidem facit Judici de re in judicium deducta, et ita eumdem in causa instruit, ut, nullo alio alterius requisito, sententiam ferre et controversiam definire valeat. *Semiplena* est ea, qua aliqua, non tamen plena fides Judici fit, nec sufficit, ut ex ea moveri possit ad ferendam sententiam pro hac vel illa parte.

975.—Q. ***Quaenam sint species et effectus plenae probationis?***

R. 1.º Species sunt sequentes, nempe: a) ipsius rei confessio judicialis; b) testimonium duorum testium omni exceptione majorum, super uno eodemque articulo. Ergo testimonium unius testis, etiam fide digni, non sufficit; ratio est, quia in uno teste, etiam probatae vitae et notae famae, potest forsitan

deficere sincera *cognitio* facti, vel potest locum habere *studiosa voluntas* et *favor* erga unum potius, quam erga alium negotii respectum. Sed ubi est *consors* duorum idoneorum testium depositio, supponi nequit utrumque testem, vel factum *ignorasse*, vel humanam fragilitatem adeo persensisse, ut contra rei veritatem in unam sententiam *conspirent*. c) Instrumentum publicum, vel alia scriptura authentica, huic quoad vim probandi acquiparata; d) juramentum, quod a parte litigante sibi delatum, pars adversa praestat; et praesumptio juris et de jure, contra quam sola admittitur probatio evidentissima.

2.º Quod autem ad effectus spectat, primus est, quod juxta illam feratur sententia; secundus est, quod actor, qui actionem suam plene probavit, eam juramento confirmare non tenetur; tertius est, quod is, contra quem datur plena probatio, non amplius admittatur ad purgationem canonicam per juramentum, quamvis admitti possit ad evertendam probationem per testes.

976.—Q. *Quaenam sint species et effectus semiplenae probationis?*

R. 1.º Species sunt sequentes: a) depositio unius testis, vel plurium singulorum; b) instrumentum seu scriptura privata; c) comparatio litterarum, quando de scripto dubitatur; d) juramentum, quod suppletorium vocatur; e) praesumptio verisimilis seu probabilis; f) fama.

2.º Effectus autem hi sunt: a) locum dat juramento suppletorio; b) quandoque liberat ab ulteriori probandi onere, et illud in adversarium rejicit; c) alteri semiplenae probationi conjuncta plenam conficit probationem, si ad unum eumdemque finem tendant. (Cfr. Piat. II-424, 2.ª edit.)

977.—Q. *Quinam censeantur testes idonei in judicio Regularium?*

R. Esto in foro saeculari requirantur plurima ad idoneitatem testium, non est ita in foro claustrali: siquidem inhabilitates pertinentes ad jus positivum, videntur spectare ad apices juris. Jamvero cum causae Regularium probari debeant per Religiosos ejusdem Ordinis, in quantum fieri potest, expediens est, omnes esse idoneos ad munus testificandi, etiamsi privati essent voce activa et passiva, dummodo in eis non reperiatur inhabilitas contra jus naturale, qualis esset, si forent inimici capitales, etsi reconciliati, inimicorum consanguinei usque ad quartum gradum, eorumque nimium familiares, vel si essent notorie mendaces, aut commisissent delictum aliquod infame, ob quod mererentur nullam ipsis praestari fidem in judicio, vel essent nimis addicti parti contrariae, ita ut timere possit, aut praesumi, eos ex nimio affectu vel dependentia excaecando.

978.—Q. *Quaenam requirantur, ut testes faciant fidem in judicio?*

R. 1.º Testis, examinari debet in praesentia Judicis, et debet esse juratus, ut probet; qui vero non est juratus, non probat. Testis enim sine juramento examinatus, non facit indicium, neque praesumptionem. Ex quo sequitur testes contra Regulares non posse admitti, nisi sint Religiosi; nam alii a Judice Regulari examinari non possunt: quia cum ille non habeat jurisdictionem in saeculares, non potest ab eis exigere juramentum; siquidem delatio juramenti sapit jurisdictionem. (Cfr. Thom. a J. de Visit. Tr. III, c. 8, n. 2).

3.º Attamen in Praxi criminali (p. 43). haec habentur: «Renuentibus Religiosis dare debitam testificationem, poterunt adhiberi quicumque saeculares, etiam si sint de numero eorum, qui ex jure positivo inhabilitantur, ut mulieres, minores aetate. Haec doctrina intelligenda est, quando aliquis prosequitur propriam injuriam, vel quando Judex procedit ex officio; non vero si procedat per viam accusationis, nam accusator debet producere testes integros.

Insuper advertat Praelatus, quod testimonium mulierum est infirmum, praecipue in causis criminalibus, etiamsi testificentur de visu, nisi aliis indiciis adminiculentur: hoc tamen non intelligi debet undequaque de Monialibus, in quibus communiter supponitur major firmitas, et timor Dei».

4.º Testes debent esse omni exceptione majores et contestes. *Testis* autem *omni exceptione major* est ille, qui nullum habet defectum, nec ullus ei rationabiliter objici potest. *Testes contestes* sunt illi, qui deponunt de eodem facto, loco, tempore et circumstantiis. Essent etiam contestes, si afferrent diversas quidem circumstantias, sed omnes tamen tendentes ad idem delictum, et in actibus habentibus continuationem, vel durationem successivam, ut si unus post alium vidisset, diversis horis et per diversas rimulas, cubantem cum muliere.

5.º Testes singulares sunt illi, qui deponunt de diversis delictis, saltem quoad numerum, et circumstantias. Testes singulares non probant, nisi ad inquirendum. Quod si testes singulares de eadem delicti specie deponant, quae iterari queat, ut furtum, licet in circumstantia loci, aut temporis, non concordent, quamvis plenam probationem non faciant, plus tamen quam semiplenam inducunt. (Cfr. Praxis crim. p. 44 Thom. a J. Tr. III, c. 7, n. 7).

6.º Quod si testes in persona, in delicti specie, et etiam in mense et anno conveniant, unus tamen eorum dicat tale delictum esse patratum die Lunae, alter autem dicat se de die praecise non recordari, plene utrique probant, et sunt contestes: secus foret, si unus die Lunae, alter vero die Martis commis-

sum delictum asseverarent; tunc enim essent testes singulares. (Cfr. Thom. a J. l. c.)

7.º Non raro invenies testes confuse, obscure deponentes, qui his vel similibus verbis: «mihi videtur, forsan» suam declarant mentem. Illi profecto nihil probant contra reum. Testibus confuse loquentibus, non immerito annumerari possunt testes, qui de credulitate deponunt, quales sunt illi, qui certi nihil affirmant, sed tantum verbis, credo, aut non credo deponunt. Non lege distat a praecedentibus testis de auditu, v. gr. qui deponit se audivisse, vel fama percepisse, nisi interrogaretur a quibus audiverit, quomodo orta fuerit talis fama. (Cfr. Thom. a J. l. c. et Praxis cr. p. 46).

8.º Complices non possunt admitti in testes.

979.—Q. *Qualiter se gerere debeant testes in detegenda veritate, quum a iudice examinantur?*

R. 1.º Cum Judex non possit testes de aliquo interrogare delicto, nisi de illo constet, saltem per semiplenam probationem, consequenter testis, non legitime interrogatus potest negare se aliquid scire subintelligendo, quod teneatur manifestare.

2.º Quotiescumque testis legitime interrogatur, tenetur respondere et veritatem dicere, etiam in casu, quo scit non esse alium testem, quando nempe Judex praemissa denuntiatione inquirit delictum; quia denuntiator gerit vicem unius testis.

3.º Testis tamen non tenetur cum suo gravi damno testari, nec potest secretum sibi commissum prodere, nisi vergeret in grave damnum communitatis, vel alicujus innocentis, quod aliter non posset impediri, quam per manifestationem secreti.

4.º Judex non urgeat testes ad deponendum, sed sinat eos liberrime testimonium ferre; et si petierint tempus ad petendum consilium, id concedat.

980.—Q. *Quomodo examinandus sit testis?*

R. 1.º Ante examen Judex moneat testem de obligatione, quam habet dicendi veritatem. Examinetur per ipsum Judicem, nisi fuerit legitime impeditus. Quo in casu examen committat suo Cancellario, vel alicui personae fide dignae, ita tamen, ut constet in processu de tali commissione.

2. Testis debet dicere aetatem, quam habet; debet scribi nomen, cognomen testis, ejus status et conditio, et anni ejus professionis. Item si ex officio assumitur, vel si a parte est exhibitus, et an examinetur super tota causa, vel super aliquo articulo tantum: et maxime testis debet exponere causam scientiae, an scilicet ipse viderit, vel audiverit, aut ab aliis audiverit.

3.º Testis potest se corrigere tam incontinenti, quam post litis contestationem, sed tenetur assignare causam suae correc-

tionis et emendationis in dictis: semel autem declarato suo dicto, non potest amplius illud declarare.

4.º Post litem contestatam praelegatur testi dictum suum, ut videat, si habeat aliquid, quod adjungat, vel emendet. Quo facto, dicat se ratificare et confirmare omnia, et subscribat; si subscribere nesciat, saltem in loco subscriptionis formet signum † Crucis, et alius pro eo subscribat, non nomen testis, sed suum proprium, qui supplet ejus vices dicendo, qui cum subscribere non potuerit hanc efformavit crucem, petiitque a P. F. N. ut pro se subscriberet, qui subscripsit. (Cfr. Praxis cr. p. 36 et 115).

ARTICULUS VII

DE REO

981.—Q. *Quaenam notanda sint circa reum?*

R. 1.º Reus dicitur ille, qui de aliquo crimine accusatus vel inquisitus causam in judicio dicere compellitur; reus autem non dicitur, nisi post recepta indicia, et probationes contra eum, nec antequam ad judicium vocetur per citationem.

2.º Citatio vero rei est actus legitimus, quo quis Judicis mandato in judicium vocatur, juris experiendi causa.

3.º Reus autem, priusquam a Judice interrogatur, citari debet, secus, processus et omnia, quae sequuntur, sunt ipso jure nulla. Ad legitimam autem citationem requiritur, ut praecesserit informatio saltem semiplene probans. «Judici legitime interroganti partes respondere tenentur et fateri veritatem, nisi agatur de delicto ab ipsis commisso» (can. 1743, § 1); et in causis criminalibus nequit judex accusato deferre jusjurandum de veritate dicenda (can. 1744).

982.—Q. *Quomodo reus interrogandus sit a Judice?*

R. 1.º Caveat Judex, ne in facie, aut in verbis praeseferat aliquam indignationem, iram et severitatem, sed vultu sereno et pacato, et bonis verbis petat ab eo nomen, cognomen, aetatem, patriam et tempus professionis.

2.º Non potest interrogari de aliis delictis, nisi haberent aliquam connexionem, inter se, vel cum circumstantiis delicti principalis, de quo fit inquisitio; neque potest interrogari de sociis criminis, quando non sunt infamati, nisi in crimine graviter pernicioso bono communi, vel inferente grave damnum alicui tertio innocenti, vel in casibus exceptis secundum jura.

3.º Reo denegari non potest jus sese defendendi; quia jus hujusmodi habet vi juris naturae et canonici. Unde ipsi communicanda sunt ea, quae contra ipsum ex dictis testium extracta sunt, et indicia in processu habita, ut ab eis sese purgare valeat.

Si vero peteret tempus ad respondendum ex lapsu memoriae, vel alia rationabili causa, potest Judex illud ei concedere, licet non teneatur.

Reo confessuro non interrumpatur confessio, quousque absolvatur integra, et saltem quoad ea, quae sunt essentialia.

«Si pars legitime interrogata respondere recuset, quanti facienda sit haec recusatio, utrum justa sit, an confessioni aequiparanda, necne, judicis est aestimare» (can. 1743, § 2).

«Pars, quae respondere debet, si illegitime respondere recusaverit aut si postquam responderit mendax reperta fuerit, puniatur, ad tempus a judice pro rerum adjunctis definiendum remotione ab actibus legitimis ecclesiasticis; et si ante responsionem jusjurandum de veritate dicenda praestiterit, laicus interdicto personali, clericus suspensione plectatur» (ib. § 3).

983.—Q. *Quid et quotuplex sit confessio rei, et quinam sint illius effectus?*

R. Ad 1m. Est agnitio a reo facta illius delicti, quod ipsi imputatur, vel ejus, quod ab adversario intenditur. Est simplex vel qualificata; judicialis vel extrajudicialis.

Ad 2m. Effectus autem hujus confessionis sunt:

a) Est plenissima probatio, quae reddit delictum notorium, tollit praesumptionem juris et de jure, et sanat omnes ordinarii judicii defectus.

b) Sequentes autem conditiones requiruntur, ut hos effectus producat rei confessio judicialis: 1.º Ut reus sit habilis ad confitendum. 2.º Ut confessio non sit erronea circa factum. 3.º Ut sit libera et spontanea .4.º Ut si clara. 5.º Ut fiat coram Judice competente. 6.º Ut fiat in rei praejudicium, et non in ipsius favorem.

ARTICULUS VIII

DE SENTENTIA

984.—Q. *Quaenam perpendere debeat Judex ante sententiam sive absolutivam, sive condemnatoriam?*

R. Imploret divinum lumen ad consulendum saluti, honori et famae, tam rei, quam Religionis; attente perpendat probationes, et ea omnia, quae ad formandum processum requiruntur. (Cfr. Praxis cr. p. 81).

985.—Q. *Quid et quotuplex sit sententia Judicis?*

R. «Est legitima pronuntiatio qua judex causam a litigantibus propositam et judiciali modo pertractatam definit; eaque

interlocutoria dicitur, si dirimat incidentem causam; *definitiva*, si principalem» (c. 1868).

«Ceterae judicis pronuntiationes *decreta* vocantur» (ib. § 2).

986. — Q. *Quaenam sint notanda quoad sententiam definitivam?*

R. 1.º Sententia definitiva debet esse omnino conformis his, quae in processu continentur, atque in illo probata sunt; fieri enim debet secundum allegata et juridice probata.

2.º In sententia tenetur Judex delictum recensere per extensum, ut ex illa delinquentes cognosci possint, et si detur poena arbitraria, vel mitigata, causa illius mitigationis exponatur. Si autem deeset poena determinata in statutis vel consuetudinibus propriae Religionis, recurratur ad jus commune, eligendo tamen benigniores et pietati conformiores, nisi delinquentes essent assueti delinquere, eo quod tunc nimia benignitas reis daret occasionem committendi nova delicta.

3.º Qui perfecte indicia evacuavit, et suam ostendit innocentiam, simpliciter, et definitive debet absolvi, ita ut per supervenientia postmodum indicia a Judice amplius non possit molestari. Qui vero se quidem defendit, purgavitque ab indiciis non quidem vehementibus, sed plus quam levibus, absolvendus est, sed cum clausula, stantibus prout stant, et novis non supervenientibus indiciis; quae si superveniant, poterit Judex contra ipsum iterum procedere.

4.º Si Judex certo et evidenter sciverit reum, etsi testibus convictum, esse innocentem, ad eum liberandum omnes nervos intendat, nec innocentiam opprimi patiatur, etiamsi opus esset ad Superiorem Judicem causam remittere.

5.º In exceptionibus Judex debet ferre sententiam declaratoriam, declarando aliquem esse inhabilem, vel habilem ad officia; vel cum agitur de accusato, quod violaverit necne aliquam Constitutionem, quod debet dependere ex depositionibus testium, ex confessione propria, et defensionibus factis. (Cfr. Praxis cr. p. 85).

ARTICULUS IX

DE APPELLATIONE

987. — Q. *Quaenam notanda sint quoad apellationem?*

R. 1.º Meminerint Regulares servare ordinem in appellatione, nempe a minoribus ad majores Praelatos intra, vel extra; nam appellatio, quae fieret, praetermisso ordine, non esset legitima, neque curanda. Et multo magis meminerint se aliquid debere offerre Domino Deo, et queti propriae Religionis, cui stricte tenentur tanquam illius membrum ex professione, quam emiserunt.

2.º Appellatio, prout dicit defensivum, est de jure naturali; prout vero dicit modum, et formam est de jure positivo. Quoad jus naturale, est simplex querela, et petitio, quam facit reus ad suum Superiorem, petendo, ut inspiciat suam causam, et de illa judicet, absque eo, quod suspendatur jurisdictio, et exsecutio sententiae latae, quousque Superior illam non inhibeat, et sibi causam non adjudicet revidendam.

3.º Quod autem attinet ad jus positivum, vocatur proprie *appellatio juridica,* et est provocatio causae a minori ad Superiorem Judicem, ratione gravaminis illati, vel inferendi, qua iniquitas sententiae corrigatur: et haec habet effectum devolutivum, et suspensivum, ita ut, si Judex processerit ulterius, totum sit irritum, et nullum.

Appellatio in suspensivo exsecutionem appellatae sententiae suspendit ac propterea in suo robore permanet principium: «lite pendente nihil innovetur»; appellatio autem in devolutivo tantum non suspendit exsecutionem sententiae, licet lis adhuc pendeat circa meritum causae (can. 1889, § 1).

4.º Verumtamen interposita appellatio non impedit cursum sententiae quoad excommunicationem absolutam, vel aliam censuram, vel suspensionem ab aliquo officio, vel dignitate, v. gr. Prioris, quia tunc reus tale officium exercere non potest, etiamsi appellaverit, quousque per Praelatum, aut Judicem superiorem ad statum pristinum restitutus fuerit.

Censura tamen conditionalis, et quaelibet sententia et poena sub conditione, et etiam privatio, et suspensio ab officio, suspenditur per appellationem, dummodo legitima sit, et fiat ante adimpletam conditionem, et intra terminum appellationis, ut si v. gr. Superior major praeciperet minori, ut intra tot dies faciat hoc, vel illud, sub poena suspensionis ab officio, et excommunicationis.

5.º Appellans a sententia ,qui certo scit illam esse justam, peccat mortaliter, ex eo quod injuste inferat gravamen judici; sicut e contrario etiam graviter peccaret judex, non admittendo appellationem, si videat eam esse justam.

6.º Probationes appellationis, an nempe justa sit, vel injusta, fieri debent coram judice, ad quem appellatur; et appellatio a subdelegato non est deferenda ad delegatum, sed ad delegantem; nisi delegatus fuerit ad universitatem causarum.

7.º Appellari non potest a sententia judicis *arbitrarii,* sub poena inconstantiae, quae arguit calumniam adversus judicem, quem quis sua voluntate elegit, nisi de iniquitate manifeste constet, vel ante judicium appareat arbitrium corruptum esse, vel gravi injustitiae suspicione laborare.

8.º Frivolae appellationis capita sunt: si appellaret in delicto notorie commisso, nisi appellaretur a judice declarante notorietatem; si appellaret reus convictus, et confessus, nisi pro-

bare vellet confessionem factam esse per vim, metum, vel errorem; si judici interroganti respondere, vel citatus comparere noluerit, nisi prius purgaverit contumaciam; si sententiam acceptaverit, eique ipse subscripserit per se, vel alius suo nomine; si post trinam appellationem, quartam addere vellet; si appellet ab interlocutoria sententia, quia haec per definitivam potest reparari, secus, si reparari non posset.

Dubia appellationis existente sententia, in rei favorem judex inclinare debet. Et cui appellare conceditur, is in quacumque parte causae, ubi advenerit suspicio gravaminis, uti poterit pro suo arbitrio hoc beneficio legis, et naturae.

988. «Si quis ad Superiorem quempiam externum ab Ordinis sententiis, decretis, correctione, praeterquam ad praescripta Sacrorum Canonum, appellare praesumpserit, ipso facto a legitimis omnibus Ordinis nostri actibus sit exclusus, officio, si quod habeat, privatus, et voce in quavis electione careat. Praelati autem, qui poenam hanc non imponunt, et qui appellantes defendunt aut juvant, ab officiis deponantur. Qui iterum et tertio appellaverint, factis monitionibus canonicis, ut supra, dimittantur» (Const. n. 685).

Insuper circa ordinem in appellando attendendae sunt dispositiones Decreti Benedicti XIV *Sacrosancti Apostolatus Officium,* 14 Dec. 1751. (Bull. O. N. IV-386).

«Auctoritate Apostolica, tenore praesentium, statuimus et ordinamus, ut in casibus, in quibus ejusdem Congregationis professoribus, tam de jure, quam contra Constitutiones praedictas (O. N.) appellare, aut recursus habere licet, id non aliter deinceps fieri posse, nisi gradatim, a Priore scilicet ad Provincialem, a Provinciali ad Definitorium, a Definitorio ad Capitulum Generale, ita ut causae appellationis hujusmodi, antequam a dicto Capitulo Generali cognitae, et definitae fuerint, extra dictam Congregationem deferri, et agitari nequeant: quam quidem legem non solum in appellationibus, sed in quibuscumque recursibus et querelis, aut causis inter dictos Congregationis hujusmodi Professores quoquo modo agitandis, inviolabiliter observari sub poenis per memoratas dictae Congregationis Apostolicas Constitutiones contra inobedientes praescriptis, contentis et inflictis, ipso facto absque alia declaratione incurrendis.»

Et ordine illo non servato, SS. CC. necnon Nuntii Apostolici nequeunt admittere appellationes, neque causas ipsas recognoscere.

989.—Q. *Quomodo facienda sit appellatio?*

R. Appellatio a sententia definitiva, si fiat, statim fieri potest viva voce, et sufficit dicere *appello,* vel quid simile. Quae vox in acta a notario referri debet. Si fiat post aliquod intervallum, fieri debet in scriptis, porrecto libello appellatorio, in quo

exprimi debet: quis appellet, contra quem, et a qua sententia. (can. 1882).

Ad appellandum jure communi dantur decem dies a notificatione sententiae. Intra quos dies non data appellatione Judex prosequi potest ad executionem sententiae. Appellatione autem facta, transmissio processus debet esse intra triginta dies, nisi judex a quo longius tempus ad eam prosequendam parti praestituerit (can. 1883), et praesentari per ipsum reum, sigillatus tamen; nisi reus esset suspectus de fuga, quia tunc reo in custodia retento, potest transmitti per alium, et si statuto tempore non consignetur ex negligentia rei, Judex, a quo appellavit, potest exequi quidquid justitia suaserit. Probationes autem appellationis fieri debent coram Judice, ad quem appellatur. (Cfr. Praxis cr. p. 90).

CAPUT IV

DE MODO PROCEDENDI IN SUSPENSIONE EX INFORMATA CONSCIENTIA INFLIGENDA

ARTICULUS UNICUS

DE NATURA ET ORIGINE HUJUS POTESTATIS

990.—Q. *Quid intelligendum sit per haec verba ex informata conscientia?*

R Haec verba *ex informata conscientia* reperiuntur adhibita in Codice J. C. can. 2186, § 1. Hanc formulam induxerunt canonistae, concinnitatis gratia, ut nempe brevius exprimerent eum sententiandi modum, in quo Ordinarius, Episcopus nempe et Superior major, nullo praemisso ordinario processu, nulla praemissa juridica informatione, suspensionem ferunt ex causis sibi notis; sed haec suspensio non potest se extendere, nisi ad *officium*, non autem ad beneficia, ut patet ex sequenti canone.

«Ordinariis licet ex informata conscientia clericos suos subditos suspendere ab officio sive ex parte sive etiam in totum» (can. 2186, § 1). Nequeunt ergo aliae graves poenae ex informata conscientia infligi.

«Extraordinarium hoc remedium adhibere non licet, si Ordinarius potest sine gravi incommodo ad juris normam in subditum procedere» (ib. § 2).

991.—Q. *Quomodo praedicta suspensio feratur?*

R. «Ad ferendam hanc suspensionem neque forma judicialis neque canonicae monitiones requiruntur; sed satis est si Ordinarius, servato praescripto canonum qui sequuntur, simplici decreto declaret se suspensionem indicere» (can. 2187).

«Hujusmodi decretum detur in scriptis, nisi adjuncta aliud exigant, designato die, mense et anno; in eoque: 1.º Expresse dicatur suspensionem ferri ex informata conscientia seu ex causis ipsi Ordinario notis; 2.º Indicetur tempus durationis poenae; abstineat autem Ordinarius ab ipsa infligenda in perpetuum. Potest vero infligi etiam tanquam censura, dummodo hoc in casu clerico patefiat causa propter quam suspensio irrogatur; 3.º Clare indicentur actus qui prohibentur, si suspensio non in totum sed ex parte infligatur» (can. 2188).

Haec suspensio ordinarie non est censura, attamen si clericus ita suspensus exerceret sacrum ordinem prohibitum, esset irregularis ex praescripto can. 985, n. 7.

«Si clericus suspensus sit ab officio in quo alius in ejus locum substituendus est, ut, ex. gr., oeconomus in cura animarum, qui substituitur mercedem ex fructibus beneficii percipiat secundum prudens Ordinarii judicium determinandam» (can. 2189, § 1).

«Clericus suspensus, si se gravatum senserit, potest imminutionem pensionis petere ab immediato Superiore qui in via judiciaria esset judex appellationis» (ib. § 2): v .gr. Metropolita.

«Ordinarius qui fert suspensionem ex informata conscientia, debet ex peractis investigationibus tales collegisse probationes, quae eum certum reddant clericum delictum revera perpetrasse et quidem adeo grave ut ejusmodi poena coercendus sit» (can. 2190).

«Suspensioni ex informata conscientia justam ac legitimam causam praebet delictum occultum ad normam can. 2197, n. 4» (can. 2191, § 1). Ex praedicto can. 2197, n. 4.º: «*Occultum,* quod non est publicum; *occultum materialiter,* si lateat delictum ipsum; *occultum formaliter*, si ejusdem imputabilitas; «Ob notorium delictum suspensio ex informata conscientia nunquam ferri potest» (ib. § 2).

975. «Ut delictum publicum suspensione ex informata conscientia plecti possit, occurrat necesse est aliquod ex adjunctis quae sequuntur:

1.º Si testes probi et graves delictum quidem Ordinario patefaciant, sed nulla ratione induci possint ut de eo testimonium in judicio ferant, neque aliis probationibus delictum judiciali processu evinci possit;

2.º Si ipsemet clericus minis aut aliis adhibitis mediis impediat ne processus judiciarius instituatur aut inceptus perficiatur;

3.º Si processu judiciali conficiendo ferendaeque sententiae impedimenta exoriantur ex adversis civilibus legibus aut gravi scandali periculo» (ib. § 3).

«Suspensio ex informata conscientia valet si ex pluribus delictis unum tantum fuerit occultum» (can. 2192).

«Prudenti Ordinarii arbitrio relinquitur suspensionis causam seu delictum clerico patefacere aut reticere, pastorali tamen adhibita sollicitudine et caritate, ut, si delictum clerico manifestare censuerit, poena, ex paternis quae interposuerit monitis, nedum ad expiationem culpae, verum etiam ad emendationem delinquentis et ad occasionem peccati eliminandam inserviat» (can. 2193)

«Si clericus recursum a suspensione sibi inflicta interponat, Ordinarius ad Sedem Apostolicam mittere debet probationes quibus constet clericum delictum revera perpetrasse quod extraordinaria hac poena puniri queat» (can. 2194).

A suspensione ex informata conscientia non datur appellatio proprie dicta, cum talis poena non infligatur per modum sententiae judicialis, sed per modum extrajudicialem; datur vero recursus, qui dirigendus est ad Curiam Romanam, nempe ad S. Congregationem Concilii, si agatur de clerico saeculari suspenso; ad S. Congregationem de Religiosis, si de clerico religioso suspenso.

APPENDICES

APPENDIX I

(pro n. 21)

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

NORMAE

SECUNDUM QUAS SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS IN NOVIS RELIGIOSIS CONGREGATIONIBUS APPROBANDIS PROCEDERE SOLET *

PROEMIUM

1. Parvus hic Normarum Codex nihil aliud est quam sectio prior Normarum pro approbandis religiosis Institutis votorum simplicium, quae auctoritate Sacrae Congregationis EE. et RR., anno 1901, in lucem prodierunt, novo tamen Codici universali juris canonici accommodata.

Secunda enim sectio Normarum, post Codicis promulgationem, jam non videtur necessaria, cum constitutionum scriptores et prae oculis habere debeant canones, qui religiosos respiciunt, et consulere possint probatos auctores, qui de religiosis, post editas praefatas Sacrae Congregationis EE. et RR. Normas, scripserunt.

2. Sicut vero novae Normae antiquarum titulum adamussim retinent, ita et eundem duplicem finem. Huc enim spectant:

a) ut in novis religiosis Congregationibus earumque constitutionibus approbandis stabilis quaedam praxis servetur;

b) ut, tam locorum Ordinariis, quam ipsarum Congregationum Superioribus, documenta et informationes, ad Sacram Congregationem transmittenda, in prospectu sint, quo hujusmodi approbationum negotia facilius et celerius expediantur.

CAPUT I

DE DIVERSIS GRADIBUS APPROBATIONIS RELIGIOSARUM CONGREGATIONUM

3. Quoties aliquis Episcopus, juxta canonem 492 § 1, novam aliquam religiosam votorum simplicium Congregationem condere opportunum judicaverit, re adhuc integra, Sacram Congregationem de Religiosis adeat, eam distincte docendo de iis, quae

* Nemini liceat sine venia Sanctae Sedis harum Normarum versiones in alias linguas edere.

necessaria sunt, ut ipsa Sacra Congregatio de opportunitate novae fundationis mature judicare possit.

4. Docebit praesertim, quis qualisque sit novae Congregationis auctor et qua is causa ad eam instituendam ducatur; quibus verbis conceptum sit Congregationis condendae nomen seu titulus; quae sit forma, color, materia habitus a novitiis et professis gestandi; quot et quaenam sibi opera Congregatio assumptura sit; quibus opibus tuitio ejusdem contineatur; an similes in dioecesi sint Congregationes, et quibus illae operibus insistant.

5. Licentia vero obtenta, jam nihil obstabit, quominus novam Congregationem condat. Congregatio tamen ita condita juris erit dioecesani; ac propterea, etiam post suam fundationem, quamvis decursu temporis in plures dioeceses diffusa, usque tamen dum pontificiae approbationis aut laudis testimonio caruerit, vi canonis 492 § 2, remanet dioecesana, Ordinariorum jurisdictioni, ad normam juris, plane subjecta.

6. *Decretum laudis*. Est primus actus quo S. Sedes ad novae Congregationis opus manum ita admovet, ut desinat esse simpliciter dioecesana. Per hunc actum, Sacra Congregatio Religiosorum Sodalium negotiis praeposita, praemissa narratione proemiali fundationis novae Religionis, ejus tituli, finis, votorum, formae regiminis ac auctoritatis supremi Moderatoris, concludit: «SSmus. Dominus Noster N..., attentis litteris commendatitiis Antistitum, quorum in dioecesibus Instituti, de quo agitur, domus reperiuntur, Institutum ipsum, uti Congregationem religiosam sub regimine Moderatoris Generalis..., praesentis Decreti tenore, amplissimis verbis laudat ac commendat; salva Ordinariorum jurisdictione ad normam sacrorum canonum».

7. Hoc decretum laudis conceditur si, post elapsum a prima fundatione congruum tempus, nova Congregatio satis diffusa fuerit et dederit fructus pietatis, observantiae religiosae et spiritualis emolumenti; de quibus constare debet per litteras testimoniales Antistitis vel Antistitum Ordinariorum, in cujus vel in quorum dioecesibus, seu territoriis, Congregatio habet domos vel domum:

8. Ad obtinendum decretum laudis exhibere debent Sacrae Congregationi:

a) supplex libellus ad Summum Pontificem, subsignatus a supremo Moderatore et a suis Assistentibus seu Consiliariis;

b) litterae testimoniales Ordinariorum de quibus supra (cf. art. 7: quae litterae obsignatae et sub secreto mitti debent;

c) relatio a Moderatore supremo et a suis Assistentibus seu Consiliariis subscripta, ac ut authentica et veridica ab Episcopo domus principis Congregationis laudandae confirmata, qua exponatur, non modo ipsius Congregationis origo cum nomine fundatoris ejusque praecipuis qualitatibus, sed etiam ejus status

personalis, disciplinaris, materialis et oeconomicus, addita praeterea notitia de novitiatus institutione, de novitiorum et postulantium numero ac disciplina;

d) Constitutiones ab Episcopo recognitae et approbatae, lingua vel latina, vel italica, vel gallica conscriptae et typis impressae;

e) denique, si agatur de aliqua Congregatione tertiariorum in communi viventium, etiam testimonium Moderatoris generalis primi Ordinis, quo constet eam eidem primo Ordini fuisse aggregatam, juxta canonem 492, § 1.

9. *Decretum approbationis.* Conceditur decretum approbationis novae Congregationis, si, post datum decretum laudis, per satis diuturni temporis experimentum probatur ejus firma compago, constitutionum accomodatio et vigens observantia, regiminis recta ratio, religiosorum studium servandae disciplinae in vinculo caritatis ad intra, et zelus in adimplendis operibus suae Religionis propriis ad extra.

10. De praedictis conditionibus constet oportet tum ex relatione status Congregationis, quam iterum, prout supra in art. 8 c) describitur, supremus Moderator exhibere debet, cum supplicem libellum prorrigit ad obtinendam approbationem; tum etiam ex commendationis litteris, iterum dandis, ut supra clausis, ab omnibus Ordinariis, in quorum territoriis aliqua novae Religionis domus sita est, tum demum ex constitutionum codice, iterum S. Congregationis exhibendo.

11. Per hoc alterum decretum, de quo sermo est: «Sanctissimus Dnus. Noster N..., attenta ubertate salutarium fructuum, quos tulit Congregatio N..., attentisque..., eam appprobat et confirmat sub regimine Moderatoris Generalis; salva Ordinariorum jurisdictione ad normam sacrorum canonum.

12. Quamvis inter decretum laudis et decretum approbationis congrui temporis decursus, ut supra dictum est (cfr. art. 9), plerumque exigatur, nonnumquam tamen, licet raro, decretum definitivae approbationis conceditur, quin huic decretum laudis praecurrerit. Quod quidem fit, si conditiones in favorem novae Religionis, cum primum se sistit coram Sacram Congregationem, ita sunt numeris omnibus absolutae, ut nulla videatur ratio ulterius differendi definitivam approbationem.

CAPUT II

DE CONGREGATIONIBUS CAUTE TANTUM, AUT NULLO MODO LAUDANDIS ET APPROBANDIS

13. Nullae fere, ni forte in missionum regionibus, laudandae approbandaeve erunt Congregationes, quae certo proprioque fine non praestituto, quaevis universae pietatis ac beneficentiae opera, etiamsi penitus inter se disjuncta, exercenda amplectuntur.

14. Cautissime procedendum est in approbandis novis Congregationibus, quae non vivunt nisi ex eleemosynis atque stipe ostiatim collecta. Approbatis inculcanda est fidelis observantia canonum 622, 623 et 624.

15. Nec facile approbandae sunt, praecipue cum votis perpetuis, novae Sororum religiosae Congregationes, quae sibi proponunt finem in privatorum domiciliis infirmos utriusque sexus diurna atque nocturna cura juvandi, vel domesticum servitium quotidianum in familiis pauperum et operariorum exercendi. Si vero approbatio aliquando et ob justas causas concedenda videatur, in constitutionibus prudenter praescribantur conditiones et cautelae, quibus Sorores a periculis liberentur.

16. Item non facile conceditur approbatio Sororum Sodalitiis, quae sibi constituant scopum specialem:

a) instituendi in suis domibus valetudinaria aut diversoria pro personis utriusque sexus;

b) instituendi hospitia pro sacerdotibus suscipiendis;

c) docendi in scholis adulescentulorum, aut in iis, quae mixtae dicuntur, in quibus scilicet pueri et puellae simul congregantur.

17. Multo minus approbantur Congregationes quae sibi assumendum proponerent curam immediatam puerulorum in cunis vagientium, vel mulierum parturientium in domibus, vulgo dictis *Maternitatis*, vel alia hujusmodi caritatis opera, quae virgines, Deo dicatas et habitu religioso indutas, dedecere videantur.

18. Demum animadvertendum est, nullam virorum Religionem, ad normam can. 500, § 3, sine speciali privilegio, posse sibi subditas habere religiosas Congregationes mulierum, aut earum curam et directionem retinere sibi specialiter commendatam.

CAPUT III

DE APPOBATIONE CONSTITUTIONUM

19. Pro obtinenda constitutionum approbatione supplex libellus, subsignatus a Moderatore supremo cum suis Assistentibus seu Consiliariis, Sacrae Congregationi Religiosorum Sodalium negotiis praepositae porrigendus est, una cum constitutionum codice, relatione et commendationis litteris, prout supra, in art. 8, b) c) d) et 10.

20. In approbandis vero constitutionibus Sacra Congregatio per hos fere gradus procedit:

a) *Dilatio cum animadversionibus.* Nimirum si, instituto examine, constat multis correctionibus constitutiones indigere, differtur ad opportunius tempus petita approbatio, atque interim communicantur animadversiones, quibus ea indicantur quae

praecipue in exhibitis constitutionibus corrigenda, reformanda, addenda vel demenda sint.

b) *Approbatio ad experimentum.* Si exhibitae constitutiones tempore et usu non satis comprobatae videantur, et ceteroquin nec pluribus nec gravibus animadversionibus obnoxiae sint, fit ex officio prima correctio in textu; et datur decretum quo SSmus. constitutiones, prout in correcto exemplari continentur, ad certum tempus, ex gr. ad septennium, per modum experimenti, approbat atque confirmat.

c) *Approbatio definitiva.* Cum denique sufficiens praecesserit experimentum, constitutionum codex, in paucis jam emendandus, absolute corrigitur et datur decretum quo SSmus. constitutiones definitive approbat atque confirmat.

21. Quae vero de approbatione constitutionum disjuncte hucusque descripta sunt, conjunctim saepissime cum approbatione Congregationis hac ratione procedunt: a) cum decreto laudis Congregationis dantur interdum opportunae animadversiones in folio super constitutionibus, termino praestituto, intra quem constitutiones ipsae emendatae Sacrae Congregationi iterum exhibendae sunt; quae tamen, si multis indigeant emendationibus, communicantur Congregationi, antequam concedatur decretum laudis; ita ut, in utroque casu, omne jus constitutiones propria auctoritate immutandi, vel emendandi, ademptum censeatur, post obtentum decretum laudis;

b) regulariter approbatio Congregationis conceditur, una cum decreto, quo constitutiones in textu emendatae approbantur, saltem experimenti gratia ad certum tempus.

CAPUT IV

DE EXCLUDENDIS A TEXTU CONSTITUTIONUM

22. Excludenda sunt a textu constitutionum:

a) praefationes, introductiones, praemia, notitiae historicae, litterae hortatoriae vel laudatoriae, exceptis decretis laudis et approbationis a Sancta Sede concessis;

b) citationes textuum Sacrae Scripturae, Conciliorum, sanctorum Patrum, theologorum et quorumvis librorum vel auctorum;

c) citationes dispositionum, sive peculiaris directorii, sive privati caeremonialis aut manualis, sive cujuscumque codicis consuetudinum vel usuum Congregationis, ne forte praefati libri aut codices approbati videantur; quamquam hujusmodi libros ad Sacram Congregationem mittere oportet, ut de eis opportune cognoscere possit;

d) quaevis mentio de legibus civilibus, de ordinationibus magistratuum civilium, de approbatione gubernii et similibus;

e) omnia ea quae respiciunt munera et officia Episcopo-

rum et confessariorum: cum pro his non scribantur constitutiones, sed pro religiosis;

f) ordo studiorum et normae vivendi pro alumnis ac minute descripta horaria actuum diei pro domibus et operibus Congregationis;

g) quaestiones theologiae dogmaticae vel moralis, decisiones doctrinarum controversarum, praesertim in materia votorum;

h) termini juris canonici qui Congregationibus religiosis applicari non possunt; verbi gratia, *Regula, Ordo, Monasterium, Moniales,* etc.; quorum loco respective dicendum est: *Constitutiones, Congregatio religiosa,* seu *Religio votorum simplicium, Domus, Sorores,* etc.

i) licet brevia spiritualis et religiosae vitae documenta sint opportuna, excludendae tamen sunt prolixiores instructiones asceticae, exhortationes spirituales ex professo, et mysticae considerationes, quae omnia aptius pertractantur in libris asceticis: cum constitutiones continere debeant tantum leges constitutivas Congregationis et directivas actuum communitatis, sive quod ad gubernium attinet, sive quod ad disciplinam et normam vitae;

k) minutissimae quaelibet praescriptiones circa secundaria et infima officia, quae respiciunt culinam, valetudinarium, vestimentorum curam, etc.; cum istae gravitatem textus constitutionum a Sancta Sede Apostolica approbandarum, minime deceant;

l) dispositiones denique cujusvis generis, quae, sive explicite, sive implicite, aliquid contra jus contineant.

CAPUT V

GENERALIA IN CONSTITUTIONIBUS REQUISITA

23. Constitutionum codex continere debet ea quae respiciunt notiones et dispositiones:

a) de religiosae Congregationis natura, votis, membris et modo vivendi;

b) de Congregationis gubernio, administratione et officiis.

24. Haec vero omnia distribui possunt in duas, tres vel quatuor partes, sed summopere commendatur brevitas, claritas et optimus ordo.

25. Constitutiones dividantur in partes, partes in capita, capita in articulos seu paragraphos; hisce praeponantur numeri ab initio ad finem progredientes.

CAPUT VI

SPECIALIA DE TITULO

26. Titulus seu nomen Congregationis religiosae desumi potest vel a Dei attributis, vel a Sanctae nostrae Religionis mysteriis, vel a festis Domini et Beatissimae Virginis Mariae, vel a Sanctis, vel a fine speciali ipsius Congregationis.

27. Ne nomen seu titulus Religionis jam constitutae usurpent novae Congregationes, jam cautum est in canone 492 § 3. Ut igitur huic dspositioni satisfiat debent novae religiosae Congiregationes aliquid saltem titulo jam approbatarum addere, quo distinctio inter singulas satis appareat.

28. Cavendum insuper, ne tituli religiosarum Congregationum vel nimis artificiose compositi sint, vel quampiam devotionis speciem, a Sancta Sede Apostolica non probatam, exprimant aut innuant.

DECRETUM

Sanctissimus Dnus. Noster Benedictus divina Providentia PP. XV, in audientia concessa die 6 martii 1921 R. C. D. Secretario Sacrae Congregationis de Religiosis audito suffragio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Patrum Cardinalium eidem Sacrae Congregationi praepositorum, suprascriptas Normas, ab eadem Sacra Congregatione servandas, approbavit.—Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Religiosorum Sodalium praepositae, die 6 martii 1921.

TH. Card. Valfré di Bonzo, Praefectus.—Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., Secretarius.—Acta Ap. Sedis, XIII, p. 312.

APPENDIX II

(pro n. 102)

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

DECRETUM DE RELIGIOSIS, SERVITIO MILITARI ADSTRICTIS

Inter reliquas difficultates, quibus premitur Ecclesia Christi nostris temporibus, ea quoque recensenda lex est, qua ad militiam adiguntur etiam juvenes, qui in religiosis Familiis Deo famulantur.

Nemo sane non videt, quantum detrimenti ex hac infausta lege provenire possit, quum juvenibus, tum ipsis Sodalitatibus. Dum enim militiae vacant religiosi tyrones, facile vitiis maculari possunt, quibus infecti, vel neglectis, quae emiserant, votis, ad saecularia remigrabunt, vel quod longe pejus est religiosam repetent domum cum periculo alios contaminandi.

Ad haec igitur praecavenda mala, Sacra Congregatio, Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, in Plenario Coetu Emorum Patrum Cardinalium, die 26 mensis augusti 1910 ad Vaticanum coadunato, sequentia decrevit:

I. In Ordinibus Regularibus, in quibus vota solemnia emittuntur, juvenes, quos exemptos esse certo non constet a servitio militari activo, scilicet ab eo servitio, quod ipsi primitus ad militiam vocati ad unum vel plures annos praestare debent, admitti nequeunt ad Sacros Ordines vel ad solemnem professionem, quousque non peregerint servitium militare et, hoc expleto, saltem per annum, juxta infra dicenda, in votis simplicibus permanserint, servato quoad Laicos decreto «Sacrosancta Dei Ecclesia» hac eadem die edito.

II. In Institutis votorum simplicium juvenes, de quibus in articulo praecedenti, ad vota dumtaxat temporalia admitti poterunt, usque ad tempus militaris servitii: nec illis, dum militiae operam dant, professionem renovare liceat.—A militari servitio dimissi cum fuerint, professionem iterum, saltem ad annum, emittent, antequam professionis perpetuae vinculo se obstringant.

III. Caveant autem juvenes militiae servientes, ne sanctae vocationis donum amittant ac ea semper modestia et cautela conversentur, quae decet Religiosos viros. Quamobrem a locis et conventiculis suspectis abhorreant, a theatris, choreis aliisque spectaculis publicis abstineant; malorum commercium, lubricas conversationes, res a religione absonas, viros doctrinas suspectas profitentes, lectiones moribus aut fidei S. Sedis dictatis contrarias ceteraque peccandi pericula evitent; ecclesias, sacramenta, quantum eis liceat, frequentare non omittant; circulos seu coetus catholicos ad animi recreationem et instructionem adeant.

IV. Ubicumque eorum statio ponatur, si ibi domus suae Religionis aut Instituti habeatur, eam frequentent et sub Superioris immediata vigilantia sint.—Si vero domus praedicta non adsit, vel eam commode frequentare nequeant, sacerdotem ab Episcopo designatum adeant, ejus consiliis et consuetudine utantur, ut, quando eamdem stationem deserere oporteat, testimonium in scriptis de observantia eorum omnium, quae in articulo praecedenti praescripta sunt, ab eodem accipere valeant.—Quod si sacerdos ab Episcopo designatus non habeatur, ipsi sibi eligant prudentem sacerdotem, statim indicandum Superioribus suis, qui ab Ordinario de moribus, doctrina et prudentia ejusdem sibi notitias comparabunt. Praeterea, epistolarum commercium instituant ac, quantum fieri potest, sedulo persequantur cum suo respectivo Superiore aliove religioso seu sodali sui Instituti ad id designato, quem certiorem faciant de suae vitae ratione et conditione, de singulis mutationibus suae stationis et praesertim illi notificent nomen et domicilium illius sacerdotis, cujus consuetudine et directione utuntur, ut supra praescriptum est.

V. Superiores Generales aut Provinciales etiam locales, juxta uniuscujusque Instituti morem, per se vel per delegatum sodalem (qui sacerdotali ordine sit insignitus in clericalibus Institutis), de vita, moribus et conversatione alumnorum, perdurante militari servitio, inquirere omnino teneantur, opera praecipue sacerdotis vel sacerdotum, de quibus supra, per secretas epistolas, si opus sit, ut certiores fiant, an ii rectam fidei et morum viam servaverint, cautelas supra praescriptas et divinae vocationi se fideles praebuerint, graviter onerata eorum conscientia.

VI. Cum a militari servitio definitive dimissi fuerint, recto tramite ad suas quisque religiosas domos remeare teneatur, ibique, si certo constet de eorum bona conversatione, ut in articulo praecedenti dictum est, praemissis aliquot diebus sanctae recollectionis, qui Institutis votorum simplicium addicti sunt, ad renovandam professionem temporariam admittantur; in Ordinibus vero Regularibus, inter juniores clericos seu professos, aut saltem in domo, ubi vigeat regularis observantia, sub speciali vigilantia et directione Religiosi, pietate et prudentia commendabilis, qui in Institutis clericalibus sacerdos esse debet, collocentur. In eo statu integrum tempus (quod minus anno esse non poterit juxta dicta in articulis I et II) ad tramitem Apostolicarum Praescriptionum et propriae Religiosae Familiae Constitutionum praemittendum votis solemnibus vel perpetuis, complere debent, ita tamen, ut computetur quidem tempus in votis simplicibus vel temporaneis transactum a prima votorum emissione usque ad discessum a domo religiosa, servitii militaris causa; non vero quod militiae datum fuit.

VII. Eo tempore, studiis et regulari observantiae dent operam; Superiores autem immediati ac sodales juniorum directioni praepositi eos diligentissime considerent, eorum mores, vitae fervorem, placita, doctrinas, perseverandi studium perscrutentur, ut de eis ante ultimam professionem majoribus Superioribus rationem sub fide juramenti reddere valeant.

VIII. Si qui, perdurante militari servitio vel eo finito, antequam ad professionem solemnem, aut perpetuam admittantur, dubia perseverantiae signa dederint, vel praescriptis cautelis militiae tempore non obtemperaverint, aut a morum vel fidei puritate deflexerint, a Superiore Generali de consensu suorum Consiliariorum seu Definitorum dimittantur, eorumque vota ipso dimissionis actu soluta habeantur. Quodsi ipsi juvenes a votorum vinculo se relaxari desiderent aut sponte petant, facultas fit Superioribus praedictis, tamquam Apostolicae Sedis delegatis, vota solvendi, si agatur de Institutis clericalibus; si vero res sit de Institutis laicorum, vota soluta censeantur per litteras Superiorum, quibus licentia eis fit ad saeculum redeundi.

IX. Hisce praescriptis teneantur etiam ecclesiasticae So-

cietates, quae, licet non utantur votis, neque solemnibus neque simplicibus, habent tamen simplices promissiones, quibus earum alumni ipsis Societatibus adstringuntur.

X. Si quid novi in hoc Decreto non praevisum vel si quid dubii in ipsius intelligentia occurrerit, ad hanc S. Congregationem in singulis casibus recurratur. Quae omnia Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente Subsecretario, rata habere et confirmare dignatus est, die 27 ejusdem mensis augusti 1910. Contrariis non obstantibus quibuscumque.—Datum Romae, ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis de Religiosis, die 1 januarii 1911.—Fr. J. C. Card. Vives, Praefectus. —Donatus Archiep. Ephesinus, Secretarius. (Acta Ap. Sedis, III, 37).

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS ROMANA ET ALIARUM DECLARATIONES DECRETI «INTER RELIQUAS» CIRCA SERVITIUM MILITARE QUOAD RELIGIOSOS SODALES

Edito Decreto «Inter reliquas», die prima januarii superioris anni, respiciente servitium militare a viris Religiosis praestandum, nonnulla exorta sunt dubia, quorum solutio expetita fuit a S. Congregatione de Religiosis, nempe:

I. Utrum vota perpetua emissa ante promulgationem Decreti «Inter reliquas», cessent ipso facto, quando servitium militare activum assumitur?

II Utrum vota temporanea item cessent ipso facto, quando idem servitium assumitur?

III. Utrum valida sit professio solemnis in Ordinibus, et perpetua in Institutis votorum simplicium, emissa in bona fide ab eo qui falso existimavit se a servitio militari exemptum esse?

IV. Utrum valida sit professio solemnis in Ordinibus, et perpetua in Institutis votorum simplicium, emissa antequam completus fuerit annus a die expleti servitii militaris activi?

V. Utrum integer annus defluere debeat, antequam ad professionem solemnem vel perpetuam admittatur ille qui per tres tantum menses servitio militari activo addictus fuit?

VI. Utrum ad professionem solemnem vel perpetuam, admitti possint ii Religiosi qui, servitio militari activo subjecti, firmum tamen habent et manifestant animum sese exteris Missionibus addicendi, in eisque permanendi usque ad tempus a lege civili statutum ad perpetuam exemptionem a servitio militari adipiscendam, ut, verbi gratia, in Italia est trigesimus secundus aetatis annus? Emi autem ac Rmi. Patres Cardinales Sacrae hujus Congregationis de Religiosis, in Plenario Coetu ad Vaticanum habito die 24 nov. 1911, omnibus mature perpensis, respondendum censuerunt.

Ad I. Negative.

Ad II. Negative per se, seu vota non cessare ipso facto initio servitii militaris; posse tamen Religiosos petere votorum dispensationem a prima die militaris servitii, juxta Art. VIII Decreti «Inter reliquas», si perseverare non intendant; si perseverare intendant, in nullo casu novam professionem emittere posse, nisi, expleto servitio militari, etiam si tempus professionis durante servitio militari expiraverit.

Ad III. Negative.

Ad IV. Negative.

Ad V. Negative sed necessarium esse et sufficere in casu trimestre, vel spatium temporis, brevius anno, correspondens tempori in servitio militari transacto.

Ad VI. Negative per se. Concedit tamen Sacra Congregatio ut ultimo studiorum curriculi anno liceat juvenes ad sacras Missiones intra annum profecturos, ad solemnem, seu respective ad perpetuam professionem admittere, et ad sacros Ordines promoveri, emisso prius ex parte candidati juramento de servitio Missionibus praestando usque ad tempus praefinitum a lege civili ad exemptionem obtinendam, et onerata Superiorum conscientia de ejusdem executione.—His autem omnibus et singulis responsionibus relatis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X, in audientia die 6 decembris 1911 ab infrascripto S. Congregationis Secretario habita, Sanctitas Sua easdem approbare et confirmare dignata est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.—Datum Romae, ex Secretaria S. C. de Religiosis, die 1 februarii 1912.—Fr. J. C. Card. Vives, Praefectus.—Donatus, Archiep. Ephesinus, Secretarius. (Acta Ap. Sedis, IV, 246).

Hae dispositiones forte locum non habeant pro illis religiosis, qui servitio militari satisfaciunt in exteris nationbus, prout in Hispania a Gubernio concessum est. De hoc privilegio agit P. Hippolitus a S. Familia, C. D. in Analectis Ord. N. vol. I, pag. 245, asserens «religiosos ex illa Natione (Hispania) non teneri praescriptis Decreti «Inter reliquas» et Declarationis 15 jul. 1919, quoties uno alterove modo effugere poterunt servitium proprie militare».

Notandum quod Decretum «Inter reliquas» S. Congr. de Relig., 1 jan. 1911, de religiosis servitio militari adstrictis, adhuc viget, ut declaravit eadem S. Congregatio 15 jul. 1919, et quod novitii servitio militari adstricti, absoluto novitiatu, vota religiosa temporanea emittant valitura usque ad servitium militare.

Quapropter statuit eadem S. Congregatio ut: 1) vota praedicta cessent eo die quo Religiosus militiae effective adscriptus et disciplinae militari subjectis evadit, vel inhabilis ad militiam absolute et in perpetuum declaratur; 2.° perdurante militari servitio alumnus, quamvis votis religiosis non sit ligatus,

tamen membrum religionis esse perseverat...; attamen potest libere religionem deserere, praemonitis Superioribus per declarationem in scriptis vel coram testibus, quae declaratio caute in Archivo Ordinis vel Instituti servetur; Religio pariter potest eum ob justas et rationabiles causas, dimissum declarare; 3) ad praecavendam autem dubitationem omnem circa professiones, quae forte post promulgationem Codicis J. C. bona fide emissae sunt contra praescriptum Decreti «Inter reliquas», S. Congregatio facultates tribuit Superioribus eas sanandi, dummodo accedat consensus Religiosi in scriptis declarandus ac in Archivis servandus. (Acta A. S. XI, 321).

APPENDIX III

(pro n. 195)

J. † M.

Fr. Hieronymus Maria ab Immaculata Conceptione Praepositus Generalis Fratrum Excalceatorum Ordinis Beamae. Virginis Mariae de Monte Carmelo ejusdemque S. Montis Prior:

Adm. R. P. Patribus Provincialibus Prioribus, Vicariis, Superioribus omnibus, Sacerdotibus et Fratribus Ordinis Nostri salutem in Domino sempiternam.

DECRETUM

Reverendi Patres Gremiales Ven. Capituli Nostri Generalis celebrati Genuae in Conventu Nostro S. Anae mense Majo labentis anni 1889 observantiae regularis integritati laudabili zelo providere volentes, animos praesertim intenderunt ad perfectam vitam communem juxta Constitutiones Apostolicas et nostras, quae Dei gratia in Provinciis Nostris plerumque viget tuendam ac conservandam et ubi opus est restituendam atque firmandam. Animadverterunt praeterea Patres Capitulares: Primo, valde improbandum abusum quo Priores nonnulli Capitulum culparum a regula praescriptum vel omittunt, vel admodum raro habent, cum maximo disciplinae regularis detrimento. Secundo, maxime item deflendam facilitatem, qua quidam Priores aut Vicarii dispensant super quotidiana observantia a legibus statuta, et praesertim super Oratione mentali.

Propterea Ven. Capitulum Nostrum Generale sessione decima tertia habita die 17 Maji labentis anni 1889, deliberavit et constituit conficiendum esse, sicut de facto confecit, expressum et rigorosum decretum, plena et suprema sua in universo Ordine auctoritate intimandum, quo omnibus et singulis Provinciis et Conventibus imponatur exacta, prompta et absoluta executio trium ordinationum ut infra:

I. Perfecta vita communis sarta tecta servetur ubi viget, instauretur ubi nequitia temporum, vel alia quavis ex causa a perfectione defecerit; ita ut quodlibet peculii privati genus omnino supprimatur, et quivis alius abusus circa pecuniae aut quorumcumque temporalium bonorum privatam dispositionem in Conventibus et Domibus omnibus aboleatur et apud religiosos omnes existere desinat.

II. Ad praescriptum Regulae nostrae, Priores fideliter habeant Capitulum culparum, in quo salutares et opportunas instructiones non omittant.

III. Caveant Priores et Vicarii ne facile dispensent in regulari observantia et praesertim super Oratione mentali.

Voluit Ven. Capitulum Generale ut hoc Decretum in singulis conventibus et domibus quater in anno coram tota Comunitate legendum, Vobis suo nomine suaque auctoritate intimaremus quod quidem mandatum per praesentes implemus et paternam benedictionem omnibus et singulis impertimur.

Datum Romae ex Aed. N. N. Generalitiis ad SS. Teresiam a Jesu et Joannem a Cruce die 10 Julii 1889.—Fr. Hieronymus M.ª ab I. Conc., Carmelitarum Exs. Praep. Generalis.

APPENDIX IV

(pro n. 354)

INSTRUCTIO DE CLAUSURA MONIALIUM VOTORUM SOLEMNIUM

Nuper edito ab hac Sacra Congregatione decreto «circa Moniales in Galliae et in Belgio», sub die 23 junii 1923, quamplura monasteria ex illis regionibus alacriter egerunt de obtinenda facultate, qua moniales eorumdem ad vota solemnia profitenda admitterentur; et enixe postularunt, ut de Clausurae Papalis lege, quae talem concessionem consequitur, rite ab hac Sacra Congregatione instruerentur.

Considerans vero eadem Sacra Congregatio, legem clausurae in Codicem juris canonici, receptam ex veteri jure esse depromptam, eamque a S. Pii V tempore servatam, quamplurimis Sacrarum Congregationum responsis communitam et Doctorum elucubrationibus illustratam fuisse, opportunum judicavit ut Instructio promulgaretur, quae veluti norma pro universis monialium monasteriis, in quibus vota solemnia emittuntur, esse queat.

Re igitur mature perpensa, Sacra Congregatio, ea quae sequuntur, circa legem Clausurae Papalis, servanda decrevit:

1. Moniales vi suae professiones et legis ecclesiasticae, contrahunt obligationem.

a) semper manendi intra septa sui cujusque monasterii,

ita ut, sine speciali Sanctae Sedis indulto, inde exire non liceat, salvis casibus de quibus infra (can. 601);

b) nec admittendi intra eadem septa quamcumque personam cujusvis generis, conditionis, sexus, aetatis, sine licentia Sanctae Sedis, nisi persona sit a jure excepta, ut infra (can. 600).

Haec est Clausurae Papalis lex et obligatio, eaque afficit etiam monasteria in quibus monialium numerus quamtunque imminutus sit.

II. Monasterium ergo, una cum adjacentibus hortis et viridariis (can. 597, § 2); ita circumseptum esse debet, quoad fieri potest, nullus sit in ea vel ab iis prospectus externarum personarum (can. 602):

1.º Si quae fenestrae respiciunt publicam plateam vel domos vicinas, vel communicationem cum extraneis permittant, ita vitris opacis vel valvulis (foriculis) muniri debent, ut prospectus hinc inde impediatur.

2.º Si chorus crates habet per quas moniales altare videant, ita crates dispositae esse debent, ut fideles, e loco ipsis reservato, ipsas moniales videre nequeant.

3.º Sedes confessionalis ita disposita sit oportet, ut confessarius extra clausuram, poenitentes vero intra reperiantur.

4.º Locus in quo moniales sacram Communionem recipiunt, ita, sive porta, sive sipario, occlusus esse debet, ut moniales a fidelibus videri nequeant.

5.º Apud januam Monasterii, in sacrario et ubicumque necessarium videatur, rota muro inseratur, per quam res necessariae transmitti possint. Nihil obstat quominus hac in rota parvum foramen sit, per quod videri possit quaenam res rotae immitantur.

6.º Intra limites Clausurae Papalis non comprehenditur publicum templum cum continenti Sacrario, ad quae propterea, sine Sanctae Sedis indulto, moniales accedere nequeunt.

III. Duobus modis lex clausurae violari potest; aut per indebitum egressum monialium e septis monasterii, quocumque praetextu, etiam ad breve tempus, factum (can. 601) aut per indebitum ingresum cujuscumque alius personae sine licentia Sanctae Sedis.

1.º Egressus e monasterio sine licentia Sanctae Sedis monialibus, post professionem, licet solummodo in casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali. Hoc periculum, si tempus suppetat, ab Ordinario loci scripto recognosci debet (c. 601)

a) Talia pericula erunt; incendium, inundatio, ruina fabricae, terrores belli, invasio militum et cetera hujusmodi. Eadem provenire possunt etiam ex parte cujusdam monialis, exempli gratia, dementia periculosa affectae aut morbo epidemico laborantis, quo in casu hujusmodi monialis e clausura recedere debet, ut incolumitati religiosae communitatis con-

sulatur. Si tamen tempus permittat, Ordinarius loci, a monialibus rogatus, periculum et causam sufficientem egrediendi e clausura scripto recognoscere debet.

b) Sine licentia Sanctae Sedis ergo non potest monialis ab uno monasterio ad aliud, etiam ejusdem Ordinis, nec ad breve tempus, transferri, nec exire causa novae fundationis faciendae; nec ut exerceat munus abbatissae seu antistitae aut magistrae novitiarum; nec ad curandam valetudinem; nec ad invigilandum aedificationi novi monasterii. Quae tamen licentiae a Sacra Congregatione, justis de causis et debitis praescriptis conditionibus, concedi solent.

c) Si supra tactum monasterii sit ambulacrum, ad illud accedere moniales poterunt, dummodo cratibus undequaque rite protegatur.

d) Cum saepissime necessitas adsit, ut moniales, propter decorem domus Dei, per seipsas in ecclesia exteriore ea faciant; quae requiruntur ut semper debita munditie et nitore resplendeat, et praecipue in festis majoribus convenienti ornatu decoretur, Sancta Sedes, pro monasteriis id petentibus, antistitae facultatem concedit designandi religiosas, quotquot videantur necessariae, quae tempore quo nemo est in ecclesia et haec omnino clausa manet, in eam descendere possint, ut ea omnia agant quae ad cultum ecclesiae ejusque munditiem pertinent.

e) Quamvis aspirantes ad habitum religiosum, dum postulatum peragunt, lege clausurae teneantur (can. 540, § 3), tamen libere et absque licentiae Sanctae Sedis e monasterio egredi possunt, quando ad saeculum sponte eas redire aut a superioribus dimitti contingat; et idem de novitiis dicendum, aut de professis votorum temporariorum, quando vota expiraverint, vel legitime dimissae fuerint.

2.º Ingressus in monasterio sine licentia Sanctae Sedis, vi can. 600, sequentibus personis licet:

a) Ordinario loci aut superiori regulari monasterium visitantibus, vel aliis visitatoribus ab ipsis delegatis, licet clausuram ingredi dumtaxat inspectionis causa, cautoque ut unus saltem clericus vel religionis vir maturae aetatis eos commitetur. (can. 600, 1.º).

b) Pro sola igitur visitatione locali peragenda visitatori clausuram ingredi licet. Visitatio personalis extra clausuram ad crates fieri debet. Nec Ordinario aut Superiori regulari aut visitatori extra actum visitationis ratione officii clausuram ingredi fas est.

c) Causa explorationis, quae ante vestitionem et utramque professionem ab Ordinario loci vel ejus delegato fieri debet, nec non pro electione antistitae, Ordinarius loci aut ejus delegatus clausuram ingredi non debet. (can. 505, § 2, 552, § 2).

d) Si vestitioni vel professioni monialium Episcopus vel

alius sacerdos praesit, neque ipsis clausuram ingredi, neque postulanti aut professurae ex ea egredi licet.

e) Visitator ingressurus clausuram inspectionis causa ab uno saltem clerico vel religioso, etiam converso, maturae aetatis, comitari debet, qui toto tempore, quo in monasterio moratur, ab eo non discedat.

f) Confessarius vel qui ejus vices gerit, potest, cum debitis cautelis, ingredi clausuram ad ministranda Sacramenta infirmis aut ad adsistendum morientibus (can. 600, 2.º). Haec facultas respicit confessarium ordinarium monasterii, vel qui ejus vices gerit, quibus ex can. 514, § 2, competit administratio Sacramentorum et adsistentia morientibus in monasterio monialium; in horum defectu alius etiam sacerdos clausuram ingredi potest.

g) Ad excipiendas confessiones aegrotantium ingredi clausuram potest, quoties requiratur, non solum confessarius ordinarius, sed etiam extraordinarius vel adjunctus aut confessarius quilibet a graviter aegrotante accersitus, de quo in can. 523 fit sermo.

h) Debitae cautelae adhibendae pro Communione administranda in decreto Sacrae congregationis de Religiosis diei 1.ae Septembris 1912 exhibentur: «Oportet ut quatuor religiosae maturae aetatis, si fieri possit, ab ingressu in clausuram usque ad egressum sacerdotem comitentur, qui sacram pyxidem, aliquas consecratas Particulas continentem, deferre, sacram Communionem administrare, reverti ad ecclesiam, eamdemque sacram pyxidem reponere debet, servatis rubricis a Rituali Romano pro communione infirmorum statutis».

i) Pro Confessione excipienda sequentes cautelae praescribuntur: duae moniales confessarium ad cellam infirmae comitentur ibique ante ostium cellae apertum expectent, dum Confessionem audit, ut redeuntem ad monasterii januam iterum comitari possint.

k) Quandocumque sacerdotem ad supra dicta ministeria obeunda clausuram ingredi contingat, finito ipso ministerio statim e monasterio egredi debet.

l) Si verbum Dei monialibus ad crates commode praedicari non potest, Sanctae Sedis licentia exquirenda est, quae, si graves adsunt rationes eam denegare non solet, ut praedicatores clausuram ingredi et in choro sive in capitulo praedicari valeant, servatis tamen animadversionibus et cautelis pro ingressu confessarii supra descriptis.

m) Possunt clausuram ingredi qui supremum actu tenent populorum principatum eorumque uxores cum comitatu; item Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales (can. 600, 3.º)

n) Antistitae est, adhibitis debitis cautelis, ingressum permittere medicis, chirurgis, aliisque quorum opera est necessaria,

impetrata prius saltem habituali adprobatione ab Ordinario loci; si vero necessitas urgeat, nec tempus suppetat adprobationem petendi, haec jure supponitur (can. 600, 4.º).

o) Antistita ergo, facultate hac ipsa lege a Sancta Sede sibi tributa, potest omnibus personis, quorum opera intra septa monasterii necessaria est, ingressum permittere; prius tamen ab Ordinario loci saltem habitualem adprobationem obtinere debet. Hinc usuvenit ut moniales in principio cujuslibet anni in libro apposito recenseant eos omnes, quorum opera, ut plurimum in monasterio, vel in horto, vel in officinis intra septa monasterii sitis, durante anno, occurret (medicos aut alios ad infirmarum curationem necessarios, operarios pro horto, pro cella vinaria, pro stabulis opifices et alias hujusmodi personas); quem librum Ordinario pro illa habituali adprobatione obtinenda subscribendum praesentent. Si vero in aliquo casu extraordinario necessitas monasterii ingrediendi urgeat, nec tempus suppetat adprobatione ab Ordinario petendi, haec approbatio jure praesumitur, id est ipsa lex hanc praesumptionem ratam habet.

p) Antistitae autem injungitur in omnibus casibus debitas adhibere cautelas. Quae quidem cautelae in hoc consistunt quod personae ingredientes, ex assumptis certis informationibus, sint optimae famae et moribus praestantes, a duabus monialibus, ex gravioribus, ad locum, ubi eorum opera requiritur, comitentur, nec ulli moniali permittatur hujusmodi personas alloqui praeter eas, quae cum illis de eorum officiis agere debent.

IV. Claves clausurae diu noctuque semper sint apud antistitam, quae illas tradet monialibus designatis, quoties opus fuerit. Quod si antistita vel quaelibet alia (1), personam quamcumque sine legitima licentia in monasterium introduceret, vel solum admitteret, non tantum graviter peccaret, sed etiam ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam incurreret. (can. 2342, 1.º).

Adspirantes ad habitum religiosum clausuram ingrediuntur de licentia Ordinarii. Puellas tamen educationis causa vel alia etiam pia causa in monasterium admittere, absque Sanctae Sedis licentia, non licet.

V. In collocutorio, quo moniales, intra limites a Constitutionibus uniuscujusque religionis praescriptos, externas personas recipere possunt, duae debent esse crates, inter se spatio circiter viginti centimetrorum distantes atque muro infixae, ita ut aperiri nequeant. Si Constitutiones id permittant, in collocutorio etiam rota esse potest. Quo vero ad cetera omnia quae ad collocutorium respiciunt, praecipue circa vigilantiam de iis

(1) Corrigenda ergo sunt ea quae ns. 348 et 923 exposuimus, ita ut religiosi et moniales, etiam privati, hanc poenam incurrant, si vel introducant vel admittant illegitime aliquem intra clausuram.

quae ibi fiunt aut dicuntur, Constitutiones uniuscujusque monasterii exacte observentur.

VI. Clausura monialium, etsi regularibus subjectarum, quoad ejus accuratam observantiam, sub vigilantia est Ordinarii loci, qui potest delinquentes contra eam, regularibus viris non exceptis, poenis quoque ac censuris corrigere post delictum et coërcere ne eam violent. Etiam superiori regulari custodiae clausurae monialium sibi subjectarum commissa est, qui moniales aut alios suos subditos, si quid hac in re deliquerint, poenis quoque punire potest.

Facta autem de praemissis relatione SSmo. D. N. Pio div. Prov. PP. XI, in audientia habita ab infrascripto P. Secretario S. Congregationis de Religiosis die 6 Februarii 1924, Sanctitas Sua praesentem Instructionem approbavit et ab omnibus servari mandavit.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die, mense et anno ut supra.

C. Card. Laurenti, Praefectus.—Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., Secretarius.—(Ex Actis Ap. S., XVI, 96).

APPENDIX V

(pro n. 881)

BREVE APOSTOLICUM

INDULGENTIA PLENARIA «TOTIES QUOTIES» CORONAE RECITATAE CORAM SSMO. SACRAMENTO

PIUS PP. XI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Ad Sancti Dominici, Bononiensi in civitate, proximis diebus sollemnissima Conventus Eucharistici habebitur celebratio, quam ad excitandam provehendamque christi fidelium pietatem erga Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum summopere profuturam confidimus. Generalis vero Magister Ordinis Praedicatorum, cum in amplissimam sui Ordinis Basilicam, in qua corpus Fundatoris religiosissime servatur, ipsius Congregationis coetus conveniant, enixis precibus Nos rogat ut peculiari de Thesauro Ecclesiae indulgentia praeclara hac faustaque occasione, christifideles donemus, qui Rosarium Beatae Mariae Virginis, a Patriarcha Sancto Dominico ad honorem Deiparae institutum, ante augustum D. N. Jesu-Christi sub velis Eucharisticis delitescentis Sacramentum recitaverint. Quibus suplicationibus Nos, cognitum ac perspectum habentes, opportunum admodum esse ut hanc Indulgentiam concedamus, quae, cum a Sancto Dominico simul atque a pietate Eucharistica suam originem repetat, Con-

ventus Eucharistici Bononiensis, cujus certo quodam modo praefata Sancti Dominici ecclesia cardo erit, peculiare quoddam mnemosynon ac monumentum exsistat, adnuere statuimus, atque ita praecipua Nostrae voluntatis significatione pii eventus solemnitatem augere. Conlatis igitur consiliis cum dilecto filio Nostro S. R. E. Cardinali Poenitentiario Majore, de omnipotentis Dei misericordia, atque Eius Apostolorum beatorum Petri et Pauli auctoritate confisi, omnibus et singulis christifidelibus, qui poenitentes et confessi ac sacra Communione juxta morem sint refecti, ante Sacratissimi Corporis Christi Sacramentum ad publicam fidelium venerationem expositum, vel etiam in tabernaculo adservatum, tertiam Beatae Mariae Virginis Rosarii partem devote recitantibus, quotiescumque id egerint, Plenariam Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino in perpetuum concedimus. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas, atque efficaces semper exstare ac permanere; suosque atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite judicandum esse ac definiendum, irritamque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, autoritate qualibet, scienter sive ignorantes attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die 4 mense Septembris anno 1927, Pontificatus nostri sexto.

P. Card. Gasparri a Secretis Status.

(Ex Actis Ap. S., XX, 376).

Ex Promptuario Canonico-Liturgico, febr. 1928, pag. 27, sequentia desumimus:

Valde digna est speciali mentione, insignis ista indulgentia qua deinceps quaelibet devota recitatio tertiae partis Rosarii ditatur, quando coram SS. exposito vel saltem coram tabernaculo clauso peragitur. Est tempore *perpetua, loco* universalis nullam visitationem loci qua talis postulat.

Mere requiritur ut tertia pars Rosarii recitetur coram SS. Sacramento. Quamvis autem indulgentia plenaria cuipiam operi annexa semel tantum in die acquiri queat, habetur hic expressa dispositio, canone 928, § 1 praevisa, ut obtineri possit quotiescumque opus praescriptum ponatur.

Requiritur confessio et communio *juxta morem*, i. e. *juxta normam praescritam*: ideo sufficit communio facta in pervigilio vel intra subsequentem totam octavam. Necesse est etiam ut pia mysteriorum meditatio ad singulas decades fiat, sive ante recitationem orationis dominicae vel angelicarum salutationum, sive inter ipsam recitationem. Sin minus, non haberetur forma rosarii qualis a Leone XIII definitur.

CORRIGENDA

Pag.	Linea	Dicit	Lege
18	6	derelicta	derelictae
21	21	n. 9	n. 13
46	37	possitis	positis
57	8	§ 81	§ 1
104	38	uut	aut
106	22	addaur	addatur
117	37	permissa	permissu
121	9	proprietatas	proprietas
215	12	abusos	abusus
249	37	exceptis	excerptis
335	17	Dalia	alia
385	13	religione	religioni
397	22	Current	Curent
399	nota	Nova	Novae
412	15	agaur	agatur
429	27	atenado	atezado
430	26	Anno 1901	1909

INDEX ALPHABETICUS

rerum, quae in toto opere continentur, quaeque per numeros marginales indicantur.

Lineola interducta — indicat vocabulum in principio positum.

A.

ABBAS REGULARIS. Potestas exercendi Pontificalia, 841; ordinandi suos subditos, 851, nota.

ABBATISSA v. Superiorissa: Ad aliud monasterium electa, 365; electio, 568.

ABSENS. In initio Capituli Generalis, 665, vel Provincialis, 692; an pro Capitulo vocali expectandus sit, 701; noviter electus in Capitulo Gen. vel Prov., 680; pro Definitorio Generali, 726; et Provinciali 731.

ABSOLUTIO a censuris R Pontifici reservatis, 865; in articulo mortis et in casibus urgentioribus, 865; a reservatis Episcopalibus, 866; a censuris jure communi Episcopo reservatis, 865; an Praelati Regulares possint absolvere suos subditos a censuris S. Pontifici reservatis, 626; an a casibus, in Codice J. C., Ordinario reservatis 627. —A censuris in O. N. reservatis, 506.

ABSOLUTIO. Ante electiones, 588; in visitatione, 628.

ABSOLUTIO GENERALIS. Pro regularibus et monialibus O N., 917; pro Tertiariis O. N., 891; natura, 892; a quo dari possit, 893; an poenitentia imponenda, 894; formula, 895.

ABSTINENTIA CARNIUM. Textus Regulae, 438; praeceptum, 439; quid veniat nomine carnium, 440; causae excusantes, 441; infirmitas, 442; debilitas, 443; itinerantes, 444; supra mare navigantes, 445; an detur epikeia, 446; est maximi momenti, 447.

ACCEPTATIO ET NON—officii, 681.

ACCESSUS AD MONIALES. Quibus prohibeatur jure communi, 368; jure nostro, 368; quoad Moniales O. N., 369; a quo detur licentia ad—369; servanda in ea danda, 369; servanda quoad usum locutorii apud Moniales O. N , 371.

ACCLAMATIO. Votatio per—677.

ACCUSATIO JUDICIALIS, 962.

ACTIONES dedecentes statum religiosum, 798.

ACTIONES commerciales et industriales, 804.

ADMINISTRATIO BONORUM In O. N. servanda, 223; a Superioribus localibus, 224; quoad quantitatem, 226; et qualitatem, 229; alienare legata, 232; donaria, 232; libros, 232; bona immobilia et mobilia pretiosa, 236; litem movere, 231;

Praeter protestatem requiritur justa causa, 225; expensae ordinariae, 227; quid de refectione aedificii, 228; sensus horum verborum: *pro uno onere,* 229; servanda in domo, ubi non sunt Discreti, 236; ab Officialibus, 234; a Superioribus Majoribus, 235; a Provinciali quoad expen-

sas, quae pertinent ad suum officium, 235; a Procuratore Generali, 235; a Procuratore Provinciali, 235.
Ubinam pecunia servanda, 237; casus excepti, 238 et 239.
Statuta pro custodia voti paupertatis; vita communis, 195; Priores tenentur petere consensum Discretorum, 226; discrimen inter petere consensum et petere consilium, 233.
ADMINISTRATIO BONORUM. Quoad Congregationes religiosas virorum, 796; monialium, 527; quoad Confraternitates, 848.
ADMISSIO POSTULANTIS. De jure communi, 50; de jure nostro, 58; pro Monialibus O. N., 50.
—ad professionem simplicem; de jure communi, 82; de jure O. N., 82; ad professionem sollemnem, 82.
ADVOCATUS. Ofiicium.—Regularibus prohibitum, 798.
AERE ALIENO GRAVATI. Prohibentur ab ingressu Religionis, 43.
AETAS LEGITIMA. *Ad ingressum in religionem:* de jure communi, 46; de jure O. N., 46; a quo in hoc dispensari possit, 46; ad praelaturas regulares, 581; pro electione Superiorissae Monialium, 571; pro confessario Monialium, 526
ALBAE SCHEDULAE. Quomodo computentur, 591.
ALIENATIO. Quoad legata, 232; immobilia et mobilia pretiosa, 212; excommunicatio ob—218; recipere praesumentes, 218; quae bona ecclesiastica, 213; prohibetur eorum alienato absque Beneplacito Apostolico, 212; fieri non possunt alienationes prohibitae inter monasteria ejusdem Ordinis, 215; an repudiatio legati sit—216.
ALTARE. SS. Eucharistia in uno tantum—asservanda, 763; exceptio pro Monialibus O. N. in Belgio, 763, nota; in quo altari asservari debeat, 764;—privilegiatum, 919.
AMBITIO SEU VOTUM NON AMBIENDI, 240.
AMBULATIO. Exitus pro—340.
ANNUNTIANDA. Varia in ecclesiis Regularium, 834.
ANNUS NOVITIATUS. Quamdiu durare debeat, 63; debet esse integer et continuus, 65; interruptio, 65; professio ante expletum — in articulo mortis, 66; prolongatio, 67; quid de Novitiis, qui post—vocantur ad militiam, 67.
ANTERIORITAS. Modus computandi, 593.
APERITIO LITTERARUM, 468.
APOSTASIA A RELIGIONE. Est in O. N. reservata Praeposito Generali, 506—nota.
APOSTATA. Quisnam sit, 121; obligationes, 121; poenae in—122; Ad quid teneantur Superiores erga—121.
APPELLANTES ab Ordinis sententiis ad Superiorem extraneum, 988.
APPELLATIO. Quid, 987; an poenae suspendantur per — 936; statuta de jure communi quoad —987; de jure O. N., 988; quomodo sit facienda, 989.
APPROBATIO. Novitiorum, 73; Professi votorum simplicium, 82; confessarii pro Religiosis O. N , 490; pro Monialibus, 523.
ARCA OBSERATA. Quibus permittatur, 239.
ARMA SPIRITUALIA, 448; delatio prohiblta, 798.
ARS MEDICA prohibita clericis, 798.
ASSERVATIO SS. Eucharistiae in eclesiis Regularium, 762.
ATTESTATIO de oneribus et satisfactionibus Missarum deferenda ad Cap. Prov., 512;—qua declaratur Episcopum non habiturum esse ordinationem, 851.

B.

Benedictio Ecclesiae. An Regulares suas ecclesias possint benedicere, 874; an—paramenta sacra, 875; an usu benedicantur, 876; imaginum sanctorum, 877; formula pro—879.
Benedictio post partum, 878.
Benedictio cum applicatione indulgentiarum, 881.
Benedictio papalis impertienda christifidelibus in ecclesiis O. N., Monialium et Tertiarorum O. N., n. 915.
Beneficium. Quoad novitios, 79; fructus—paroecialis quoad Religiosum, 196; an Regulares—accipere possint, 753.
Beneplacitum Apostolicum pro alienatione bonorum, 212.
Bona in O. N. sint communia, 414; distribuantur per manum Prioris, 415; inspecta necessitate singulorum, 416. Bona immobilia, mobilia pretiosa, ecclesiastica, vide *Alienatio*.
Breviarum. Quoad Regulares, 288; Moniales, 291; Episcopum regularem, 307.
Bulla Sabbatina. Privilegia, 913.
Bulla cruciatae pro Regularibus quoad electionem confessarii, 505.

C.

Caecutiens quoa Missam, Instructio, 883 887.
Calendarium. Quonam—uti debeant Regulares, 289.
Capellanus. Episcopi regularis quoad officium divinum, 307.
Capitulum culparum. Textus Regulae, 421; tempus, 422; agenda in—423; de salute animarum, 424; de culpis Fratrum, 425; obligatio corrigendi defectus, 426; quinam defectus corrigendi, 427; modus in correptione servandus, 427;—*Parvum*, 429.
Capitulum regulare, 660.
Capitulum generale. In O. N. quotuplex, 661.
Ordinarium, 662; quando, ubi, 1.°; compositio, 663, 2.°; obligatio accedendi, 4.°; ordo sedendi, 5.°; suffragia pro—664; agenda in casibus: quo Praepositus Generalis sit absens, 665; quo socius litteras patentes exhibere nequeat, 670; quo vocalis, jam incepto Capitulo, accedat, 671; quo decumbat in conventu, ubi — celebratur, 672; renuntiet voci activae, 673; vel egrediatur causa discordiae, 674; cuinam competat facere propositiones, 675; quomodo dubia solvenda sint, 676; qua ratione ferenda sint suffragia, 677; quid faciendum si quis ambos calculos in eundem calicem injiciat, 591; quomodo computandae sunt schedulae albae, 591; si quis reclamet tempore suffragationis, 677; quid agendum in paritate votorum, 678; si suffragia numero votantium non correspondeant, 566; si numerus votorum in partes aequales dividi nequeat, 679; quamdiu noviter electus sit exspectandus, 680; quid agendum, si quis non acceptet officium, 681, modus procedendi, dum aliquid objiciatur contra electum, 682; agenda a Judicibus, 683.
Notanda circa electiones, 684; animadversio generalis, 1.°; quoad electionem Generalis, 2.°; Definitorum Generalium et Procuratoris Generalis, 3.°
Potestas Capit. Gen., 686; dispensativa, 687; faciendi electiones, 687; erigendi Provincias, 687.
Capitulum gen. extraordinarium, quando celebrandum, 688 690.
Capitulum Provinciale. Quotuplex, 691.
Ordinarium, quando et ubi, 692, 1.°; Gremiales, 2.°; suffragia

pro—3.°; an prorogari possit, 693; advertenda quoad electiones, 694; Provincialis, 1.°; Definitorum Provincialium, 2.°; Sociorum et Substitutorum ad Cap. Gen., 3.°; Priorum, 4.°

Potestas. Cap. Provinc., 695.

Extraordinarium: quando, 696; statuta pro—celebratione, 697.

CAPITULUM CONVENTUALE. Quibus constat, 701; a quo, quando, quomodo convocandum, 701; Secretarius et Scrutatores, 702; propositiones scripto et tempestive faciendae, 702; actorum descriptio et lectio, 702; disciplina servanda, 702; obligatio secreti, 703; liber actorum Capitularium, 703; ejus consensus requiritur ad admissionem ad Novitiatum, 58; ad Novitiorum approbationem, 73; idem Donatorum, 74; ad approbationem in Sacris ordinandorum, 516; ad vineam, silvam, etc. conserendam, evellendam, 232; ad sumptus extraordinarios, 230; ad alienationes, ad debita, 212—214; ad lites, 231; ad Associationes in nostris ecclesiis erigendas, 909, nota; ejus consilium pro admissione ad professionem sollemnem, 82; ei competit electio Vicarii conventus tempore Capit. Prov., 710; electio Socii vel Procuratoris ad Capitulum Provinciale; 710; electio Discretorum, 709; Examinatoris, 709.

CAPUCCINI Decretum pro—circa possesionem bonorum, 222.

CARNES. Abstinentia — 438 448.

CASTITAS. *Virtus,* 176; differt a virginitate, 177; *votum,* 178; quotuplex, 179; gravitas peccatorum contra—180; differentia inter virtutem et votum, 181; praecautiones in O. N. praescriptae in custodiam—182; poenae in violatores—183; in O. N., 183

CASUS CONSCIENTIAE. 833.

CASUS RESERVATI apud Regulares et in O. N., 506; apostasia a Religione, 506, nota; absolutio—in O. N., 506; an Praelati Regulares constituere debeant confessarios facultate ad hoc praeditos, 507.

CELLA FRATRUM. Textus Regulae, 391; singuli habeant—392; supellex, 393; a Priore assignanda, 394; non mutanda, 400; —Prioris, 402; mansio in—404.

CENSURA. De praevia librorum censura, 546.

CENSURA. *V. Absolutio a censuris.* An ferri possit ab Episcopo in Regulares, 267; an — contra Clerigos statuta incurratur a Regularibus, 925.

CHIRURGIA. An Regularibus prohibita, 798.

CHORUS. Quoad clausuram, 344; quot sufficiant ad constituendum—271; officium divinum in —280; apud nos, 293.

CHORISTA. Admissio in O. N. 58; quoad confessionem, 484.

CITATIO REI, 964.

CLAUSURA REGULARIUM. Quid, 317; quo jure statuta, 318; obligatio, 319; quanta sit obligatio, 320; materia gravis in violatione, 321; casus excepti, 322; requisita ad licitum egresum, 323; quid si ad longum tempus, 324; licentia Romam petendi, 325; statuta pro bona custodia, 326; poena in transgressores, 327.

Quoad exitum e claustro in O. N. Statuta, 328; qua ratione permittatur Definitoribus Generalibus, 329; Procuratori Generali, 330; Consultoribus S. Officii, 330; Priori, 331; Definitoribus Provincialibus, 332; confessariis, 333; praedicatoribus, 334; parentes visitantibus, 335; iter agentibus, 336; ambulationem facientibus, 340; procuratori conventus, 341; eleemosynas petentibus, 342; ad mortuos sepeliendos egredientibus, 342: quid Priore seu Vicario egresso, 336.

Quoad ingressum mulierum. Quid sub hoc respectu veniat nomine —343; an chorus et sacristia, 344; a quo designetur, 345; an mutari possit, 345; quo jure prohibitum, 347; mulieres exceptae, 347; poenae in violatores, 347; quid si admittantur puellae septennio minores, 351; finis, 352; an hospitia legi— subdantur, 353; an domus Regulares in missionibus, 801; an mulieres intra—Missae vel processionibus assistere possint, 350.

CLAUSURA MONIALIUM. *Quoad ingressum,* 360; quotuplex, 355; quaenam Monasteria habeant —Papalem, 356; qualis esse debeat, 357; quo jure sit introducta, 358; finis, 359; quibus interdicatur, 360; requisita ad licitum ingressum, 360; ob necessitates spirituales et corporales et ex parte monasterii, 360; cujusnam sit dare licentiam, 360; poenae in violatores, 361; quid si admittantur infantes ante usum rationis, 362.

Quoad egressum: Quid importet, 364; casus excepti, 364; quid de Abbatissa ad aliud Monasterium electa, 36 .; poenae in transgressores — Papalis, 366; Episcopalis, 367.

CLAVARIA. Electio apud Moniales O. N., 572.

CLERICUS SAECULARIS. Quoad ingressum in Religionem, 42 ...8, 43.

COHABITATIO CUM MULIERIBUS, Clericis prohibita, 800; in Missionibus, 801.

COLLOQUIUM CUM MONIALIBUS, V. *accessus ad Moniales,* 368 372.

COMMUNICATIO PRIVILEGIORUM, 810-811.

COMMUNIO. Quoad Regulares: praecepta de jure communi, 508; de jure O. N., 509; fidelibus administranda, etiam tempore paschali et ipso die Paschatis, 765; possunt Regulares communionem paschalem saecularibus ministrare in suis ecclesiis, 766; prima — 767; per modum Viatici hospitibus infirmis, 768; deferre—ad infirmos, 769; an Viaticum saecularibus administrare possint Regulares, 770; an in nocte Nativitatis, 772; ad Viaticum suo parochiano deferendum jus non habet Parochus SS. Eucharistiam extrahendi ex ecclesia Regularium, 771.

COMMUTATIO VOTORUM. Vi privilegiorum, 868-872.

CONCIONATORES. V. Praedicatores, 790-795.

CONFERENTIA CASUUM CONSCIENTIAE, 833.

CONFESSARIUS REGULARIUM. Quisnam sit ordinarius, 479; an Prior respectu hospitum, 481; a quo habeat suam jurisdictionem, 482; an magister novitiorum habeat jurisdictionem ordinariam in novitios, 483; quinam habeat potestatem delegatam, 484; quisnam possit instituere confessarios, 489; in O. N., 490, quid de Priore; 492; ubi confessarii nostri possint audire confessiones Confratrum valide, 493; an Superiores teneantur audire confessiones suorum subditorum, 499; an teneantur aliquos—designare, 486; disposita quoad novitios, 72; quoad Fratres Choristas et Donatos professos, 484; an confessarius saecularis deputari possit a Priore ad audiendas confessiones suorum subditorum, 494; an Superior possit limitare jurisdictionem, 495; auferre eam, 496; an revocare ad examen, 497; an indigeant confessarii licentia Episcopi ad confessiones Fratrum audiendas, 498; non utendum scientia confessionis, 500.

Electio confessarii: quinam possint eligere, 501; quoties reli-

giosi teneantur instituere suam confessionem, 502; an possint eligere extraneum, 503; an possint eligere simplicem sacerdotem, 488; tempore jubilaei, 504; vi Bullae Cruciatae, 505

Quoad casus reservatos. Potestas reservandi. 506; casus reservati in O. N, 506; apostasia a Religione, 506, nota; absolutio ab eis, 506; an Superiores teneantur constituere—facultate a reservatis absolvendi. 507.

CONFESSARIUS QUOAD SAECULARES. Servanda quoad approbationem in O. N., 490; a quo habeat jurisdictionem, 782; an revocare, 784; an ad examen revocare, 785; materia hujus examinis, 787; quisnam censeatur generaliter idoneus, 788; quaenam causa concernat confessiones, 789.

CONFESSARIUS QUO AD MONIALES, 518; Ordinarius, 518; extraordinarius, 520; ad casum, 521; pro graviter aegrotantibus, 522; approbatio, 523; qualitates, 526.

CONFESSIO REI, 966.

CONFRATERNITAS Erectio ab Episcopo, 845; a Generalibus Regularium, 847; ab hisque servanda, 848; consensus Ordinarii, 1.°; statuta confraternitatum, 2.°; eleemosynae, 3.°; unica in eodem loco, 845; quoad communicationem indulgentiarum, 845; quoad assistentiam Ordinarii actibus — 845; administrationem bonorum, 848; quoad fidelium receptiones, 849; erigenda in ecclesia Monialium, 845.

CONFRATERNITAS S. SCAPULARIS B. M. V DE MONTE CARMELO Cuinam competat — erigere, 909, 1.°; conventio inter Patres Discalceatos et Calceatos quoad erectionem — 909, 2.°; transmitenda pro erectione — ad Generalem. 910; nomina inscribenda, 911; privilegia, 913.

CONGREGATIO RELIGIOSA. Erectio—21;—virorum quoad subjectionem Episcopis, 796; item Monialium, 527.

CONSENSUM et consilium petere, 233.

CONSILIA EVANGELICA, 4.

CONSTITUTIONES. Obligatio eas servandi, 475; approbatio, 472; in forma specifica, 473; quomodo obligent, 474; subjectum, 475; differunt ab Ordinationibus Superiorum, 476; quomodo observandae, 477; poenae in Superiores observationem — non curantes, 478; potestas Capituli Generalis circa—686.

CONSULTOR S. Congregationis, quoad exitum e claustro, 329.

CONVENTUALITAS. Statuta quoad —704-707; in ordine ad electionem Socii ad Capitulum Provinciale, 707; Fratrum—seu filiatio, 704-707.

CRIMINA. Quaenam arceant ab ingressu in Religionem. 42 .... 6.°; a praelaturis Regularibus. 581; denuntianda in visitatione regulari, 647; in judicio regulari, 948.

CURA ANIMARUM. Statuta quoad subjectionem Regularium Episcopo, in his quae ad —spectant, 746; a Constitutionibus nostris, 750; quoad Regulares Missionarios, 741.

D.

DEBILITAS CORPORIS. Causa excusans a jejunio, 433; ab abstinentia, 443.

DEBITA. Quoad ingressum in Religionem, 43; contracta a religiosis, 210.

DEFECTUS. A postulante celati in O. N., 45; in Capitulo culparum corrigendi, 427; a Superioribus corrigendi, 426; modus in —corrigendis, 427.

DEFINITORES. Quid et quotuplex sit—712; an Definitoriatus sit dignitas, 713; quale votum ha-

beant, 714; quomodo votum—petendum sit, 715; an teneantur in Definitorio aperire suam sententiam, 716; an servare secretum, 717; quomodo peccent non servando secretum, 718.

DEFINITORES IN O. N. GENERALES. Electio, 684 .. 3.°; obligationes; 719; jura, 721; quoad exitum e claustro, 392 et 721; quoad litteras, 721, 4.°.

—*Provinciales.* Electio, 694, 2.°; obligationes, 720; jura, 722; quoad litteras, 723; simul possunt esse Supriores, 722; non potest esse Procurator Provincialis, 235.

DEFINITORIUM GENERALE. Statuta quoad compositionem, 724; ejus auctoritas, 724-725; convocati, 726; quid si absit aliquis Definitor, 726; propositiones a quo faciendae, 727; quid si Praepositus Generalis versetur extra Italiam, 728.

—*Provinciale,* ex quibus componitur, 729; celebratio, 731; ejus auctoritas, 729-737; quid in absentia Provincialis vel alicujus Definitoris, 731; modum subscribendi, 731; expediendi et executioni mandandi, 731.

DELICTUM An occultum revelandum Superiori, 161; quaenam sint denuntianda in visitatione regulari, 647, in judicio regulari, 948.

DELINEAMENTUM. Non mutandum, 641... 5.°.

DELINQUENTES EXTRA CLAUSTRA. An puniri possint ab Episcopo, 267.

DENUNTIATIO. Notanda quoad—963; quomodo denuntiatio judicialis differat ab Evangelica, 964; quaenam crimina denuntianda sint, 965; quomodo fieri debeat, 966; quomodo judex se gerere debeat, facta denuntiatione, 967.

DEPUTATIO. Parochi regularis: cuinam competat, 746.

DIES FESTI. Ab Episcopo praescripti in ecclesiis Regularium celebrandi sunt, 836... (c.

DIMISSIO. Professi votorum simplicium, 124; cuinam competat facere—125; non fiat nisi ob justas causas, 126; forma adhibenda, 130; an dimissi sint suspensi, 127-135.

DIMISSORIAE. Ad Ordines suscipiendos quoad Regulares, 852; quoad Congregationes religiosas, 852.

DISCIPLINA. Quoties sumenda, 555.

DISCRETUS. Electio primi, 729; secundi et tertii, 709; deficiente—a Provinciale alius substituendus est, 709.

DISPENSATIO *Quoad vota Religionis:* per indultum saecularizationis, 113; per dimissionem, 127; Monialium, 129.

—*Quoad alia vota:* Praelati cum suis subditis, 622; confessarii Regulares cum poenitentibus, vi privilegiorum, 868, II; in voto de jure tertii, 869; an extra confessionem, 870; an requiratur justa causa, 871; quid si illa non adsit, 872.

—*A juramento,* 873.

—*Super irregularitate:* Regulares cum suis subditis, 624; cum saecularibus, vi privilegii, 876; in Visitatione, 625.

—In officio divino, 620; in jejunio, 434; in Regula et Constitutionibus, 621; in delatione habitus religiosi, 262.

DISPERSI. Statuta quoad Religiosos — 137, quoad reditum ad monasterium, 138.

DISTANTIA. Prioralis, 336; Provincialis, 337; quoad Confraternitates, 845.

DOMUS. Erectio novae—30; debita custodia non destituatur, 557.

DONARIA. Quoad alienationem, 232.

DONATI. Quoad admissionem, 59; quartum votum, 252-255; officium divinum, 302.

Dormitorium. Clausum quoad novitios, 62; conversos, 62.

Dos. A Monialibus solvenda, 53; quantitas, qualitas et tempus solutionis, 53; in quibusnam bonis sit investienda, 54; quoad Moniales O. N., 53.

E.

Ecclesia. Reconciliatio, 874; partes Episcopi in visitatione —regularis, cui annexa est cura animarum, 747

Egressus Ob necessitatem parentum, 44; per indultum saecularizationis, 113; exclaustrationis, 112; per transitum ad aliam Religionem, 106; per promotionem ad Episcopatum, 115; per fugam, 118; per apostasiam, 121; per dispersionem, 137; per dimissionem, 123.

Electio. Natura, 563; forma, 564; quomodo fiat de jure communi electio Praelatorum Regularium, 564; — apud Moniales, 568; quisnam praesidere debeat in electione Priorissae, 569; quaenam jus suffragii habeant in—Priorissae, 570; notanda in ejus electione, 571; notanda in—Suppriorissae et Clavariarum, 572.

De electoribus: quinam sint, 573; vocandi, 574; an teneantur ad electionem convenire, 575; an absentes possint constituere procuratorem, 574; quinam suffragium ferre nequeunt, 576; de jure O. N., 578; quomodo procedendum, dum aliquid contra—delatum fuerit, 579; quoad attestationem de satisfactione Missarum, 580.

De eligendis. Requisita, 581; de jure O. N, 581; quid de non frecuentantibus chorum, 583.

De circumstantiis electionis. Quo tempore, 584; tractatus consultorii, 585; electio magis idonei, 586; quid de juramento ante electionem, 587; quoad absolutionem praemittendam, 588; secretum servandum, 589; quomodo vota revelantes peccent, 590; qualia vota esse debeant, 566; effectus suffragii inutilis, 591; quot vota requirantur ad electionem, 592; quisnam sit professione antiquior, 593.

De vitis electionis Quaenam vitia invalidare possint electiones, 594; simonia, 595; poenae, 598; violatio libertatis, 603; metu extorta, 604; per laicorum immixtionem, 605.

De jure electi. Quale jus electo per electionem acquiratur, 608; quando requirendus sit consensus electi, 609; an electus respuere possit praelaturas, 610; confirmatio, 611; intra quod tempus debeant Priores, Vicarii et Suppriores possessionem personaliter accipere, 612; an electus possit administrationem suscipere ante confirmationem, 613; quomodo Provincialis absens confirmatur, 614; an Superior possit confirmationem electo denegare, 615.

De poenis male eligentium. An electio indigni sit valida, 616; poenae in eligentes indignum, 617; ad quem pertineat electio, quando eligitur indignus, 618.

Electiones. In Capitulo Generali, 684; Provinciali, 694; conventuali, 709; in Congressu Semiprovinciae, 699; in Definitorio Generali, 725; Provinciali, 729.

Eleemosyna, exitus ad—petendas, 342

Epilogus Regulae, 469.

Epikeia. In esu carnium, 446.

Episcopus. Quoad ingressum in Religionem, 42... 7; Regularis, 115; obligationes quoad votum paupertatis, 117; obedientiae, 116; ad monasterium reversus, 118; quoad Breviarium, 307.

—*Potestas* in Regulares exemptos, 834; in non exemptos, 829;

in Moniales, 527; in Religiosos delinquentes extra claustra, 267; quoad expositionem SS. Sacramenti, 774; quoad approbationem confessarii, 782; praedicatoris, 790; quoad Ordines Regularibus conferendos, 851.

EREMUS. Licentia ad — invisendam, 638... 18.°; excommunicatio in mulieres — ingredientes, 347.

EUCHARISTIA. In ecclesiis Regularíum servanda, 762; in quonam altari, 764; privilegium Monialibus O. N. in Belgio concessum, 673. nota; fidelibus ministranda, 765; qua hora, 772.

EXAMEN. Ante suscepcionem habitus et professionem apud Moniales, 49; concionatoris in O. N., 790; ab Episcopo, 790; confessarii in O. N., 490; ab Episcopo, 785-787; quinam censeantur generaliter indonei, 788; ad Ordines suscipiendos, 515-853: studentium, 543.

EXAMINATOR. Electio, 709.

EXAMINATORES SYNODALES, 330... 3.°.

EXCEPTIO CONTRA JUDICES, 944.

EXCOMMUNICATIO. Speciatim ad Regulares spectantes, 923; alienantes bona ecclesiastica, 213; in libros prohibitos legentes, 554; contra mulieres clausuram violantes 340; contra violantes clausuram Monialium, 361.

EXEMPTIO. *Notio*, 826; quinam Regulares sint exempti, 827; an degentes in parvis conventibus, 828; in locis missionum, 828, 2.°; dispersi, 137; quoad Congregationis virorum votorum simplicium, 829; renuntiatio, 830; utilitas, 831, 1.°; natura et causae, 831, 2,°; varii casus, in quibus Regulares Episcopis subduntur, 834.

EHORTATIO. Prioris ad humilitatem, 464;—Fratrum, ut Priorem suum honorent, 466; ad opera supererogatoria, 469.

EXITUS. *e Claustro. V. Clausura*, 317.

EXPENSAE. Ordinariae et extraordinariae, 227-228.

EXPLORATIO voluntatis adspirantis mulieris ante novitiatium et professionem, 49.

EXPOSITIO SS. SACRAMENTI. Quotuplex, 773; privata, 774; sollemnis, 774, 2.°; an requiratur licentia Episcopi, 774, 2.°; casus excepti, 774, 2.°.

EXPOSITORES. Regulae O. N., 384.

Extra domum propriae Religionis ne degant subditi, 338.

F.

FAMULI REGULARIUM. Quod spectat ad exemptionem, 827, 3.°; quoad confessionem, 486; communionem paschalem, 766; sepulturam, 859.

FESTA. Ab Episcopo indicta, quomodo a Regularibus sint celebranda, 836—c).

FIDES, Missarum, 580; Professio Fidei, 611.

FILII. An—invitis parentibus in Religionem ingredi possint. 38; an — haereticorum, 42; an — quorum parentes necessitate premantur, 43; an ob necessitatem parentum claustro egredi teneantur, 44.

FORMALITATES. Servandae quoad actus Capitulares conventuales, quum aprobatione indigent auctoritatis Superioris, 236.

FORMULA. Benedictionis papalis, 995; S. Scapularis, 907; absolutionis generalis pro Tertiariis, 895; pro regularibus et Monialibus, 917.

FUGITIVI. Quinam censeantur— 119; poenae in—de jure communi, 120; de jure O. N , 120; obligationes, 119.

FUNDATIO. Missarum, 513.

FUNERA. Regularium, 859.

FURTUM. Gravitas materiae ratione sacrilegii, 207, 2.°; ratio-

ne injustitiae, 207; an furtula coalescant, 209.

G.

GENERALIS. *Potestas* — legislativa, 632; dispensativa, 633; coërcitiva, 636; electio, 669; dispensat bona ratione officii, 235-634; religiosi vocati a—tenentur accedere, 339.
GRADUS ACADEMICI. An Regulares ad—promoveri possint, 756.
Gubernatio Regularium, 619.

H.

HABILITAS REGULARIUM. Ad munia ecclesiastica, 744.
HABITUS. Admissio ad—de jure communi, 58; de jure O. N., 58, 2.°; quoad Donatos, 59; Moniales, 59;—proprius Religionis, 60; obligatio deferendi —262; quid importet haec obligatio, 263; quomodo peccet deponens habitum, 264; assumens vestem femineam ad repraesentationem faciendam, 265; tradens saeculari ad ludum profanum, 266; quisnam possit dispensare in delatione—272; Religiosus non deferens—ab Episcopo puniri potest, 267; statuta in O. N. quoad delationem—268.
HAEREDITAS. An Religiosus disponere possit de—103; quid de — obveniente post professionem, 104.
HAERETICI. An post eorum conversionem ad Religionem admitti possint, ipsorumque filii, 42, 1.°.
HORA. Incipiendi matutinum, 316; celebrandi Missam, 780.
HORAE CANONICAE. V. Officium divinum, 269-408.
HORTUS. Quoad clausuram, 317.
HOSPITES. Quoad confessiones faciendas et audiendas, 485-493; suffragia pro religiosis defunctis hospitibus, 530.
HUMILITAS. Votum — relate ad Choristas, 240; ad Donatos, 252.

I.

IDONEUS. Magis—in materia electionis, 586; ad audiendas confessiones, 788.
ILLEGITIMI. Quoad ingressum in religionem: de jure communi, 43, nota 1; de jure O. N., 45; quoad primam Tonsuram et Ordines minores et Majores, 43, nota 1; et praelaturas regulares, 43, nota 1.
IMPEDIMENTA. Quoad ingressum in Religionem: de jure communi 42-43; de jure O. N., 45; ad praelaturas regulares, 576-577-578.
INCORREGIBILES. Quinam censeantur, 120.
INDICIA. Notio, 972, levia, 2.°; gravia, 3.°; gravissima, 4.°; insufficiencia, 5.°.
INDULGENTIAE. Indulgentiarum libri omnes ne edantur sine licentia Ordinarii loci, 547; ne pervulgentur, 837, K); O. N. concessae, 915; S. Schalae, 919, 6.°; objecta pia, quibus annectuntur, 881; pro appellantibus Carmelitas Fratres B. M. V. de Monte Carmelo, 916, 7.°.
IDULTUM. Saecularizationis, 113; celebrandi Missam votivam B. M. V., 919, 2.°.
INFAMATIO. Requisita ad instituendam specialem inquisitionem, 971.
INFAMES. An arceantur a praelaturis, 576.
INFANTES. In clausuram monialium admissae, 362.
INFIRMITAS. Causa excusans ab abstinentia carnium, 443;—impedimentum quoad ingressum in O. N.. 45.
INFIRMUS. Servanda ut curetur apud extraneos. 638, 10.°; num ad lucrandas indulgentias ecclesiam teneatur visitare, 848; vo-

calis Capituli Gen. vel Prov, 672; Conventualis, 701; ad balneares aquas ne pergant, nisi ex magna necessitate et de speciali licentia Praepositi Generalis, 634, 9.°.

INGRESSUS. In Religionem, 46;—mulierum in clausuram, virorum, 347;—in clausuram Monialium, 360.

INHABILITAS. Ad officia et dignitates, 930; contra quosnam statuatur, 932; num ad incurrendam—requiratur sententia judicis. 933.

INQUISITIO. Generalis, 968; specialis, 970; mixta, 973.

INSCRIPTIO. Ad confraternitatem, 849; ad confr. B. M. V. de M. Carmelo, 911.

INSTITUTA RELIGIOSA. Institutio novarum Religionum, 20.

INTERSTITIA. Relate ad Sr. Ordinationem, 854.

IRREGULARITAS. Potestas dispensandi in—a Praelatis Regularibus cum suis subditis, 624; in fine Visitationis, 625; ante electiones, 588; a Confessariis Regularibus cum saecularibus, 867; ex defectu natalium cessat per professionem sollemnem, 43, nota 1.

ITINERANTES. Relate ad licentiam sumendi pulmentum coctum cum carnibus, 444; ad distantiam Prioralem, 336; Provincialem, 337.

J.

JEJUNIUM FRATRUM. Textus Regulae, 430; praeceptum—431; quando jejunandum sit, 432; exceptiones, 432; natura — 432; quoad delectum ciborum, 432; quantitas et qualitas in collatione. 432; causae excusantes, infirmitas vel debilitas corporis, 433; aut alia justa causa, 434; ante 21^{m} aetatis annum, 435; sexagenarii, 436; poenae in transgressores, 437.

JUBILAEUM. Quoad confessionem, 504.

JUDEX REGULARIUM, 959; ordinarius, 960; recusatio, 961; quomodo se gerere debeat in denuntiatione, 950; in dubio de infamia, 954; quomodo interrogare debeat testes, 962; et reum, 965; quid perpendere debeat ante sententiam. 967.

JUDICIUM REGULARE, 958.

JURAMENTUM ANTIMODERNISTICUM, a quibus praestandum, 658.

JURAMENTUM. Magis idoneum eligendi, 587.

—*Secreti servandum* a Capitularibus in Capitulo vocali, 703; a Gremialibus Capituli Generalis, 666; et Capitul Provincialis, 692; secreti et fidelitatis ab Scrutatoribus, 669; a Definitoribus Generalibus et Provincialibus, 717.

—*Fidelitatis praestandum* a Secretario Capituli Generalis, 666; et Capituli Provincialis, 692; quomodo peccet, qui violat secretum juratum, 718; a Secretario Definitorii Gen. et Prov. 687.

—A Missionariis praestandum, antequam discedant e conventu 257.

JURISDICTIO. Relate ad audiendas Confessiones Regularium, 479-489; delegata apud nos, 490; saecularium, 782; limitatio et revocatio, 495-496-783-784.

L.

LABOR. Textus Regulae, 449; an praecipiatur, 452; an sit manualis, 453; finis—454; a Superiore imponendus, 455; quomodo sit laborandum, 456.

LARGITIO MUNERUM, 211-236.

LAUDATE DOMINUM OMNES GENTES, recitatum post officium divinum, 315.

LECTIO. S. Scripturae in refectorio, 399;—de decretis Aposto-

licis, de Constitutionibus nostris, 659-383.
LECTORES. Designatio — 538; quae spectant ad occupationes —537;—ab officio chori dispensati, 539; quoad doctrinam tradendam, 540; quoad methodum servandam, 541.
LEGATA. V. *Alienatio*, 232, repudiatio, 216.
LIBRI. Typis mandandi. Statuta a Codice J. C. et a Constitutionibus nostris, 545; quoad—liturgicos et Collectiones Decretorum S. Rituum Congr., 547, quoad approbationem Ordinarii loci, in quo publici juris fiunt, 546; a Regularibus, 546.
Facultas legendi—prohibitos, 553.
Prior non potest alienare libros, 232.
LITTERAE. A Superiore legendae, 468; directae ad Capitulum Generale vel Provinciale, ad Definitorium Gener. et ad Definitorium Prov., 685; ad Definitores Gen. et Prov. ad Procuratorem Gen., 469; ad Socios vel Procuratores Capit. Prov. 710; omnibus Religiosis ad suum Superiorem, 468;—scribendae et accipiendae a mulieribus religiosis, 468.
LITTERAE DIMISSORIAE quoad Ordines suscipiendos, 852; quoad novitios, 80; et simpliciter professos, 515.
—*Testimoniales:* quoad ingressum in Religionem, 47; quaenam continere debeant, 48; a quo petendae sint, 47; quid faciendum in casu denegationis, 48; an requirantur sub poena nullitatis, 48; poenae in contrafacientes, 48.
LITTERAE PATENTES. Socius ad Capitulum Gen. vel Prov. absque—670.
LOCUTORIA. V. *Accessus ad Moniales*, 368.
LUDUS. An prohibitus, 798; Religiosus pecuniam ludo exponens, 202.

M.

MAGISTER NOVITIORUM. Electio seu designatio, 69; aetas, 68; qualitates, 68; potestas, 70; audiendi confessiones novitiorum, 72.
—spiritus studentium est Suprior, 537.
MANSIO IN CELLULA, 404 406.
MANUSCRIPTA. An sint materia voti paupertatis, 189.
MATRIMONIUM. Impedimentum quoad ingressum in Religionem, 42, ...4; attentantes — 923, ...3.°
MATRINA. Quoad Moniales, 798.
MEDALIA Est materia voti paupertatis, 188; loco scapularis, 904.
MEDICUS. An Regulares implere possint partes—798; quoad ingressum in clausuram Monialium, 460, ...4.°
MINISTERIUM SACRUM. An Regulares possint exercere — 798; refelluntur errores eorum, qui hoc negant, 761.
MISSA CONVENTUALIS. Apud nos, 297, 420; apud Moniales, 292.
—*Audienda* a Fratribus O. N., 420;
—*Celebranda*. Juxta praescripta a legibus nostris, 511; quae spectant ad—fundatas, 513; ad libros, 514; ad clavem capsae eleemosynarum—512; ad fidem de satisfactione — 512; ad locum celebrationis, 775; ad horam, 780, ad facultatem admittendi sacerdotes extraneos ad —celebrandas, 779; ad taxam synodalem, 781.
—*Votiva* B. M. V. de M. Carmelo, 919, 2.°; ex indulto, 883.
—*Ternarii*, 919, ...4.°
—*Applicanda* pro Defunctis O. N., 530.
MISSONARII REGULARES. Statuta quoad—751; litteras patentes propriae destinationis exhibeant Vicariis et Praefectis Apostolicis, a quibus multiplici

ratione dependent, 751; quoad curam animarum, sacramentorum administrationem, etc., 751;—In O. N. emittere debent juramentum fidelitatis, 257.
Missiones. Forma voti eundi ad —257;quid veniat nomine—258.
Mobilia. Pretiosa, 212; mediocris pretii, 214;
Monasterium. Quid nomine—veniat, 29; erectio, 30; quoad nos et Moniales, 30, 2.°
Moniales. Quoad vota sollemnia in Gallia, 10; in Belgio, 11; an sint Religiosae proprie dictae, 11; quoad dotem, 53; examen ante indutionem et professionem, 49; dispensationem a votis simplicibus, 113; officium divinum in choro, 291; privatim, 303; Breviarium, 291; Missam conventualem, 292; visitationem, 360; confessarios, 518; administrationem bonorum, 527; sepulturam, 860; privilegium Monialibus O. N. in Belgio concessum, quoad asservationem SS. Eucharistiae, 763; nota; et litteras, 468; poena in —introducentes et admittentes externos in clausuram, 361; et egredientes e clausura, 366; quid si infantes ante usum rationis in clausuram admittant, 362.
Mulieres. Cohabitatio cum—quoad Clericos, 800; et Missionarios, 801; familiaritas cum—vitanda, 182.
Munia ecclesiastica. An Regulares sint habiles ad—744; an sint habiles ad munus parochiale, 745; quaenam extra Ordinem apud nos acceptari possint, 752.

N.

Navigantes. Supra mare quoad esum carnium, vi Regulae N., 445; privilegium celebrandi supra mare sacerdotibus O. N. concessum, 775.
Negotiatio. Quid et quotuplex' 802; an et qualis sit Clericis prohibita, 803; quid de emptione actionum et obligationum, 804.
Novitiatus. Statuta quoad habitum, 58; locum, 61; qualitatem loci, 61; Patres in—degentes, 61-62; tempus—63; qualis annus—requiratur, 63; quid si interrumpatur, 65; privilegium emittendi professionem ante annum completum — 66; quoad prorogationem—67; et disciplinam in—servandam, 71; an—peragi possit partim in uno et partim in alio conventu, 65.
Novitius. Informatio Choristarum, 71; Conversorum, 71; de jure O. N., 71.
Approbatio — Choristae, 73; et Donati, 74; obligationes admittentium ad professionem, 75.
Obligationes—76; an possit discedere, 77; an tunc teneatur solvere expensas, 78.
Jura—quoad renuntiationem bonis, 79; quoad beneficia, 94.
Privilegia—quoad Ordines suscipiendos, 80; confessiones faciendas, 72; exemptionem, 80; et sepulturam, 858.
An Moniales dependeant ab Episcopo quoad admissionem novitiarum, 49, 529.

O.

Obedientia. *Qua virtus,* 146; gradus, 147.
Quoad votum, 148; est praecipuum inter vota, 149; ad quid teneatur Religiosus vi—150; an Superiorissa possit praecipere in virtute S.—152; an Religiosus teneatur obedire vi — officialibus, 153; an votum—sit aequale in omnibus Religionibus, 154; objectum— 155; quando graviter obliget, 156; quot peccata commitat transgrediens — 157; an Religiosus teneatur obedire suo Superiori praecipienti ob-

servantiam regulae primitivae, 158; an Superior imponere possit actus internos, 159; poenas subeundas, 160; et delicta occulta revelanda, 161; an Religiosus teneatur obedire in dubio de potestate Superioris vel de liceitate actionis praeceptae 162; et dignitatem imponenti extra Ordinem, 163.

OBEDIENTIA *in O. N. praestanda:* partes—164; quando transgrediatur Religiosus noster—165; de modo praeceptum — impo nendi, 166; quinam Superiores et quibus imponere possint praeceptum, 167; an electo imponi possit praeceptum acquiescendi electioni, 681; poena subeundi etsi recursus fiat ad Superiores Majores, 170; an Religiosus teneatur obedire suo Superiori immediato, si habeat aliquam licentiam a Superioribus Majoribus in contrarium, 171; quomodo Praelati inferiores debeant obedire Praelatis suis Superioribus, 172; quomodo Religiosi nostri observare teneantur — Superiori promissam, 173; poenae in transgressores, 175; commendatur in Regula, 389, 468.

OBEDIENTIA *Religiosorum, qui extra claustra vivunt:* Exclaustrati, 112; saecularizati, 113, Episcopus Regularis, 116; fugitivi, 119; apostatae, 121; dimissi, 123—137.

OBLIGATIONES *Religiosorum.* Permanendi in Religione, 105; tendendi ad perfectionem, 139; ortae ex votis, 142; ex legibus ecclesiasticis, 262; ex Regula, 373; Praelatorum,

OBLIGATIONES. V. *Negiotiatio,* 802.

OFFICIALES. Quoad votum obedientae — praestandae, 153; et paupertatis, 234.

OFFICIA et dignitates: Quid importet privatio—929.

OFFICIA. Apud nos extra Ordinem exercenda, 330, ...3.°

OFFICIUM *divinum:* Quo jure teneantur Regulares ad—in Choro, 269; obligatio—270; quot requirantur ad chorum constituendum, 271; causae excusantes ab officio chorali, 272; quisnam in ea possit dispensare, 273; occupatus in ministerio chori aliquam partem omittens, 274; pulsans organum, 275; tardius veniens, 276; non percipiens ob strepitum vel surditatem, 277; submissa voce tantum recitans partem suam, 278; non attendens ad alteram partem, 279; ubi recitandum sit—280; de modo recitandi—alternatim, 281; vocaliter, 282; alta voce, 283; integre, 284; ordinate, 285; continue, 286; devote et attente, 287.

Quoad Breviarium, 288; Kalendarii auctoritatem, 289.

Moniales quoad chorum et Kalendarium, 291; et Missam conventualem, 292.

OFFICIUM *divinum chorale apud nos:* An Religiosi nostri, vi Regulae, teneantur ad—293, 409; quid de Choristis votorum simplicium, 301, 409; statuta de Matutinis media nocte dicendis, 294; de Missa conventuali, 297; de conventibus studiorum, 298; canenda in variis conventibus O. N., 299.

OFFICIUM *divinum quoad privatam recitationem.* Pro sollemniter professis, 300, 409; pro simpliciter professis, 301, 409; pro donatis, 302, 410; pro Monialibus, 303; et O. N., 304; pro indultariis extra claustra degentibus, 305; pro fugitivis et apostatis, 306; quoad Breviarium pro Episcopo regulari, 307; et Kalendarium pro Religioso extra claustra versante, 308.

Privilegia: Mentaliter—recitare, 309; longiora officia anticipare,

311; in paucas preces mutare, 311; mutare in officium conversarum, quoad Moniales, 312; celebrationi Missae postponere, 313; indultum Pii X pro religiosis et Monialibus, O. N., 314; ob somnolentiam non debent Moniales repetere—, 314; oratio *Sacrosanctae,* 315; et Laudate Dominum omnes Gentes, 315.

Quoad horam incipiendi Matutinum, 316; indultum Bullae Cruciatae pro privata recitatione —316.

ORATIO. Praeceptum—406; quomodo observandum, 407.

ORATORIUM. Construendum, 418; conceditur—privatum Religiosis dispersis, 137; item et Monialibus, 137, ...8.°; relate ad Missam celebrandam in — 776; an Episcopus concedere possit ut Missa celebretur in—777.

ORDINATIONES Statuta a Constitutionibus O. N., 515; an consensus Capituli conventualis requiratur pro Ordinibus minoribus, 516; approbatio quoad mores, 517.

Statuta a Codice J. C.: a quonam Episcopo ordinandi sint Regulares, 851; quisnam sit proprius Episcopus respectu Regularium, 851; an Abbates possint suis subditis conferre Ordines minores, 851, nota; quid si Episcopus dioecesanus non habeat —851; *quoad dimissorias,* 852; professis simplicibus temporariis tantum ad primam tonsuram et Ordines minores, 852; an Regulares possint ordinari extra tempora, 852; quoad examen, 853; quoad interstitia, 854; quoad titulum, 855; quoad aetatem, 855; et obedientiam Episcopo promittendam, 855; poenae in delinquentes circa sacramentum Ordinis, 856; in receptione sacramenti Ordinis, 857.

ORDO RELIGIOSUS. Institutio, 20.

P.

PARAMENTA. Benedictio — 875; an usu benedicantur, 876.

PARENTES. An peccent qui avertunt filios a Religione, 40; an necessitas parentum arceat filios ab ingressu in Religionem, 43, ...4.°; an filii teneantur egredi e claustro ad sucurrendum parentibus, 44.

PAROCHIALE *munus.* An Regulares sint habiles ad 745.

PAROCHUS *Regularis.* Quoad fructus beneficii, 196; curam animarum exercens, 746; deputatio, 746; auctoritas Episcopi in —747; partes Episcopi et Superioris Regularis in amotione —748; socii cum—749; statuta a nostris Constitutionibus, 750.

PAROCHUS. An jus habeat SS. Eucharistiam extrahendi ex ecclesia Regularium ad Viaticum ministrandum, 771; an possit sepulturae Regularium intervenire, 859; et saecularium, qui jus sepulturae elegerunt in ecclesia Regularium, 861; an audiri debeat, dum Conventus erigitur, 31; an habeat jus dandi primam Communionem, 767; communionem ad infirmos deferendi, 769; mulierem post partum benedicendi, 878.

PATRINUS. Regulares arcentur ab officio—798.

PAUPERTAS. *Qua virtus,* 184; qua votum, 185; differentia inter virtutem et votum, 186; materia—187; an reliquiae, 188; medaliae, 188; manuscripta, 189; scultura aut pictura sint materia, 190; statuta quoad peculium, 192; vitam communem, 195; et parochum regularem, 196; quotuplici modo peccari possit contra,—197; an peccet contra—pecuniam accipiens sine licentia impendendam in pia opera, 198; retinens pecuniam, 199; rem occultans, 200; dispo-

nens de superfluis ex itinere, 201; pecuniam ludo exponens, 202; et sponte oblata recusans, 203.
Quoad licentiam a violatione—excusantem, 204; praesumptam, 205; petitam, sed non concessam, 206.
Gravitas materiae ratione sacrilegii, 207; ratione injustitiae, 207; quid de restitutione, 208; an furtula coalescant, 209.
PAUPERTAS *quoad votum simplex*. Quid importet, 100; quid faciendum de haereditate post professionem adveniente, 79; cessionem vel dispositionem bonorum an mutare possit, et cujusnam licentia, 100.
PAUPERTAS *quoad votum sollemne*. Quid importet, 102; statuta pro Belgio per Decretum Leonis XIII, 221; cujusnam licentia requiratur, 221, nota.
PAUPERTAS *in O N. servanda*. V *Administratio bonorum*, 223. —*Servanda* ab exclaustratis, 112; ab Episcopo regulari, 117; a parocho regulari, 196.
PECULIUM. Quid sit, 191; statuta quoad — a Conc. Trid., 192; an ab eo sit prohibitum, 193; an Superiores—introducere possint, 194.
PECUNIA. Ubi servanda, 237; an summa notabilis—alienari possit, 232.
PERFECTIO. Obligatio ad—tendendi, 139; quandonam peccetur contra hoc, 140.
PICTURA. An sit materia voti paupertatis, 190.
POENA *ecclesiastica*. Quid sit—920; quotuplex, 921; an Regulares ante Judicis sententiam teneantur subire poenam, 922; quaenam sit — privativa, 926; an—incurratur ante sententiam judicis, 933; cuinam competat declarare—esse incursam, 934; quomodo procedi debeat in—infligendis, 935; an — suspendatur per appellationem, 936; quisnam sit effectus sententiae declaratoriae, 937; an culpa mortalis requiratur ad has—incurrendas, 938; quinam dispensare possit cum Regularibus super istis—939.
POENAE *in O. N. statutae*. Notanda, 940; ordinarie infligendae sunt, 941; de poenis levi et media, 942; quibusnam imponatur—943-945;—gravi, 946; quibusnam imponatur, 947; cuinam competat has poenas imponere, 948; gravior, 949; qubusnam imponatur, 950; quibusnam competat has poenas imponere, 951;—gravissima, 952; quibusnam haec poena inferatur, 953; quibusnam competat has poenas imponere, 954;—privationis officii, quibusnam haec poena infligatur 955; quibusnam competat has poenas imponere, 966.
POENITENTIARII. Officium – apud nos exercendum, 330.
PONTIFICALIA. An Episcopus in ecclesiis Regularium exercere possit—834 839; an Regulares ad id vocare possint Episcopum extraneum, 840; an Abbates exercere possint,—841.
PORTIO *funebris*. Quae parocho debeatur, 863.
POSTULANTES. Choristae. Examen quoad linguam latinam, 638, 1.°; testimoniales petendae sunt pro—47; admissio—de jure communi et de jure nostro, 58; de jure Monialium, O. N. 50.
POSTULATUS. Mulieres omnes religiosae et Conversi tenentur ad—56.
POTESTAS *regendi Regulares*. Quid sit, 559; quotuplex, 560; dominativa, 1.°; jurisdictionalis, 2.°; quinam habeant—jurisdictionalem, 561, 1.°; restrictio. —Praelati inferioris, 561..., 4.°. —Praelatorum Regularium legislativa, 619; dispensativa, 620-625; absolutiva, 626-628, coërcitiva, 629-631.

—Generalis administrativa et dispensativa, 633; coërcitiva, 636.
—Provincialis: dispensativa, 638; absolutiva, 639; coërcitiva, 640.
—Prioris dispensativa, 641; coërcitiva, 641, 5.°.
—Capituli Generalis, 686;—Provincialis, 695.
—Definitorii Generalis, 724-725; et Provincialis, 729-730.
PRAECEDENTIA. In ordine ad processionem, 843;—ratione professionis, 593.
PRAECEPTUM. Formula imponendi—165; a quibusnam et quibus imponi possit, 167; an Superiorissa—imponere possit, 151.
PRAEDICATORES. Approbatio in O. N., 490..., 2.°, 368..., 13.°; quoad exitum, 334; et assistentiam officio divino, 273..., 2.°.
Statuta a Codice J. C., 790; quoad examen, 791; an Episcopus possit licentiam praedicandi denegare, 792; et quibus de causis possit Episcopus licentiam concionandi revocare, 793; an Episcopus praecipere possit, ut Regulares in suis ecclesiis doctrinam sacram fidelibus tradant diebus dominicis, 795; an Regulares teneantur licentiam concionandi petere, quoties concionaturi sunt, 794.
Ubi praedicatores O. N. praedicare possint, 790; an apud Moniales, 790.
PRAEFECTUS. Partes—in Missionibus, 751.
PRAELATI *Regularium*. Sunt triplicis generis, 561, 1.°; in quo inter se conveniant, 2.°; et differant, 3.°; an Superior possit restringere potestatem — inferioris, 4.°.
POTESTAS *legislativa*, 619.
Dispensativa, 620; an dispensare possint in Regula et Constitutionibus, 621; in votis subditorum, 622; in poenis, 623; in irregularitatibus, 624; in officio divino, 620.
Absolutiva: an possint absolvere suos subditos a censuris S. Pontifici reservatis, 626; et in Codice J. C. Ordinariis reservatis, 627; quisnam sit effectus absolutionis in fine Visitationis datae, 628; an a casibus reservatis in O. N., 506.
Coërcitiva, quoad poenas spirituales, 630; an possint in poenam Religiosum clericum transferre in statum laicalem, 631.
PRAELECTORES. V. Lectores, 538.
PRIOR. De—habendo, 387; modus eligendi — juxta Regulam nostram, 388; cellula — 401; sit juxta introitum loci, 402; cuncta procedant per dispositionem—403; exhortatio — ad humilitatem, 464; exhortatio Fratrum, ut — suum honorent, 466; an Prior possit audire confessiones subditorum, 479; et deputare sacerdotem saecularem ad eas audiendas, 494; quoad exitum, 333.
Quoad electionem, 694, 4.°; reelectionem, ad eundem conventum, 694; 4.° pro Semi-Provinciis, 699; tenetur consensum a Capitulo conventuali petere ad sumptos extraordinarios, 230; a Provinciale ad consuetudinem tallendam vel novam inducendam; nihil de novo potest aedificare, 641, 1.° et 5.°
PRIVATIO. Vocis activae et passivae quoad electiones, 576—578; quid importet—vocis, 927; poenae privativae, 926;—vocis activae et passivae, 928; officiorum et dignitatum, 929;—inhabilitatis poena ad officia seu dignitates, 930;— praecedentiae, 931; an hae penae incurrantur ante sententiam judicis, 933.
PRIVILEGIUM. Quid sit, 805; requisita ad privilegium, 806; quotuplex, 807; adquisitio — 808; directe per concessionem Superioris, 1.°; per communicationem, 2.°; per legitimam consuetudinem aut praescriptio-

nem, 3.°; quaenam — comprehendantur in communicatione, 810, 811; quantum tempus requiratur ad praescribendum—812; confirmatio—813; usus—814; an indigeat ad usum—consensu sui Superioris, 815; an Capitulum Gen. restringere vel respuere possit usum—Ordini concessi, 816; quinam uti possint — alicui Ordini concessis, 817; an Regulares teneantur exhibere Episcopis sua — 818; in quo loco possit uti privilegiatus suo—819; interpretatio —820; regulae interpretationis, 821; cessatio—822; ab intrinseco, 1.°; ex parte privilegii per renuntiationem, 2.°; ex parte concedentis per revocationem, 3.°; quotuplex sit revocatio et quomodo fieri debeat, 823; quaenam—Regularium sint revocata, 824; quaenam—vocentur oracula vivae vocis, 825.

PRIVILEGIA *Regularium.* Quoad absolutionem a censuris, 626, 865; quoad dispensationem super irregularitatibus, 867; votis, 868-872; et juramentis, 873; quoad varias benedictiones, 874 880; — novitiorum, 80; et dispersorum, 137;—quoad officium divinum, 309-315.

PRIVILEGIA *O. N. concessa.* Quoad processiones publicas, 342, ...13.°; Bullam Sabbatinam, 913; indulgentias—Toties quoties, 915; pro appellantibus nos Fratres B. M. V. de Monte Carmelo, 916, ...7.°; in die anniversario suae religiosae professionis, 916; ...3.°; Benedictio Papalis, 915, 2.°; Absolutio generalis, 917; formula pro hac absolutione, 918; Altare privilegiatum, 919, 1.°; Missa votiva B. M. V., 2.°; Salve Regina, 3.°; Missae Ternarii, 4.°; officium divinum, 5.°

PRO MONIALIBUS: non tenentur repetere officium divinum ob somnolentiam omissum, 314; quoad indulgentias S. Schalae, 919, 6.°; quoad absolutionem generalem, 917; Scapulare Imm. Concep. B. M. V., 916, 8.°.

PRO TERTIARIIS. Dies absolutionis generalis, 891, 2.°; recitare possunt officium divinum juxta Breviarium et Kalendarium O. N., 891, 3.°; Benedictio papalis, 915, 2.°.

PROBATIONES in judicio, 974; species et efectus plenae — 975; semiplenae—976.

PROCESSIONES. An Regulares teneantur accedere ad—ab Episcopo indictas, 842; quaenam censeantur publicae, 843; an Regulares possint—ducere extra suas ecclesias et claustra, 844; an mulieres possint comitari—in clausuram Regularium, 350.

PROCESSUS. Quomodo potest Prior litem movere, 231.

PROCESSUS *criminalis,* 957; cuinan in O. N. competat—instituere, 943.

PROCURATOR *Generalis.* Electio, 684, 3.°; obligationes, 235; jura et privilegia, 721, 8.°.

PROCURATOR *ad Capitulum Generale.*

PROCURATOR *Provincialis.* Electio, 235; nisi de consensu Definitorii Generalis non potest esse—unus ex Definitoribus Provincialibus, 235; sexto quoque mense Definitorio vel Consilio rationem reddet suae administrationis, 731.

—*Conventualis.* Electio, 223; quoad votum paupertatis, 234; quoad exitum, 331.

PROCURATOR. *Ad res temporales agendas:* apud nos ad hoc deputetur—saecularis, 231; officium —Regularibus prohibitum, 798.

PROFESSIO *Fidei* Facienda quando et a quibus, 656-658; a Gremialibus Capituli, 611.

PROFESSIO *religiosa.* Quid sit, 81; quotuplex, 81; tacita, 82; valida, 82; servanda in emissio-

ne, 83; in cujusnam manibus emittenda sit—84; apud Nos, 85; quid si in manibus Prioris emittatur absque Provincialis delegatione, 86; quid faciendum in absentia Provincialis, quin alius delegatus fuerit, 87; in cujusnam manibus emittere debeant Moniales suam—88; ubinam sit emittenda—89; quomodo fieri debeat—in Congregationibus intra Missam, 90.

Effectus—Sunt duplicis generis, 91; praecipui—92; gratiosi: liberatis a potestate paterna, 92; remissio poenarum, 93; suspensio votorum, 94; dissolutio sponsalium, 95.

Convalidatio — nulliter emissae, 96; quaenam ad—requirantur, 97; ad quid teneantur qui nullam emiserit—97; statuta quoad reclamationem contra—98.

PROFFESSIO *simplex*. Natura et qualitas, 99; admissio ad solemnem—82; servanda in casu dilationis sollemnis, 618, 17.° partes Provincialis et Capituli conventualis in admisione ad—sollemnem, 82.

PROFESSIO *sollemnis*. Professio simplex praemitti debet—102; quanam ratione inter se differant—sollemnis et simplex, 6; requisita specialiter, 102.

Effectus proprii: constituit impedimentum dirimens matrimonii, 103; dirimit matrimonium tantum ratum, 6; confirmat abdicationem bonorum, 103; aufer irregularitatem ex defectu naturalium, 43..., 5 nota.

PROFESSUS. An possit ingredi in aliam Religionem, 106.

— *Votorum simplicium*. Quoad dominium bonorum suorum, 100; quoad divinum Officium, 301; et Fratres Donatos, 302.

Votorum sollemnium. Quoad bona temporalia de jure communi, 103; in Belgio, 221.

PROLOGUS *Regulae*, 386.

PROPRIUM nom habendum, 412; nec dicendum, 413.

PROVINCIA. Erectio, divisio, extinctio, 26-28.

PROVINCIALIS. Quoad electionem, 694; potestatem legislativam, 637; et directivam: potest dispensare cum postulantibus in excessu aetatis, 46; causa morbi potest prorogare tempus professionis, 638,... 16.°; ob justam causam potest professionem solemnem differre; 618, 17.°; quomodo possit disponere de bonis, quae ratione officii habet, 235; designat clausuram, 345; dat licentiam loquendi cum Monialibus O. N., 369; constituit confessarios in O. N., 489; potest facultatem audiendi confessiones revocare, 496; et ad examen revocare, 497; et absolvere a casibus reservatis in O. N., 506; approbat fundationes Missarum, 514; suos subditos ad Ordines mittit, 515-516; suffragia pro—in sua Provincia, 531; examinat studentes, 543; potestas—quoad scripta typis mandanda, 545; dat licentiam officia extra Ordinem acceptandi, 637, 3.°; itinerandi, 7.°; infirmos alibi mittendi, 11.°

PULMENTUM. Quid sit, 444.

PUELLA. Examen ab Episcopo ante indutionem et professionem apud Moniales, 49; quid si admittatur in clausuram Regularium, 351; aut Monialium, 362; Missionariis prohibitum est docere—in domo particulari, 801, 1.°

Q.

QUAESTORES eleemosynarum quoad exitum, 342; statuta quoad Regulares, 342.

R.

RATIONIBUS *reddendis obnoxius* 43, 3.

Receptio locorum, 390.
Reclamatio. Contra professionem, 98; contra judicem, 644; —tempore suffragationis, 677, 2.°
Recreatio. Statuta quoad—556.
Recusatio. Judicis, 944;—officii ab electo, 681.
Refectio communis, 396-398.
Refectorium. Omnes conveniant ad—397; non sumantur in —cibi particulares, 398; audiant lectionem S. Scripturae tempore refectionis, 399.
Regimen *Regularium ad intra*, 559; ad extra, 744; regimen conventus tempore visitationis.
Regula. *Omnibus Regularibus communis:* quid sit et quotuplex, 373; obligatio—servandi, 374; quomodo — obliget, 375; quomodo dignosci possit ad quid obliget, 376; quomodo gravitas materiae discerni possit, 377; quomodo per accidens obliget, 378; quomodo Religiosus peccet, qui—sub poena tantum obligantem, transgrediatur, 379; an—differat a Constitutionibus, 380.
Regula *Ordini nostro propria*. Titulus—381; quomodo obliget, 382; statuta ad promovendum studium legum nostrarum, 383; praecipui Expositores—384;—primitiva, 384; Ordinis B. M. V., 385; prologus—386.
Regulares. An possint esse beneficiarii, 753; examinatores synodales, 754; Vicarii Generales, 755; an possint promoveri ad gradus academicos, 756; an eligi possint in Episcopos et Cardinales, 757; an expediat ut—assumantur in Episcopos, 758; an possint esse confessarii Monialium, 526; venatio—prohibita, 798; delatio armorum, ludus, 798; quid de officiis saecularibus, 798; extra claustra delinquentes, 267.
Religio. In quo sensu vox—sumatur, 3; ad—in sensu canonico non requiruntur vota sollemnia, 7; institutio novae — 20; quomodo peccent, qui aliquem avertant a—40; quid de illo, qui aliquem inducat in—41.
Reliquiae. An constituant materiam voti paupertatis, 188; statuta quoad earum publicum cultum, 838; et alienationem, 213-838.
Renuntiatio bonis a novitio facta, 79; quid de—Officio, 681.
Repudiatio legati, 216.
Reus. Statuta quoad—981; quomodo—interrogandus, 982, confessio—983.
Roma. Pro accessu ad—requiritur Praepositi Generalis expressa venia, 325.

S.

Sacristia. Quoad clausuran, 317;
Sacrosanctae. Effectus orationis—315.
Saecularizatio, 113.
Salve Regina ante ultimum Evangelium, 919, 3.°.
Schedula confessionis apud infirmum relinquenda, 783; quomodo computandae sunt—alba, 591; quid agendum si—non respondeant numero vocalium, 566.
Scapulare. Natura, 902; materia, 903; color, 2.°;—theca protectum, 904; servanda in benedictione et impositione—905; quomodo gestandum, 906; formula, 907; Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo distincte imponendum, 908; potestas benedicendi et imponendi hoc Scapulare, 914.
Scientia pro ingressu in O. N., 638; pro confessionibus audiendis, 490; — confessionis non utenda, 500;—requisita in Ordinandis, 515.
Scripta. Typis mandanda. V. Libri, 545.
Sculptura. An sit materia voti paupertatis, 190.

Scrutatores, 566; apud Nos, 566, nota.
Secretarius. Capituli Generalis, 666;—Provincialis, 692, 3.°; Definitorli Generalis, 687; Definitorii Provincialis, 687;—externi, pro Capitulis et Definitoriis, 589;—Capituli conventualis, 702.
Secretum servandum. In Capitulo Generali, 666; in Capitulo Prov., 692; in Capitulo Conventuali, 703; in definitorio Generali et Provinciali, 717; quomodo peccet revelans vota, 590.
Sententia. Declaratoria, 934; effectus—937;—in judicio, 985; notanda circa definitivam—986.
Sepultura. An jus eligendi—adhuc vigeat, 858; statuta quoad—religiosorum, 859; — Monialium, 860; hospitum saecularium, 859;—saecularium in ecclesiis Regularium, 861; apud Nos, 863; portio funebris parocho solvenda, 862.
Silentium. Textus Regulae, 457; a S. Alberto impositum, 458; praeceptum, 459; modus servandi, 463; quo tempore—sit servandum, 461; est praeceptum locale tantum, 462; servanda quoad—tempore parvi silentii, 463.
Simonia. Commissa in electione, 595; poenae statutae contra simoniam in electionibus, 598.
Socii ad Capitulum Generale de jure, 694, 3.°; ex electione, 694, 3.°; electio—ad Capitulum Provinciale, 710;—qui non potest exhibere litteras patentes, 670;—parochi regularis, 749.
Socius. Magistri novitiorum electio, 68; — in itinere admonet delinquentem, 182.
Status. Quid sit 1; quotuplex sit, 2.
Status *religiosus*. Natura, 4; requisita ad verum statum religiosum, 8; quo jure sit institutus, 13; an utilis, 14; an necessarius, 15; varietas—16.
Impedimenta ad—42; quinam a—prohibeantur ex titulo matrimonii, 42, 4; ob necessitatem parentum, 43, 4; debitorum, 43, 2; criminis, 42, 6; et obligationis ad reddendas rationes, 43, 3; Clerici, 42, 8, et 43, 1; impedimenta O. N., 45.
Studia. Erectio conventus—536; statuta quoad cursum, 541; quoad regulas servandas in—litterariis, 542; et examina studentium, 543.
Subornatio. *In electionibus:* Quid et quotuplex, 599; poenae in subornatores, 602.
Substitutus ad Capitulum Generale, 694, 3.°; in Definitorio Generali, 726; in Definitorio Provinciali, 731.
Suffragia. Pro Defunctis O. N.: pro unoquoque Religioso defuncto, 530; pro praeposito generali, etc., 531; pro S. Pontifice et Cardinali Protectore, 531; pro Monialibus, 534; quomodo obligent praedicta suffragia, 535.
Suffragia. Pro felici exitu Capituli Generalis, 664; et Provincialis, 692, 3.°.
Suffragia. *In votationibus:* Qualia esse debeant—in electione, 566; quot—requirantur ad electionem, 592; aliqua dubia circa—678; quid agendum si—dividi non possint, 679.
Supellex cellulae, 393.
Supererogatio. Exhortatio ad—469.
Superiores *Regulares*. V. *Praelati Regulares*. An cogere possint suos subditos ad sibi confitendum, 480; an teneantur instituere confessarios, 507; in O. N., 486;—quas litteras subditorum legere possunt, 468.
Superiorissa Electio, 568; quisnam debeat praesidere in electione—569; quaenam Moniales jus suffragii in electione—570; notanda in electione—571; an praecipere possit in virtute S.

Obedientiae, 156; quoad litteras subditarum, 468.
Supprior. Electio, 729; et pro conventibus in Semiprovinciis, 699; quid si eligatur in Socium Capituli Provincialis, 710.
Supprioriissa. Electio — apud Moniales O. N., 572.
Suspensio. In Regulares saecularizatos, 114; et in dimissos, 127; — ex informata conscientia, quid intelligendum sit per haec verba, 990; quomodo praedicta — feratur, 991; a — non datur appellatio, 991.

T.

Taxa. An Regulares teneantur ad — synodalem pro Missis et pro indice funeralium taxarum, 781.
Tertiarii Saeculares O. N. favores concessi Tertiariis O. N., 891; indulgentiae. 1.° absolutio generalis; 2° obligationes, 896; voti obedientiae, 897; voti castitatis, 898; cessatio votorum, 901.
Tertius Ordo. Quis potest erigere — in ecclesiis Regularium et requisita ad hoc, 850.
Testamentum. An professi votorum sollemnium condere possint—103; an Religiosi O. N.— accipere possint, 231; quid de professis a votis simplicibus, 100, 2.°
Testimoniales. V. *Litterae testimoniales*, 47.
Testis. Idoneus, 977; qualitates, 978;—examen, 979, 980.
Titulus Ordinationis, 855; — Regula O. N., 381.
Tractatus consultorii. Ante electiones, 585.
Transitus ab una ad aliam Religionem, 106; conditiones et causae, 106; cuinam competat concedere—106; poenae in indebite transeuntes ad aliam Religionem, 106; effectus — in aliam Religionem, 107.

U.

Uno onere. Quid intelligatur per haec verba—229.
Usus Privilegii, 814.

V.

Venatio. An Regularibus sit prohibita, 798.
Viaticum. An Regulares possint administrare—suis famulis, alumnis, hospitibus infirmis, 768; et omnibus in casu necessitatis, 770.
Vicarius Generalis, 732.
Vicarius Provincialis. Quotuplex distinguatur, 733.
Vicarius Conventus. Quotuplici modo—constitui possit, 734.
Vicarius Vicariatus. Statuta quoad -738.
Vicarius Generalis Episcopi. An Regularis possit esse—755; an dignitas — comprehendatur in voto non ambiendi, 244; potestas—in erigenda confraternitate, 845.
Vicarius Apostolicus. In Missionibus, 751.
Virginitas. Qua virtus differt a castitate, 177.
Visitatio, 642; quo jure teneantur Praelati facere — 643; quinam Superiores et quoties ad id teneantur, 643; potestas Visitatoris, 644; cuinam competat regimen Provinciae seu Conventus tempore — 645; quomodo recipiendus sit Visitator, 646; quomodo incipiatur, 647; perficiatur, 648; et absolvatur, 652; statuta quoad Ordinationes—653; post—654; quoad visitationem Monialium, 655.
Visitatio Parochi Regularis ejusque ecclesiae ab Episcopo facienda, 747; quoad Regulares Missionarios, 751.
Vita communis. Statuta pro servanda — 195; apud nos, 195, 414; requisita ad—195.
Vita contemplativa et mixta, 16.

VOCATI a Generali tenentur venire, 339.
VOCATIO religiosa, 33; quotuplex, 34; qualis—requiratur ad statum religiosum licite amplectendum, 35; quomodo peccet qui, absque speciali vocatione, statum religiosum amplectitur, 36; signa—37; media discernendi—38, an peccet qui non sequitur vocationem religiosam, 39; quid dicendum de illis, qui impediunt, 40; an liceat aliquem inducere ad Religionem, 41.
VOTA. V. *Suffragia*, Quid de simpliciter profesis, 100, 3.°.
VOTA RELIGIOSA. Quomodo distinguantur, 5, 144; an—sollemnia specie differant a simplicibus, 6; an —sollemnia sint de essentia status religiosi, 7; quaenam requirantur ad verum statum religiosum, 8; an unum possit esse sollemne, alia vero simplicia, 9; an—Monialium, in Gallia, sint sollemnia, 10; an—Religiosorum in Gallia et Belgio sint sollemnia, 12; quomodo obligent, 145.
Dispensatio in—per indultum saecularizationis, 113; per dimissionem, 123-137.
VOTA *Religionis in specie: Votum Obedientiae,* 148; *V. Obedientia.*
VOTUM *castitas*, 178; *V. Castitas: Votum paupertatis,* 184; *V. Paupertas.*
VOTUM *non ambiendi.* Formula sub qua emittitur, 240; an sit sollemne apud nos, 241; finis—242; materia, 243; officia in—comprehensa intra et extra O. N., 244; an obligatio—maneat in transitu ad aliam Religionem, 245; actus prohibiti per—246; an omnis actus externus violet—247; quisnam Superior praecipere possit, ut praelationes acceptentur, 249; quale praeceptum ad id requiratur, 250; statuta a Constitutionibus nostris pro custodia—251; poena in transgressores, 251.
VOTUM *humilitatis pro Fratribus Donatis.* Formula sub qua emittitur, 252; an prohibeatur sibi aliquem gradum extra O. N.. procurare, 254; an procuratio indirecta prohibeatur, 255; an transiens ad aliam Religionem —obstrictus maneat, 256.
VOTUM *eundi ad Missiones.* Formula sub qua emittitur, 257; quid veniat nomine Missionum, 258; an—obstricti possint adducere excusationes, 359; quid si vanis artibus utantur ne mittantur, 260; an teneantur permanere in Missionibus, 261.
VOTUM. Quid sit, 152; quasnam actiones vovere possint Religiosi absque licentia Superioris, 143.
Quoad dispensationem: Praelati Regulares cnm suis subditis, 622; confessarii Regulares cum saecularibus, vi privilegiorum, 868; in voto de jure tertii, 869; an possint dispensare etiam extra confessionem, 870; an justa causa requiratur, 871; quid si non adsit, 872.
VOX. Quinam gaudeant — voce activa in electionibus, 573; in Capitulo Generali, 663; Provinciali, 692, 2.°; Conventuali, 701; quinam in Congressu, 699; quomodo renuntiatio — fiat in Capitulo Generali vel Provinciali, 673; in Conventuali, 710; an extraneus admiti possit ad —dandam, 605; quinam gaudeant — passiva in electionibus Capituli Generalis, 684, 2.°; Provincialis, 694.
Privationem vocis activae et passivae, quid importet, 927; Religiosi nostri in variis casibus incurrunt—578.
Privationem vocis activae incurrit eligens indignum sed tantum pro ea vice, 617.

INDEX SYNOPTICUS
TOTIUS OPERIS

Pag.

Approbationes. V
Monitum auctoris. IX
Auctores qui in decursu operis allegantur, una cum modo, quo citantur. XIII

PARS PRIMA

DE NOTIONIBUS STATUS RELIGIOSI

Caput I.—De natura status Religiosi. 1
Caput II.—De origine, utilitate et necessitate status Religiosi. 7
Caput. III.—De varietate status Religiosi. 9
Caput IV.—De Institutione novarum Religionum, necnon de erectione et suppressione religionis, provinciae et domus religiosae. 11
Art. I.—De institutione novarum Religionum. 11
Art. II.—De erectione et suppressione Provinciae et Congregationis monasticae. 13
Art. III.—De erectione et suppressione domus religiosae. 15

PARS SECUNDA

DE INGRESSU IN RELIGIONEM, DE NOVITIATU ET DE RELIGIOSA PROFESSIONE

SECTIO I. De ingressu in religionem

Caput I.—De vocatione ad statum religiosum. 19
Caput II.—De impedimentis ad statum religiosum. 26
Art. I.—De impedimentis Juris Ecclesiastici communis 26
Art. II.—De impedimentis Juris privati Ordinis nostri. 29
Caput III.—De requisitis ad legitimum ingressum. 30
Art. I.—De legitima aetate ad ingressum Religionis. 30
Art. II.—De litteris testimonialibus. 30
Art. III.—De admissione postulantis. 33
Art. IV.—De dote Monialium. 35

Pag.

SECTIO II. De novitiatu

Caput I.—De Postulatu. 36
Caput II.—De requisitis ad validum novitiatum. 37
Art. I.—De susceptione et delatione habitus religiosi. 38
Art. II.—De loco in quo novitiatus peragi debet. 39
Art. III.—De duratione novitiatus. 40
Caput III.—De disciplina in novitiatu servanda. 42
Art. I.—De Magistro novitiorum ejusque qualitatibus 43
Art. II.—De informatione Novitiorum. 44
Art. III.—De approbatione Novitiorum in ordine ad professionem. 45
Caput IV.—De ipsis Novitiis. 47
Art. I.—De obligationibus Novitiorum. 47
Art. II.—De juribus et privilegiis Novitiorum. 49

SECTIO III. De professione religiosa

Caput I.—De Professione Religiosa in genere. 50
Art. I.—De Professionis Religiosae notione. 50
Art. II.—De solemnitatibus Professionis Religiosae. 51
Art. III.—De effectibus Professionis. 54
Art. IV.—De convalidatione Professionis Nullae 55
Caput II.—De Professione Religiosa simplici. 57
Caput III.—De Professione Religiosa solemni. 58

PARS TERTIA

DE OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM

SECTIO I. De obligationibus religiosorum quae ex natura status religiosi oriuntur

Caput I.—De obligatione permanendi in suscepta vita religiosa. 60
Art. I.—De egressu per transitum ad aliam Religionem. 61
Art. II.—De egressu e religione post expletum tempus votorum temporariorum. 62
Art. III.—De egressu e religione per indultum exclaustrationis vel saecularizationis. 63
Art. IV.—De religiosis ad Episcopatum promotis. 64
Art .V.—De egressu per fugam. 66
Art. VI.—De egressu per apostasiam. 66
Art. VII.—De dimissione religiosorum. 68
§ I.—De dimissione religiosorum, qui vota temporaria nuncuparunt. 69

Pag.

§ II.—De dimissione religiosorum qui vota perpetua nuncuparunt in religione clericali exempta vel in religione laicali. 70
§ III.—De processu judiciali in dimissione religiosorum qui vota perpetua sive sollemnia sive simplicia nuncuparunt in religione clericali exempta. 72
§ IV.—De religiosis dimissis qui vota perpetua nuncuparunt. 74
Art. VIII.—De conditione religiosorum per violentiam legis civilis dispersorum. 75
Caput II.—De obligatione tendendi ad perfectionem. 77

SECTIO II. De obligationibus quae oriuntur ex votis in professione religiosa emissis

Caput I.—De votis Religionis in genere. 79
Art. I.—De notione generali voti. 79
Art. II.—De votis Religionis in genere. 81
Caput II.—De voto obedientiae. 82
Art. I.—De natura et obligatione voti obedientiae. 82
Art. II.—De materia seu objecto voti obedientiae. 86
Art. III.—De obedientia in Ordine nostro praestanda. 93
Caput III.—De voto castitatis. 97
Art. I.—De virtute castitatis et virginitatis. 97
Art. II.—De voto castitatis. 98
Caput IV.—De voto paupertatis. 102
Art. I.—De voto paupertatis in communi. 102
Art. III.—De voto paupertatis quoad Religiosos votorum sollemnium. 120
Art. IV.—De voto paupertatis a Religiosis Ordinis nostri servando, seu de administratione bonorum in Ordine nostro. 123
Caput V.—De votis specialibus in Ordine Nostro factis. 132
Art. I.—De voto non ambiendi a Fratribus Choristis facto 132
Art. II.—De voto humilitatis a Fratribus Conversis emisso 136
Art. III.—De voto eundi ad Missiones a Seminaristis emisso. 137

SECTIO III. De obligationibus religiosorum, quae proveniunt a legibus ecclesiasticis

Caput I.—De obligatione habitum religiosum deferendi. 139
Caput II.—De obligatione recitandi Officium divinum. 141
Art. I.—De recitatione Officii divini in choro pro Regularibus in communi. 141
Art. II.—De recitatione Officii divini in choro quoad nos. 149

Pag.

Art. III.—De recitatione privata Officii divini. 151
Caput III.—De obligatione servandi Clausuram 156
Art. I. De Religiosorum egressu extra clausuram in communi. 156
Art. II.—De exitu e claustro quoad Religiosos Ordinis nostri. 159
Art. III.—De ingressu mulierum in monasteria virorum. 163
Art. IV.—De clausura Monialium deque ejus violatione per ingressum. 166
Art. V.—De violatione clausurae Monialium per egressum. 169
Art. VI.—De accessu ad colloquendum cum Monialibus. 170

SECTIO IV. De obligationibus, quae profluunt ex regula nostra

Caput I.—De obligatione servandi Regulam in communi. 172
Caput II.—De obligatione servandi Regulam in Ordine nostro. 175
Art. I.—De Titulo Regulae. 176
Art. II.—De Prologo Regulae. 179
Art. III.—De Priore habendo et de tribus sibi promittendis. 180
Art. IV.—De receptione locorum. 182
Art. V.—De cellis Fratrum. 183
Art. VI.—De communi refectione. 185
Art. VII.—De non mutando aut permutando cellulas. 186
Art. VIII.—De cellula Prioris 187
Art. IX.—De mansione in cellulis et assidua oratione facienda. 188
Art. X.—De Horis Canonicis. 192
Art. XI.—De non habendo proprium. 194
Art. XII.—Quod licet habere in communi. 197
Art. XIII.—De Oratorio et Cultu divino. 198
Art. XIV.—De Capitulo et correctione Fratrum. 199
Art. XV.—De jejunio Fratrum. 203
Art. XVI.—De Abstinentia carnium. 206
Art. XVII.—De armis spiritualibus. 209
Art. XVIII.—De labore manuum. 210
Art. XIX.—De silentio. 213
Art. XX.—Exhortatio Prioris ad humilitatem. 216
Art. XXI.—Exhortatio Fratrum, ut Priorem suum honorent. 217
Art. XXII.—Epilogus Regulae et exhortatio ad opera supererogationis. 218
Caput III.—De obligatione servandi Constitutiones Ordinis Nostri. 219

Pag.

Art. I.—De vi obligatoria Constituonum nostrarum. 219
Art. II.—De Sacris Confessionibus. 222
§ I.—De Institutione Confessariorum. 222
§ II.—De electione Confessarii. 229
§ III.—De casibus reservatis. 230
Art. III.—De SS. Eucharistiae Sacramento. 232
§ I.—De S. Communione Fratrum. 232
§ II.—De SS. Sacrificio Missae. 233
Art. IV.—De Ordinibus suscipiendis. 235
Art. V.—De iis quae specialiter moniales concernunt. 236
§ I.—De monialium confessariis. 236
§ II.—De monialium ab Episcopo dependentia. 239
Art. VI.—De Suffragiis pro Defunctis. 241
Art. VII.—De eis quae spectant ad Conventus studiorum 243
Art. VIII.—De scriptis typis mandandis. 247
De praevia librorum censura. 248
De prohibitione librorum. 250
Art. IX.—De Disciplina. 254
Art. X.—De honesta Fratrum recreatione. 255

PARS QUARTA

DE REGULARIUM REGIMINE

SECTIO I. De regimine regularium ad intra

Caput I.—De potestate regendi Regulares in genere. 257
Caput II.—De constitutione Praelatorum Regularium. 261
Art. I.—De natura et forma electionis. 262
Art. II.—De electoribus. 266
Art. III.—De eligendis: 269
Art. IV.—De circumstantiis electionis. 270
Art. V.—De vitiis electionis. 274
Art. VI.—De jure electi. 277
Art. VII.—De poenis male eligentium. 280
Caput III.—De Praelatorum Regularium potestate. 280
Art. I.—De potestate legislativa Praelatorum Regularium 281
Art. II.—De potestate dispensativa Praelatorum Regularium. 281
Art. III.—De potestate absolutiva Praelatorum Regularium. 283
Art. IV.—De potestate coercitiva Praelatorum Regularium 283
Art. V.—De potestate Generalis in Ordine nostro. 284
Art. VI.—De potestate Provincialis in Ordine nostro. 287
Art. VII.—De potestate Prioris in Ordine nostro: 291
Caput IV.—De obligationibus Praelatorum Regularium. 292

Pag.

Art. I.—De Visitatione regulari.
Art. II.—De Professione fidei facienda. 301
Caput V.—De Capitulis. 303
Art. I.—De Capitulo Generali. 303
§ I.—De Capitulo Generali ordinario. 303
§ II.—De Capitulo Generali extraordinario. 315
Art. II.—De Capitulo Provinciali. 316
§ I.—De Capitulo Provinciali ordinario. 316
§ II.—De Capitulo Prov. extraordinario. 321
Art. III.—De Congressu ad eligendum Vicarium Provincialem et Substitutum ad Capitulum Generale, etc. 323
Art. IV.—De Capitulo Conventuali. 324
Art. V.—De Fratrum Filiatione et conventualitate. 327
Caput VI.—De Definitoriis. 328
Art. I.—De Definitoribus. 329
Art. II.—De Definitorio Generali. 334
Art. III.—De Definitorio Provinciali. 336
Caput VII.—De Vicariis. 339
Art. I.—De Vicario Generali. 339
Art. II.—De Vicario Provinciali. 339
Art. III.—De Vicario Conventus. 340
Art. IV.—De Vicariatibus et Residentiis. 341

SECTIO II. De regimine regularium ad extra

Caput I.—De habilitate Regularium ad munia ecclesiastica. 343
Caput II.—De jure Regularium sacrum ministerium exercendi. 350
Art. I.—De jure Regularium exercendi sacrum ministerium in genere. 351
Art. II. De iis, quae pertinent ad SS. Eucharistiae Sacramentum et SS. Sacrificium Missae. 353
§ I.—De asservatione SS. Eucharistiae Sacramenti. 353
§ II.—De administratione SS. Eucharistiae Sacramenti 354
§ III.—De expositione SS. Sacramenti. 356
§ IV.—De celebratione SS. Missae Sacrificii. 357
Art. III.—De iis ,quae spectant ad Sacramentum Poenitentiae. 360
Art. IV.—De ministerio praedicationis. 363
Caput III.—De Congregationibus virorum votis solemnibus carentibus. 365
Caput IV.—De iis, quae Regularibus sunt prohibita. 366
Art. I.—De actionibus, quae dedecent statum religiosum 366
Art. II.—De negotiatione. 369

Pag.

PARS QUINTA

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM

SECTIO I. De privilegiis omnibus regularibus communibus

Caput I.—De privilegiis Regularium in genere. 371
Art. I.—De notione privilegii. 371
Art. II.—De acquisitione privilegii. 374
Art. III.—De Communicatione privilegiorum. 375
Art. IV.—De confirmatione privilegiorum. 377
DArt. V.—De usu privilegiorum 377
Art. VI.—De interpretatione privilegiorum. 379
Art. VII.—De cessatione privilegiorum. 382
Caput II.—De privilegio exemptionis Regularium. 385
Art. I.—De notione exemptionis. 386
Art. II.—De subjecto exemptionis Regularium. 386
Art. III.—De utilitate privilegii exemptionis pro Regularibus. 389
Caput III.—De variis casibus, praesertim, practicis, in quibus Regulares Episcopis subjiciuntur. 391
Art. I.—De natura potestatis Episcopi in Regulares. 391
Art. II.—De lectione S. Scripturae seu casuum conscientiae in monasteriis habenda. 391
Art. III.—De variis in ecclesiis Regularium observandis. 392
Art. IV.—De sanctis Reliquiis. 394
Art. V.—De celebratione Pontificalium in eclesiis Regularium. 396
Art. VI.—De Processionibus. 396
Art. VII.—De Confraternitatibus. 398
Art. VIII.—De Regularium Ordinationibus. 403
Art. IX.—De Regularium sepultura. 406
Art. X.—De quaestuatione. 410
Caput IV.—De privilegiis Regularium quoad absolutionem saecularium a censuris reservatis. 411
Caput V.—De privilegiis Regularium quoad facultatem in variis dispensandi cum saecularibus. 413
Art. II.—De facultate in votis ac juramentis dispensandi. 414
Caput VI.—De privilegiis Regularium quoad varias benedictiones faciendas. 416
Appendix.—De facultatibus Apostolicis, seu de privilegiis personalibus. 418
Art. I.—De facultatibus impertiendi benedictiones cum applicatione indulgentiarum. 418

Pag.

Art. III.—De facultade legendi libros prohibitos. 419
Art. IV.—De facultate quotidie celebrandi Missam votivam de B. M. V. aut de Requiem. 420

SECTIO II. De privilegiis ordini nostro propriis

Caput I.—De Tertiariis Ordinis nostri. 423
Art. I.—De notione Tertii Ordinis nostri. 423
Art. II.—De favoribus et gratiis Tertio Ordini nostro concessis. 424
Art. III.—De obligationibus Tertiariorum Ordinis nostri. 427
Caput II.—De Confraternitate S. Scapularis B. M. V. de Monte Carmelo. 428
Art. I.—De S. Scapulari B. M. V. de Monte Carmelo. 428
Art. II.—De Confraternitate S. Scapularis B. M. V. de Monte Carmelo. 434
Art. III.—De potestate benedicendi parvum Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo illudque Christifidelibus imponendi. 438
Caput III.—De Indulgentiis et aliis privilegiis Ordini nostro concessis. 439
Art. I.—De variis Indulgentiis Ordini nostro concessis. 439
Art. II.—De aliis privilegiis Ordini nostro concessis. 442

PARS SEXTA

DE POENIS ET PROCESSU CRIMINALI

Caput I.—De poenis jure communi statutis. 443
Arti I.—De poenis in genere. 443
Art. II.—De excommunicationibus, quae specialiter spectant ad Regulares. 445
Art. III.—De suspensionibus, quae ad Regulares specialiter spectant. 446
Art. IV.—De poenis privativis, quae ad Regulares specialiter spectant. 446
Caput II.—De poenis a jure in Ordine nostro statutis. 450
Art. I.—De poenis in genere. 450
Art. II.—De poenis levi et media 452
Art. III.—De poena gravi. 452
Art. IV.—De poena graviore. 453
Art. V.—De poena gravissima seu de dimissione ab Ordine. 455
Art. VI.—De poena privationis officii. 457
Caput II.—De processu criminali Regularium. 459
Art. I.—De natura processus criminalis. 459
Art. II.—De Judice. 460

Pag.

Art. III.—De accusatione. 460
Art. IV.—De denuntiatione. 461
Art. V.—De Inquisitione. 464
§ I.—De Inquisitione generali. 464
§ II.—De Inquisitione speciali. 465
§ III.—De Inquisitione mixta. 468
Art. VI.—De probationibus. 468
Art. VII.—De Reo. 472
Art.. VIII.—De Sententia. 473
Art. IX.—De Appellatione. 474
Caput III.—De modo procedendi extrajudicialiter ex informata conscientia. 477
Art. unicus.—De natura et origine hujus potestatis. 477

APPENDIX

I.—Normae secundum quas S. Congregatio de Religiosis in novis Religiosis Congregationibus approbandis procedere solet. 483
II.—De Religiosis servitio militari adstrictis. 489
III.—Decretum Ven. Cap. Generalis, 10 julii 1889. 494
IV.—Instructio de Clausura Monialium. 495
V.—Breve Apostolicum quo conceditur indulgentia plenaria «Toties Quoties »pro recitatione rosarii coram SSmo. Sacramento. 500
Index rerum analyticus ordine alphabetico confectus. 505
Index Synopticus totius Operis. 529